TRAGOEDIAE

Lucius Annaeus Seneca (Philosophus), ...

<36631148340012

L. ANNAEI SENECAE

TRAGOEDIAE.

RECENSUIT

TORKILLUS BADEN,

MAG. ART. LIB. ET D. PHILOS., PROFESSOR EMERITUS, ARCI REG. CHARLOTTENBURGENSI PRAEFECTUS, ACADEMIAE REG. ARTIUM ELEGANTIORUM ET SOCIETATIS LITERARUM ELEGANTIORUM, QUAE HAVNIAE VIGENT, SODALIS ET SECRETARIUS, NEC NON SOCIETATI REG. SCIENTIARUM GOTTINGENSI LITERARUM COMMERCIO CONJUNCTUS.

PARS PRIOR.

LIPSIAE

APUD GERHARDUM FLEISCHER.

1821.

VIRO

DOCTISSIMO ATQUE HUMANISSIMO

GODOF. ERN. GRODDECK

PROFESSORI UNIVERSITATIS LITERARIAE VILNENSIS

HUNCCE LIBRUM

HONORIS ET OFFICII CAUSA

OBTULIT

AUCTOR.

LECTORI.

Quam pluribus abhinc annis dedi fidem recensendi Tragoedias L. A. Senecae, eam, ne dives sim pollicitis, hac editione liberare animus est.

Consilium scis mihi fuisse, spicilegium de messibus superiorum agere Criticorum, et aliis vel intacta vel infeliciter tentata pro viribus expedire. Quod consilium, praeter septendecim illos a me ipso Vindebonae, Romae atque Neapoli consultos libros manu scriptos, plurimum adjuvabant excerpta variantium lectionum ex codice Pulaviensi, quae mihi benivole suppeditavit vir clarissimus G. E. Groddeck, eundem codicem, nomine Varsoviensis, adcuratissime describens in Bibliothek der alten Litteratur und Kunst St. X.

Omnes et singulas lectionum varietates recenseat, qui volet. Mihi satis est, potio-

res indicare, mendis librariorum etiam nihil lectorem instruentibus.

Ubi codices deficerent, conjecturis, nunc meis, nunc alienis, maxime Nic. Heinsii, dispersis per omnes Adversariorum ejus libros, rem gessi. Feliciter gessisse velim, et spero, qui primam legem mihi dixerim pudoris et modestiae, ac tantum illud caverim, ne apertas et perspicuas emendationes textu prohibendo, ineptae superstitionis accusarer. Frustra tamen sperarem, nisi etiam curae meae nihil satis esse putassem, nullique pepercissem operae, ut officio et promisso satisfacerem. Cujus rei causa veteres in utraque lingua scriptores perlegi tantum non omnes, indeque mihi notavi, quidquid vel dubiis confirmandis, vel affectis medendis videretur. Sed minor notandi, quam notatis utendi labor fuit, cum ex sexcentis, quod in rem esset, fere deligere debuerim, ne sine textu notas scripsisse viderer. Delectus judicium penes eruditos esto. Ad excerptionis negotium quod adtinet, lectione nihil est in studiis minus laboriosum, ut ait Quinctilianus, et profuit heic mihi, tot evolvisse

libros manu scriptos, unde si non alium, certe hunc fructum cepi, quod Senecam edidici.

Major autem hujus operae pars in defensione lectionum, a Criticis oppugnatarum, versatur; eaque pars vel plurimum sudoris habuit, quia mihi hic fere cum Heinsio res erat, adversario, si quis alius, forti et valenti. Quem refutare dum studeo, lucem videor mihi permultis affudisse locis, in quibus, ipso haerente, alii etiam haerere possent.

Integras virorum doctorum notas tunc addidi, cum, quod dicendum erat, melius quam ipsorum verbis dicere non habebam. Alioquin modo contraxi, nunc praetermisi, causam meo jure statim disceptans.

Interpretationi denique tantum tribuimus, quam propositi ratio pateretur. Vicarios interpretationis accipe similes poëtarum et aliorum locos, quorum qui ex prosaicis Senecae operibus passim laudantur, simul ad γνησιότητα harum Tragoediarum confirmandam valent.

Quod superest, boni consulas, precor, laborem nostrum, et si quid erravimus,

quod intelligo non alienum a me esse, benigne interpreteris: si qui fructus ex eodem ad te pervenerit, non tam nobis gratias agas, quam, cujus auspiciis peractus est, Societati literarum elegantiorum Havniensi. Constat ea, semperque constitit viris κριτικωτάτοις, pro patrii sermonis, ad exemplaria Graeca atque Romana castigandi, honore tam gnaviter quam feliciter excubantibus, omniaque eo referentibus, ut optimarum artium studia quotidie magis inter nostrates florescant. Talibus viris junctum esse, cuivis amplum, mihi etiam salutare est, qui docendi provinciam atriensis et scribae loco dudum permutare coactus, aliquo tamen per hanc Societatem mansuetioribus cum Musis vinculo conjungar, atque adeo non prorsus extra collegium, ut dicitur, opus faciam.

HERCULES
FURENS.

DRAMATIS PERSONAE.

JUNO.
HERCULES.
LYCUS.
MEGARA.
AMPHITRYON.
THESEUS.
CHORUS THEBANORUM.

ACTUS PRIMUS.

JUNO sola.

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Jovem,
Ac templa summi vidua deserui aetheris;
Locumque, coelo pulsa, pellicibus dedi.
Tellus colenda est: pellices coelum tenent.
Hinc, Arctos alta parte glacialis poli
Sublime classes sidus Argolicas agit;
Hinc, qua tepenti vere laxatur dies,
Tyriae per undas vector Europae nitet;
Illinc, timendum ratibus ac ponto gregem
Passim vagantes exserunt Atlantides.

---

8) *laxatur dies)* id est, coelum, aër. Virgil. Georg. IV. v. 52:

ubi pulsam hiemem Sol aureus egit
Sub terras coelumque aestiva luce reclusit.

Stat. Silv. IV. 4. 12:

Jam terras, volucremque polum fuga veris aquosi
Laxat.

Fera coma hinc exterret Orion Deos:
Suasque Perseus aureus stellas habet.
Hinc, clara gemini signa Tyndaridae micant:
Quibusque natis mobilis tellus stetit.

---

12) *Ferro minaci hinc terret)* Ita ex Florentino codice feliciter a viris eruditione praestantibus locus iste jam in integrum est restitutus. Cum tamen in aliis membranis omnibus legatur: *Fera coma hinc exterret,* videndum ne sub mendosa scriptura sanioris vestigium lectionis delitescat. Opinor quippe Senecam ipsum dedisse:

Ferro comanti hinc terret Orion Deos.

cujus vim ac leporem cum librarii aut Critici semilitterati non caperent, reposuere: *Ferro minaci,* credo quod recordarentur Papiniani istius loci:

magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hibernis, et sidera terret Orion.

nam et Annaeus per *Deos,* ut alibi saepe, sidera et stellas intellexit. *Stellas* autem *comantes* Poëtis dici quis nescit? Naso de Divo Julio:

In sidus vertere novum stellamque comantem.

sed illic de cometa agitur. hinc et Veneris crinis et crinis Berenices stellis assignata nomina. apud Avienum Phaenomenis, *ignicomantes stellas,* et *stellarum comam,* et *Canem ignicomantem* de Sirio, aliaque id genus complura habemus. apud eundem Descriptione orbis terrarum *Sol ignicomus* non semel occurrit: qui et *auricomus* nonnunquam Poëtis. *flammicomus* eidem Avieno Descriptione orbis terrarum. Fulgentius libro Mythologiae primo, pag. 23 de Sole,

Solverat ignicomus, mundi regione peracta,
Quadrupedes, gelidumque rotis tepefecerat orbem
Rector.

Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere superos: ne qua pars probro vacet,
Mundus puellae serta Gnossiacae gerit.

---

minus recte illic *ignivomus* exhibetur. pari modo et igni suae *comae*, sui *crines*. apud Papinium *multa crinitum missile flamma*, ubi taedam innuit, Thebaidos quinto. *flammicomi ignes* Prudentio Psychomachia. et sic de stellis. Plinius Historiae Naturalis libro I. cap. 25. ubi agit de Cometis, *Sparguntur aliquando et errantibus stellis caeterisque crines.* Si ergo *comantes stellae*, cur non *ferrum comans* Orionis gladius, qui ex stellis compluribus constet, et praecipue sit insignis? uti et balteus hoc nomine celebratur a Poëtis. hinc passim *rutilus* Orion in Arateis. *clarus* in Maroniana Ciri. *Orion retinens non cassum luminis ensem* Ciceroni: *nitidus Orionis ensis* Nasoni. Avieno *Orion splendens ense corusco. Ensiferi nimium fulget latus Orionis* Lucano. Claudiano,

jam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem.

quibus complura similia nullo negotio possent attexi, si hoc ageretur. Heinsius.

Fateor id aptius esse, quam *feram comam*, si interpreteris, ut solet: terrificam capitis caesariem. Sed necesse non est, sic verba urgere. *coma* pro radiis ponitur, ut saepe apud poëtas. Idem Herc. Oet. v. 727:

Abjectus horret sanguis, et Phoebi coma
Tepefactus ardet.

Val. Flaccus II. v. 42:

Astraque, et effusis stellatus crinibus aether.

ubi plura Bulaeus, quem vide et Dorvillium ad Charit. p. 746. Saevus autem fulgor Orionis cui non dictus? Magnifice Virgilius Aen. III. v. 517:

Sed vetera querimur: una me dira ac fera
Thebana nuribus sparsa tellus impiis

Armatumque auro circumspicit Oriona.

Omitto alios, acta ne agam. Sidera deos etiam vocat IV. de Benef. 23: *innumerabiles — longiusque a conspectu nostro seducti Dii eunt, redeuntque,* ut vel in limine Senecam agnoscas.

19) *Sed vetera querimur)* In Etrusco et antiquioribus est omnibus: *Sed vetera sero querimur.* Itaque ut versus constaret, induxerunt G. Fabricius τὰ *dira ac,* Lipsius τὸ *sero,* cui auscultatum. Et sane adversarium est isti, quod Seneca in ea regione iambum vitat. Ego malebam τὸ *vetera* tolli, tanquam adscriptum explicandi causa, quum legeretur: *Sed sera querimur.* postquam scilicet vindicandi tempus elapsum est. Qui *vetera* immiscuit, ne idem bis diceretur, fecit *sero* Neque hoc respuit versus, sed oratio. Ferres, si esset: *Haec sero querimur.* Lib. I. de benef. 1: *de quibus non redditis sero querimur.* Sensus tamen idem: nam *sera* queruntur, puta *querelae verba,* qui sero queruntur. Statius in Propemptico: *Justa queror.* Vide et 2 Observ. 19. Gronovius.

Recte deletum *sero.* Nam vetera nunquam non sero querimur. Euripides in Alexandra XX:

παλαιὰ καινοῖς δακρύοις οὐ χρὴ στένειν.

Hinc apud Statium XII. Theb. 301. eadem Juno:

certe Jovis improba jussu
Ternoctem Herculeam — veteres sed mitto querelas.

quod et Veneri faciendum censet in Virg. Aen. X. v. 94:

nunc sera querelis
Haud justis adsurgis.

Quoties novercam fecit? escendat licet,
Meumque victrix teneat Alcmene locum;
Pariterque natus astra promissa occupet;
In cujus ortus mundus impendit diem,
Tardusque Eoo Phoebus effulsit mari,
Retinere mersum jussus Oceano jubar:
Non sic abibunt odia. vivaces aget
Violentus iras animus, et saevus dolor
Aeterna bella pace sublata geret.
Quae bella? quidquid horridum tellus creat
Inimica; quidquid pontus aut aer tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum;
Fractum atque domitum est. superat, et cre-
scit malis;
Iraque nostra fruitur: in laudes suas
Mea vertit odia. dum nimis saeva impero,
Patrem probavi: gloriae feci locum:

---

22) *teneat Alcmene locum)* Jam dixit, *Locumque coelo pulsa pellicibus dedi.* Quare videtur hic potius fecisse: *Meumque victrix teneat Alcmene torum.* Ovidius 2 Met. *Cur non et pulsa ducit Junone meoque Collocat in thalamo?* Gronovius.

Insolens fastidium vocis, tanto intervallo repetitae. *locus* utrobique notat fastigium Junonis reginae.

34) *Iraque nostra fruitur)* id est, delectatur et gaudet. Jam alii compararunt illud Juvenalis I. v. 49:

et fruitur Dis
Iratis.

36) *Patrem probavi)* Melius ita Moguntinus cum duobus Palatinis, quam *probavit,* quod in aliis est. Nemesianus de Laudibus Herculis v. 41:

Qua Sol reducens, quaque reponens diem,
Binos propinqua tingit Aethiopas face,
Indomita virtus colitur; et toto Deus
Narratur orbe. Monstra jam desunt mihi;

Licet omnia mundi
Monstra voces, ipsamque armes serpentibus Hydram,
Defendet natura Deum, patremque probabit,
Quod non vis constare, Jovem.

Seneca noster in Herc. Oet. v. 10. ex ipsius Herculis persona:

parui certe Jove
Ubique dignus, teque testata est meum
Patrem noverca.

37) *quaque deponens diem)* Lege ex scriptis *reponens*, id est, condens, ut usitatius loquuntur, cum *deponere* sit relinquere et abjicere, quod non nisi supremo mundi diei convenit. Quinctilian. Declam. III. 9: *deponet arma, an reponet?* Metro qui metuebant, *repponens* fecerunt. Sed nihil est opus. vide Burman. ad T. I. Anthol. Lat. p. 67.

38) *propinqua tingit Aethiopas face)* Theodectes incerta tragoedia:

ἧς ἀγχιτέρμων ἥλιος διφρηλατῶν
σκοτεινὸν ἄνθος ἐξέχρωσε λιγνύος
εἰς σώματ' ἀνδρῶν.

39) *toto Deus narratur orbe)* Rectius sit, *toto decus Narratur orbe.* Laudes Herculis designat; nam nondum is Deus. Heinsius.

Immo Deum Hercules jam a primis cunabulis exseruit. Nemesianus de Laudibus Herculis v. 11:

dignus credi post viscera Numen
Semper ob immensos invicti roboris aestus.

Minorque labor est Herculi jussa exsequi,
Quam mihi jubere. laetus imperia excipit.
Quae fera tyranni jussa violento queant
Nocere juveni? nempe pro telis gerit,
Quae timuit, et quae fudit: armatus venit
Leone et hydra. Nec satis terrae patent:
Effregit ecce limen inferni Jovis,
Et opima victi regis ad superos refert.
Parum est reverti: foedus Umbrarum perit.
Vidi ipsa, vidi nocte discussa inferûm,
Et Dite domito, spolia jactantem patri
Fraterna. cur non vinctum et oppressum trahit

---

et v. 41:

Defendet natura Deum.

Similiter Homerus Il. 24. v. 258. de Hectore:

ὃς θεὸς ἔσκε μετ' ἀνδράσιν.

Constat enim Dei nomen ad omnem praestantiam et excellentiam significandam adhiberi. Ipse Annaeus de Vit. Beat. 25: *me hominem esse tum maxime cogitabo, cum Deus undique consalutabor.*

52) *cur non victum et oppressum trahit)* An excidit auctori, dixisse v. 48:

opima victi regis ad superos refert?

Non. Legendum est, quod jam editio Parisiensis anni 1514. exhibet:

cur non vinctum et oppressum trahit
Ipsum catenis?

Habes ita victum Plutonem, deque victo triumphantem Herculem. Cicero de Harusp. Resp. §. 6: *Solus ille cognovit, quemadmodum armatum civem — non modo vincere, verum etiam vincire oporteret.* ubi ill. Wolfius: *Nimirum facilius est*

Ipsum catenis paria sortitum Jovi?
Ereboque capto potitur, et retegit Styga?
Patefacta ab imis Manibus retro via est,
Et sacra dirae Mortis in aperto jacent.
At ille, rupto carcere Umbrarum, ferox
De me triumphat, et superbifica manu
Atrum per urbes ducit Argolicas canem.
Viso labantem Cerbero vidi diem,
Pavidumque solem: me quoque invasit tremor,
Et terna monstri colla devicti intuens,

---

vincere hostem proelio, quam eum conficere, opprimere, eo redigere, ut vinctum in triumpho ducas.

54) *et retegit Styga) retegit* ita quidem, ut ex obscura fiat illustris, et amoenam pro tristi faciem ostendat. Neque enim periculum est, ne regnum adfectet in caliginem et tenebras. Infra v. 609. Hercules ipse:

Et si placerent tertiae sortis loca,
Regnare potui.

Ne placerent, nox obstitit foeda locorum inferorum. Quo etiam dixit Virgilius Georg. I. v. 37. ad Augustum:

nam te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.

55) *Patefacta ab imis manibus)* Huc alludere videtur Statius Theb. II. v. 14:

ipsaque tellus
Miratur patuisse retro.

62) *terna monstri colla) terna* pro tria. Sic infra v. 796. de eodem:

vocis horrendae fragor
Per ora missus terna felices quoque
Exterret umbras.

quomodo et Ovidius non semel. Vid. Heinsium ad Heroid. IX. v. 38.

Timui imperasse. Levia sed nimium queror,
Coelo timendum est; regna ne summa occupet,
Qui vicit ima. sceptra praeripiet patri.
Nec in astra lenta veniet, ut Bacchus, via:
Iter ruina quaeret, et vacuo volet
Regnare mundo. Robore experto tumet,
Et posse coelum viribus vinci suis
Didicit ferendo. subdidit mundo caput,
Nec flexit humeros molis immensae labor,
Meliusque collo sedit Herculeo polus.
Immota cervix sidera et coelum tulit,
Et me prementem. Quaerit ad superos viam.
Perge ira, perge, et magna meditantem opprime.
Congredere; manibus ipsa dilacera tuis.

---

72) *Mediusque collo sedit)* Immo *Meliusque.* Tale illud Claudiani,

Firmior Herculea mundus cervice pependit.

Heinsius.

Nihil certius hac emendatione. Claudianus XXI v. 144:

Sic Hercule quondam
Sustinente polum, melius librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit signifer astris:
Perpetuaque senex subductus mole parumper
Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas.

74) *me prementem)* Dejanira Nasonis, IX. Heroid. 11:

Plus tibi, quam Juno, nocuit Venus. Illa premendo
Sustulit; haec humili sub pede colla tenet.

76) *ipsa dilacera tuis)* Ita Florentinus; estque melius, quam quod aliàs legitur *jam lacera.* Nam *dilacerare* feris proprium est. Atqui ferarum in vicem ipsa jam succedit Juno.

Quid tanta mandas odia? discedant ferae:
Ipse imperando fessus Eurystheus vacet.
Titanas ausos rumpere imperium Jovis
Emitte: Siculi verticis laxa specum.
Tellus gigante Doris excusso tremens,
Supposita monstri colla terrifici levet.
Sublimis alias Luna concipiat feras.
Sed vicit ista. Quaeris Alcidae parem?
Nemo est, nisi ipse. bella jam secum gerat.
Adsint ab imo Tartari fundo excitae
Eumenides: ignem flammeae spargant comae;
Viperea saevae verbera incutiant manus.
I nunc, superbe, coelitum sedes pete;
Humana temne. jam Styga et Manes, ferox,
Fugisse credis? heic tibi ostendam inferos.

---

77) *mandas odia)* id est, aliis exsequenda committis. Plane ita Reposianus in Concubitu Martis et Veneris v. 169. de Vulcano:

totas arti mandaverat iras.

ubi conf. Wernsdorf.

85) *bella jam secum gerat)* Sic etiam loquitur in Oedipo v. 237:

Tecum bella geres.

89) *I nunc, superbe)* In Florentino est *superbae,* unde Heinsius ad Claudian. XV. v. 138. *superbas coelitum sedes* facit. Vulgata se tuetur vocibus Junonis v. 57:

At ille, rupto carcere Umbrarum, ferox
De me triumphat, et superbifica manu
Atrum per urbes ducit Argolicas canem.

et similibus insultationibus nostri Med. v. 650:

Ite nunc, fortes; perarate pontum
Fonte timendo.

Revocabo in alta conditam caligine
Ultra nocentum exsilia discordem Deam,
Quam munit ingens montis oppositi specus.
Educam, et imo Ditis e regno extraham
Quidquid relictum est. veniat invisum Scelus,
Suumque lambens sanguinem Impietas ferox,
Errorque, et in se semper armatus Furor.
Hoc hoc ministro noster utatur dolor.
Incipite, famulae Ditis: ardentem incitae
Concutite pinum: et agmen horrendum anguibus
Megaera ducat; atque luctifica manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem.

Juvenalis X. Sat. 166:

i, demens, et saevas curre per Alpes.

et aliorum poëtarum.

92) *Revocabo in alta)* *Revocabo* tanquam a te praetermissam et relictam. Plin. Hist. Nat. XVIII. 8. 3: *praetermissa frustra revocari.*

100) *ardentem incitae concutite pinum)* *incitae* multo acrius quam *citae*, quod in Florentino legitur. Val. Flaccus I. v. 728:

incita longis
Porticibus conjuxque fugit natique Lycurgum.

Concutite pinum, quia, ut ait Plinius Epist. IV. 9. 11. faces ignem assidua concussione custodiunt, dimissum aegerrime reparant.

103) *Vastam rogo flagrante)* Heinsius legendum conjicit *Pastam rogo flagrante trabem*, vel *Ustam.* Sed in *rogo flagrante* subaudi *ab*, et confer de hac ellipsi Burmannum ad Claudian. XXIII. v. 11. Variata oratione ait Claudianus III. v. 121. de eadem:

Hoc agite. poenas petite violatae Stygis:
Concutite pectus: acrior mentem excoquat
Quam qui caminis ignis Aetnaeis furit.
Ut possit animum captus Alcides agi,
Magno furore percitus, nobis prius
Insaniendum est. Imo, cur nondum furis?
Me, me, sorores mente dejectam mea
Versate primam, facere si quidquam apparo
Dignum noverca. jam odia mutentur mea.
Natos reversus videat incolumes, precor,
Manuque fortis redeat. inveni diem,
Invisa quo nos Herculis virtus juvet:
Me pariter et se vincat; et cupiat mori
Ab inferis reversus. heic prosit mihi,
Jove esse genitum. stabo, et ut certo exeant
Emissa nervo tela, librabo manu:

---

ambusto flagrantis ab aggere ripae
Ingentem piceo succendit gurgite pinum.

104) *violatae Stygis)* Florentinus *vitiatae*, quod mendum scriptoris est. Apud Statium Theb. VIII. v. 52. Pluton:

Anne profanatum toties Chaos hospite vivo
Perpetiar.

105) *Concutite pectus)* Ut apud Virgilium Aen. VII. v. 338:

fecundum concute pectus.

ubi videatur Heynius.

107) *animo captus)* Plurima codicum pars *animum captus*, eleganti poëtisque familiari Graecismo. Vid. Bentlei. ad Horat. Od. III. 10. 18.

119) *librabo manum)* Scribe: *librabo manu.* Nam tela

Regam furentis arma: pugnanti Herculi
Tandem favebo. scelere perfecto, licet,
Admittat illas genitor in coelum manus.
Movenda jam sunt bella; clarescit dies,
Ortuque Titan lucidus croceo subit.

CHORUS THEBANORUM.

Jam rara micant sidera prono
Languida mundo: nox victa vagos

---

manu librantur, non manus telis. Sic Medea (v. 534):

Nec diligenti tela librentur manu.

sic infra, hac ipsa Tragoedia v. 1128:

Telum Scythici leve coryti
Missum, certa librare manu.

Heinsius.

Reposui emendationem per se probabilem, et auctores insuper habentem codices longe praestantissimos, Melisseum atque Florentinum, quibus accedit unus e Palatinis. Ait Juno, suapte manu se directuram tela Herculis in corpora liberorum. Ita fortium sagittas arbitrio suo moderantur coelestes apud Homerum Il. IV. v. 132. Nonnum p. 724. v. 9. et p. 744. v. 26. Statium Theb. VI. v. 754. et alios. Plane ita vero Delius tela Paridis in Achillem dirigit Ovidio Met. XIII. v. 606:

Certaque letifera direxit spicula dextra.

126) *vagos Contrahit ignes)* Nostrum ob oculos habuit Statius, eandem rem describens Thebaid. VIII. v. 273:

Tempus erat, junctos cum jam soror ignea Phoebi
Sentit equos, penitusque cavam sub luce parata

Contrahit ignes: luce renata
Cogit nitidum Phosphoros agmen:
Signum celsi glaciale poli
Septem stellis Arcades ursae
Lucem verso temone vocant:
Jam caeruleis evectus aquis

Oceani mugire domum, seseque vagantem
Colligit, et moto leviter fugat astra flagello.

127) *luce renata)* *luce novata* e duobus libris manu scriptis defendit Gronovius in Diatribe in Stat. Silv. cap. 36. et confert Senec. Med. v. 100:

nitidum jubar
Pastor luce nova roscidus aspicit.

renata tamen servato in contextu. Nec est, quod mutes. Idem Seneca Troad. v. 10:

qui renatum primus excipiens diem.

et Herc. Oet. v. 861:

renatum prima quae poscit diem
Oeta.

128) *Cogit nitidum Phosphoros agmen)* Imitatur Ovidium II. Met. 115:

diffugiunt stellae: quarum agmina cogit
Lucifer, et coeli statione novissimus exit.

131) *Lucem verso temone vocant)* id est, provocant, venturam significant. Vid. Burman. ad Virg. Georg. III. v. 193. Pro interpretatione verborum *verso temone* est imitatio Statii Theb. III. v. 414:

erecto currum temone supinant.

132) *coeruleis evectus equis)* In duobus Mss. repertum mihi *aquis*, quod et margini adnotarat Grotius. Et his videtur magis quadrare adjunctum *coeruleis*, quam Phoebi *equis*. Gronovius.

Titan summa prospicit Oeta:
Jam Cadmeis inclyta Bacchis

Vulgatam quidem sequutus est Burmannus, locum hunc laudans ad Ov. Met. III. v. 150:

altera lucem
Cum croceis evecta rotis Aurora reducet.

Sed poterat re salva meliorem lectionem negligere, ut qui nihil aliud nisi incertum *evecta* certo *evectus* probaret.

133) *prospicit Oeta)* De ortu solis ab Oeta conf. Heynium ad Virg. Ecl. VIII. v. 30.

134) *Cadmeis inclyta baccis)* Omnino scribendum, *Cadmeis Bacchis:* quod miror ab editionibus hactenus exsulare. *baccas* pro uvis quis unquam posuit? Cithaeronem designat, et in eo Pentheum a Cadmi filiabus discerptum. Unde et Papinio *Penthei devexa jugi,* pro Cithaerone. Certe Florentinus *Cadmeis induta Bacchis,* pro *incluta,* ut fere semper. Vix incidit Cithaeronis mentio apud Poëtas, quin et Penthei in eo discerpti meminerint. *Cadmeae Bacchae,* quod Cadmi essent filiae. *Cadmeis Agave* Maroni in Culice. *Cadmeïa Leucothoe* Claudiano. *Cadmeïa Ino* Senecae Oedipo (v. 446). et hae inter Cadmeas Bacchas. infr. v. 758:

Errant furentes impiae C a d m e i d e s.

Oedipo actus secundi choro, qui vicem hymni Bacchici obtinet (v. 435):

nunc C a d m e a s
Inter m a t r e s impia Maenas
Comes Ogygio venit Iaccho.

eadem Tragoedia (v. 1006):

qualis attonita ac furens
C a d m e a m a t e r abstulit gnato caput
Sensitve raptum.

Aspersa die dumeta rubent:
Phoebique fugit reditura soror.
Labor exoritur durus, et omnes
Agitat curas, aperitque domos.
Pastor gelida cana pruina

Claudianus:

Quales Aonio Thebas de monte reversae
Maenades, infectis Pentheo sanguine thyrsis,
Cum patuit venatus atrox.

et alibi idem:

Sic mons Aonius rubuit, cum Penthea ferrent
Maenades.

vide Phoenissis v. 17. non dissimilem Cithaeronis descriptionem. Heinsius.

Jam ita legendum vidit Gronovius, sed mentem poëtae minus recte interpretatus est. Nam *Bacchis* de Bacchanalibus, vel Orgiis Bacchi capere, haudquaquam adpositum sinit *Cadmeis.*

135) *dumeta rubent)* Ante oculos fuit Lucretius V. v. 463:

Aurea cum primum gemmantes rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina solis.

137) *Labor exoritur durus)* Hinc Aurora δημιοεργός audit Homero Hymn. in Merc. v. 98. et ἐγέρσιμος Nonno Dionys. p. 50. v. 22. qui somnum e contrario λυσίπονον vocat ibid. p. 698. v. 27.

138) *Agitat curas, aperitque domos)* Puto,

et omnes
Agitat curis, operitque domos.

operire curis domos, involvere. Heinsius.

Nihil opus. *Aperit domos*, quae scilicet nocte claudebantur. Horatius Od. III. 7. 29:

Prima nocte domum claude.

Grege dimisso pabula carpit.
Ludit prato liber aperto
Nondum rupta fronte juvencus.
Vacuae reparant ubera matres.
Errat cursu levis incerto
Molli petulans hoedus in herba.
Pendet summo stridula ramo,
Pennasque novo tradere soli
Gestit querulos inter nidos
Thracia pellex; turbaque circa
Confusa sonat, murmure mixto
Testata diem. carbasa ventis
Credit, dubius navita vitae,

---

agitat curas, id est, movet, excitat. Statius Theb. I. v. 498:

dum proximus aegris
Infundat Titan agiles animantibus ortus.

ut contra nox curas hominum componere dicitur ibid. III. v. 415.

140) *pabula carpit)* Imitatio Virgiliana. III. Georg. 325:

Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.

149) *turbaque circa Confusa sonat)* Ascensius edidit *circum,* credo, ut Grammaticis gratificaretur, statuentibus, *circum* esse loci, *circa* autem temporis. Verum istam legem passim migrant poëtae, docente Broukhusio ad Propert. IV. 6. 6. cujus exemplis adde Senec. Oedip. v. 312:

An latera circa serpit incertus viae.

Laxos aura complente sinus.
Hic exesis pendens scopulis,
Aut deceptos instruit hamos;
Aut suspensus spectat pressa
Praemia dextra. sentit tremulum
Linea piscem.
Haec, innocuae quibus est vitae
Tranquilla quies, et laeta suo
Parvoque domus, res et in agris.

---

156) *Aut suspensus spectat*) *sperat* malebat Gronovius, correctione minus necessaria. Theocrit. XXI. v. 42:

καθεζόμενος δὲ δόκευον
ἰχθύας, ἐκ καλάμων δὲ πλάνον κατέσειον ἐδωδάν.

Martial. X. 30. 18:

Sed a cubiculo lectuloque jactatam
Spectatus alte lineam trahit piscis.

Adde quae annotavit Burdelotius ad verba Petronii: *sine spe praedae moratur in scopulo*, cap. 3 extr.

Ibid.) *pressa Praemia dextra*) *pressa*, id est, demissa. Senecam ita expressit Ausonius in Mosella v. 247:

Ille autem scopulis subjectas pronus in undas
Inclinat lentae convexa cacumina virgae,
Indutos escis jaciens letalibus hamos.

161) *Haec innocuae quibus est vitae Tranquilla quies, et laeta suo Parvoque domus, spes et in agris. Turbine magno spes sollicitae Urbibus errant, trepidique metus.*) Versus ille,

Turbine magno spes sollicitae

deſit in Melisseo. ubi etiam, *spes jam magnis.* Retinet tamen Lipsius loco motum, hoc modo: *spes jam magnis Urbibus errant trepidique metus, Turbine magno spes sollicitae:* quae repetitio illi videtur

Turbine magno spes sollicitae
Urbibus errant, trepidique metus.

---

decora. Mihi vehementer displicet, quia media est *metus* mentio, et offendit aures *τὸ magno.* Gruterus ex Ms. uno sic ordinat hos anapaestos: *Linea piscem. haec innocuae Quibus est vitae tranquilla quies, Et laeta suo parvoque domus. Spes in magnis, spes sollicitae, Urbibus errant, trepidique metus.* Sed vacillat primus versus, nisi facias, *tremulos Linea pisces.* Eodem errore supra Delrius, *septem stellae Arcades, Ursae*, et frequens enim, inquit, hiatus in his tragoediis. Hoc nos ei non credimus. Florentinus dat secundum Melisseum. Quare frustra laboramus, ut garo gerrem addamus. Scribe: *Parvoque domus. Spes in magnis Urbibus errant trepidique metus. Ille superbos, etc.* Versus iste, *Turbine magno,* adjectus est primum iis libris, quibus, quod praecedit chori, defuit, sive omissum sive transpositum, ad explendam sententiam. Gronovius. Pro *spes et in agris* restituendum, *res et in agris,* ut rem pro divitiis ac censu ponat. Propertius,

Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.

sic omnes divitias in peculio ac agris repositas habebant aureo saeculo. *res* pro fundis. Juvenalis Sat. XI:

aere paterno
Ac rebus mersis in ventrem.

nisi mavis cum Lipsiano et Florentino excludere versum illum,

Turbine magno spes sollicitae.

Possis etiam,

Parvisque domus res et in agris.

quale Maronianum illud,

laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

Ille superbos aditus regum,
Durasque fores, expers somni,
Colit: hic nullo fine beatas
Componit opes, gazis inhians,

---

quibus similia et alibi complura in scriptoribus passim occurrunt. Heinsius.

Adsumsi *res.* Eaedem voces confunduntur apud Ovidium Met. III. v. 417. *turbine magno* videtur poëtae in mentem venisse ex Horatii Epist. II. 2. 85:

rerum
Fluctibus in mediis, et tempestatibus urbis.

laeta exquisite pro contenta, quomodo loquitur Cicero de Offic. I. §. 70: *cum hoc commune sit potentiae cupidorum cum iis, quos dixi, otiosis: alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant; alteri, si contenti sint et suo et parvo.* qui locus et Annaeanum *parvo* corruptelae suspicione liberat.

164) *superbos aditus regum)* pro eo, quod Horatius Epod. 2. v. 7. ait: *superba civium potentiorum limina.*

166) *hic nullo fine beatus Componit opes)* Pars bona codicum ac editionum *beatas Componit opes*, quod praetulimus, ut magis rationi poëticae consentaneum. Propertius II. 16. 25:

Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis.

Horatius Od. I. 29. 1:

beatis nunc Arabum invides
Gazis.

Statius Silv. I. 2. 121:

Huic quamvis census dederim largita beatos,
Vincit opes animo.

Et congesto pauper in auro est.
Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani:
Hic clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat. Novit paucos
Secura quies, qui velocis
Memores aevi, tempora nunquam
Reditura tenent. Dum fata sinunt,
Vivite laeti. properat cursu
Vita citato, volucrique die

---

168) *pauper in auro est)* Male quidam omittunt *est*, sine quo placere, aut intelligi adeo, non potest oratio. Sententiae auctor Horatius Od. III. 16. 28:

Magnas inter opes inops.

170) *mobile vulgus)* Hoc ita expressit in Thyest. v. 351:

nunquam stabilis favor
Vulgi.

179) *volucrique die Rota praecipitis vertitur anni)* Pro *die* Marklandus ad Stat. Silv. V. v. 17. legi malit *pede*, aut etiam *vice*. Qualis videtur hic tibi sermo: *praeceps est praecipitis anni conversio?* Huc enim redeunt ista: *volucri pede, vice rota praecipitis vertitur anni.* Debetur autem epitheton Horatio. Od. III. 28. 6:

ac veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.

Ad Senecae verba proxime accedit Prosperi Tyronis locus in Exhortatione ad conjugem v. 5:

Celeri vides rotatu
Rapidos dies meare.

Rota praecipitis vertitur anni.
Durae peragunt pensa Sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta sui:
Stygias ultro quaerimus undas.
Nimium, Alcide, pectore forti
Properas moestos visere Manes.
Certo veniunt ordine Parcae.
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos.
Alium multis gloria terris

---

181) *Durae peragunt pensa Sorores)* Est imitatio Virgiliani istius Aen. X. v. 467:

Stat sua cuique dies; breve et inreparabile tempus
Omnibus est vitae.

183) *At gens hominum)* Sensus est: ipsi tamen durum properamus fatum, ut loquitur infr. v. 867. Seriem cogitatorum scindit Heinsius, dum *At* mutat in *Ut*, jubetque Chorum exclamare:

Ut gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis!

192) *Alium multis gloria terris Tradat)* Cl. Jacobs Animadv. in Euripid. Tragoed. p. 326. ταυτολογίαν in *terris* et *urbes* inesse ratus, emendat: *seclis Tradat.* Sed *gloriam seclis tradentem* anteponi *famae per urbes laudanti*, nemo probabit. Rectum erat, si diceret: *Alium omnes fama per urbes garrula laudet, et multis gloria seclis tradat.* Ita Macrobius II. Somn. Scip. 10: *In appetenda gloria duo sunt maxime, quae praeo-*

Tradat, et omneis fama per urbes
Garrula laudet, coeloque parem
Tollat et astris: alius curru
Sublimis eat. me mea tellus
Lare secreto tutoque tegat.
Venit ad pigros cana senectus:
Humilique loco, sed certa sedet
Sordida parvae fortuna domus:
Alte virtus animosa cadit.
Sed moesta venit crine soluto
Megara, parvum comitata gregem;
Tardusque senio graditur Alcidae parens.

---

ptari possint, ut et quam latissime vagetur, et quam diutissime perseveret. Mihi vero nihil hic mendosum videtur. Terris traditum fama laudat per urbes, quae partes terrarum sunt.

194) *caeloque parem Tollat)* Cicero pro Milone §. 97. de eadem: *hanc denique esse, cujus gradibus etiam homines in coelum viderentur ascendere.*

ACTUS SECUNDUS.

MEGARA, AMPHITRYON.

MEG. O magne Olympi rector, et mundi arbiter,
Jam statue tandem gravibus aerumnis modum,
Finemque cladi. nulla lux unquam mihi
Secura fulsit. finis alterius mali
Gradus est futuri. protenus reduci novus
Paratur hostis. antequam laetam domum
Contingat, aliud jussus ad bellum meat.
Nec ulla requíes, tempus aut ullum vacat,
Nisi dum jubetur: sequitur a primo statim

---

212) *tempus aut ullum datur)* Multo exquisitius in Florentino legitur:

Nec ulla requies, tempus aut ullum v a c a t,
Nisi dum jubetur.

id est, tempus aut ullum est illi vacivum laboris. Vindicavit jam hanc scripturam Heinsius ad Ovid. Trist. IV. 3. 77.

213) *a primo)* id est, a principio. Sic apud Ciceronem de Fin. III. §. 32: *quod autem in quo Sapienter dicimus, id a* p r i m o *rectissime dicitur.* ubi vid. Ernest.

Infesta Juno. numquid immunis fuit
Infantis aetas? monstra superavit prius,
Quam nosse posset. gemina cristati caput
Angues ferebant ora, quos contra obvius
Reptavit infans; igneos serpentium
Oculos remisso lumine ac placido intuens,
Arctos serenis vultibus nodos tulit;
Et tumida tenera guttura elidens manu,
Prolusit hydrae. Maenali pernix fera,

---

219) *remisso lumine)* id est, vultu hilari atque laeto. Ovidius ex Pont. II. 2. 65:

Cumque serenus erit, vultusque r e m i s e r i t illos.

Hanc ipsam rem ita expressit Nemesianus, de Laudibus Herculis v. 53:

lumine recto
Ridebas tu, Dive, truces animosque superbos
De genitore tenens, votisque aptissimus orbis
Gaudebas tantam jam tum meruisse novercam.
Corripis exiguis mox grandia guttura palmis;
Et quamvis teneris, cogens in brachia pondus,
Corripis, illidens prensos tellure dracones.

220) *nodos tulit)* id est, spiras, nexus tulit, quomodo Reposianus de Venere loquitur in Concubitu Martis et Veneris v. 26:

Illa manus d u r o s n e x u s tulit, illa mariti
Ferrea vincla sui. quae vis fuit ista doloris?
An fortem faciebat Amor?

221) *guttura elidens)* Nostrum ob oculos habuit Nemesianus, de Laudibus Herculis v. 95:

Invadis trepidum, solisque lacertis
Grandia corripiens eliso guttura morsu,
Imbellem fractis prosternis faucibus hostem.

Multo decorum praeferens auro caput,
Deprensa cursu est. maximus Nemeae timor
Pressus lacertis gemuit Herculeis leo.
Quid stabula memorem dira Bistonii gregis,
Suisque regem pabulum armentis datum?
Solitumque densis hispidum Erymanthi jugis
Arcadia quatere nemora Maenalium suem?
Taurumque centum non levem populis metum?
Inter remotos gentis Hesperiae greges
Pastor triformis littoris Tartessii

---

225) *Gemuit lacertis pressus Herculeis leo*) Elegantiori verborum ordine Florentinus habet:
Pressus lacertis gemuit Herculeis leo.

232) *Pastor triformis littoris Tartessii Peremptus, acta est praeda*) Veteres editiones distinguunt:
Pastor triformis littoris Tartessii
Peremptus. acta est praeda ab occasu ultimo.
idque rectius. *praedam* intellige pecoris vel gregem captivum, ut hic loquitur Avienus in Descript. Or. Marit. v. 328. *est* in *et* mutavit Withofius, immemor Senecam Asyndetis delectari. Phoenis. v. 405:
Nudum inter enses pectus infestos tene.
Aut solve bellum, mater, aut prima excipe.
Hippol. v. 428:
justa, qui reges timet,
Deponat. omne pellat ex animo decus.
Oedip. v. 153:
Perdidit pestem latebrosa serpens.
Aret, et sicco moritur veneno.
Hac ipsa Scena v. 238:
Utrinque montes solvit. abrupto objice
Latam ruenti fecit Oceano viam.

Peremptus. acta est praeda ab occasu ultimo.
Notum Cithaeron pavit Oceano pecus.
Penetrare jussus Solis aestivi plagas,
Et adusta medius regna quae torret dies,
Utrinque montes solvit, abrupto objice
Latam ruenti fecit Oceano viam.
Post haec, adortus nemoris opulenti domos,
Aurifera vigilis spolia serpentis tulit.
Quid? saeva Lernae monstra, numerosum malum,
Non igne demum vicit, et docuit mori?

Melius etiam *Tartessii,* quam quod Heinsio ad Ovid. Met. XIV. v. 416. placuit *Carpesii.* Nam sequitur *ab occasu ultimo,* et *Tartessi* nomen poëtis extremi occidentis plagam significat. Vid. Ovid. l. c. Sil. III. v. 299. VI. v. 1. et alios.

238) *Utrinque montes solvit abrupto objice, Et jam ruenti fecit Oceano viam*) Lege, ut in Lipsii Gronoviique membranis habetur:

Utrinque montes solvit. abrupto objice
Latam ruenti fecit Oceano viam.

Non enim maria montium, sed montes marium obices erant. Mela I. 5. 20: *est mons praealtus, ei, quem ex adverso Hispania attollit, objectus: hunc Abylam, illum Calpen vocant, columnas Herculis utrumque. Addit fama nominis fabulam, Herculem ipsum junctos olim perpetuo jugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum, ad quae nunc inundat, admissum.* Pro *abrupto* Gronovius tentabat *ac rupto.* Sed Asyndeta Senecae placere vidimus ad v. 232. Heinsius *ruenti* corrigit *irruenti.* Temerarium et hoc. *ruit*, ab obstantia liberatus.

Solitasque pennis condere obductis diem
Petiit ab ipsis nubibus Stymphalidas?
Non vicit illum caelibis semper tori
Regina gentis vidua Thermodontiae:
Nec ad omne clarum facinus audaces manus
Stabuli fugavit turpis Augei labor.

---

243) *pennis condere obductis diem*) *pennis obductis* eadem ratione dixit, qua dicit Plinius Epist. VII. 21. 2: *Cubicula obductis velis opaca;* ne cum Heinsio legas *obductum.*

248) *Stabuli fugavit turpis Augiae labor*) *Augei* in scriptis. et probe omnino, sive adjectivum est seu substantivum: etsi adjectivum hic loci malo. nam *Augaei* in Florentino mendosum haberi par est. *Augeas* etiam, non *Augias* in membranis constanter, quotiescunque nomen id occurrit. Graecis est *Αὐγείας*. sic Hygino Fab. XIIII. ubi Argonautas recenset: *Augeas Solis et Naupidames Amphidamantis filiae filius. hic fuit electus.* Scribe, *hic fuit Eleus.* et Fab. XXX. *Augei regis stercus bovile uno die purgavit majorem partem Iolao adjutore, flumine Alpheo immisso totum stercus abluit.* vulgati, *Jove adjutore;* a quibus et *Alphei* nomen abest. Ausonius de laboribus Herculis:

Septimaque Augei stabulis impensa laboris.

et in Catalectis Pithoeanis ejusdem argumenti carmine:

Septimus Augei stabulis labor egerit undis.

sic enim utroque loco membranae, uti dicebam, quas complures inspexi pervetustas. Tertullianus adversus Nationes libro II. cap. 9: *plus fimi Augeas conferebat.* Plinius lib. XVII. cap. 9. de laetificando agro: *Augeas rex excogitasse dicitur.* sed et in

Quid ista prosunt? orbe defenso caret.
Sensere terrae pacis auctorem suae
Abesse terris. prosperum ac felix scelus
Virtus vocatur. sontibus parent boni.
Jus est in armis, opprimit leges timor.
Ante ora vidi nostra, truculenta manu
Natos paterni cadere regni vindices:
Ipsamque Cadmi nobilis stirpem ultimam
Occidere. vidi regium capitis decus
Cum capite raptum. quis satis Thebas fleat?
Ferax deorum terra quem dominum tremis?
E cujus arvis, eque foecundo sinu

Apocolocynthosi Senecae: *maluisses cloacas Augei purgare*, opinor in vetustis exemplaribus fuisse, ex quibus eum locum primus restituit in Adagiis Erasmus; non *Augiae cloacas*. Heinsius.

Restitui scripturam, uno omnium librorum consensu firmatam. *Augei* vero pro substantivo accipere, nihil impedit, frequentissimus cum sit ille duorum genitivorum concursus, ut praeter alios ostendere Perizonius ad Sanct. II. 3. 15. et Burmannus ad Lucan. IX. v. 8. Nam qui *Stabuli* cum *Stabulis* mutant, ii simplicem genitivum vitioso sermone redimunt.

253) *Jus est in armis*) Hunc forte locum respexit Silius II. v. 504:

Vis colitur, jurisque locum sibi vindicat ensis.

255) *regni vindices*) Bene Gronovius, *futuros, si daretur.* non dissimile illud Justini Lib. VIII. cap. 2. *victoris potentiam non ferre.* pro victoris futuri, si victor fuisset. vide illic Vorstii notas. Burmannus ad Tom. I. Anthol. Lat. p. 296.

Stricto juventus orta cum ferro stetit;
Cujusque muros natus Amphion Jove
Struxit, canoro saxa modulata trahens;
In cujus urbem non semel Divûm parens
Coelo relicto venit; haec quae coelites
Recepit, et quae fecit, et (fas sit loqui)
Fortasse faciet, sordido premitur jugo.
Cadmea proles, civitasque Amphionis,
Quo decidistis? tremitis ignavum exsulem,

---

266) *et quae fecit*) id est, genetrix Deorum fuit, quomodo Rutilius de Roma loquitur I. Itiner. 49. Usus hac formula est etiam Auctor Octaviae v. 449.

268) *civitasque Amphionis*) Heinsius verens, ne, cum *Amphion* praecesserit, delicatas aures offendat repetitio, legendum censet *Echionium genus* vel *Echionius cinis*. Verum tot verba interjecta facile medentur vel delicatissimo aurium fastidio. Id *Echionium genus*, quod *genus* et *proles* nihil differunt, *ταυτολόγον* facit Senecam. *Cinis* autem *Ophionius* alienissimum est; itaque et *Echionius*. Neque enim de umbris accipere contextus permittit.

269) *Quo decidistis*) Alii *recidistis*. Vulgatum firmatur imitatione Claudiani XV. v. 45:

> *Hei mihi, quo Latiae vires, Urbisque potestas*
> *Decidit?*

et perpetua Senecae consuetudine. Epist. 92: *non potest sapiens ex beato in miserum decidere.* Ibid. 95: *ceteri decidunt subinde, et reponuntur, et inter omissa appetitaque alternis fluctuantur.* Quaest. Nat. IV. Praef. *Sciebam olim sub illo in eum statum res humanas decidisse, ut inter misericordiae opera haberetur, occidi.* De verbi potestate confer Ernestium ad Sueton. Claud. 9.

Suis carentem finibus, nostris gravem?
Qui scelera terra, quique persequitur mari,
Ac saeva justa sceptra confringit manu,
Nunc servit absens, fertque quae ferri vetat:
Tenetque Thebas exsul Herculeas Lycus.
Sed non tenebit. aderit, et poenas petet,
Subitusque ad astra emerget: inveniet viam,
Aut faciet. Adsis sospes et remees, precor:
Tandemque venias victor ad victam domum.
Emerge, conjux, atque dispulsas manu
Abrumpe tenebras: nulla si retro via,
Iterque clausum est, orbe diducto redi;
Et quidquid atra nocte possessum latet,
Emitte tecum. dirutis qualis jugis

---

276) *Subitusque ad astra emerget*) *ad astra*, id est, ad superas auras. Idem Hippol. v. 1213:

patuit ad coelum via.

Agam. v. 859:

Tractus ad coelum canis inferorum.

Hoc ipso Dramate v. 505:

orbe si remolito queat
Ad supera victor numina Alcides vehi.

et v. 586:

cum clara deos obtulerit dies,
Spartanique aderit janua Taenari.

281) *orbe diducto*) Arnzenius ad Plin. Paneg. 66. 1. notavit in codice Trajectino legi *deducto*. Frequens hic error. vid. Burm. ad Ov. Met. VIII. v. 586. *diducto* pro dirupto. Sic etiam Auctor Octaviae v. 725:

Diducta subito patuit ingenti mihi
Tellus hiatu.

Praeceps citato flumini quaerens iter,
Quondam stetisti, scissa cum vasto impetu
Patuere Tempe. pectore impulsus tuo
Huc mons et illuc cecidit, et rupto aggere
Nova cucurrit Thessalus torrens via.
Talis parentes, liberos, patriam petens,
Erumpe, rerum terminos tecum efferens;
Et quidquid avida tot per annorum gradus
Abscondit aetas, redde; et oblitos sui,
Lucisque pavidos ante te populos age.
Indigna te sunt spolia, si tantum refers,
Quantum imperatum est. Magna sed nimium loquor,
Ignara nostrae sortis. Unde illum mihi,
Quo te tuamque dexteram amplectar, diem,
Reditusque lentos nec mei memores querar?
Tibi, o Deorum ductor, indomiti ferent
Centena tauri colla: tibi, frugum potens,

---

290) *rerum terminos tecum efferens*) *Rerum terminus* idem est, ac rerum finis et extremitas. *rerum terminos tecum efferens*, hoc est, imas terrae radices tecum evellens. Seneca Epist. 94: *Adjice nunc quod sapientis praecepta finita esse debent et certa; si qua finiri non possunt, extra sapientiam sunt: sapientia rerum terminos novit.* Iterum Epist. 110: *Sed ipsum illud Cadere non habet in se mali quicquam, si exitum spectes, ultra quem natura neminem dejicit. Prope est rerum omnium terminus, prope est, inquam, et illud unde infelix emittitur.* Bentleius ad Horat. Carm. Saec. v. 26.

300) *tibi, frugum potens*) Quidam *parens* legunt. Sed me-

Secreta reddam sacra: tibi muta fide
Longas Eleusin tacita jactabit faces.
Tum restitutas fratribus rebor meis
Animas, et ipsum regna moderantem sua
Florere patrem. si qua te major tenet
Clausum potestas; sequimur. aut omnes tuo
Defende reditu sospes; aut omnes trahe.
Trahes, nec ullus eriget fractos Deus.
AMPH. O socia nostri sanguinis, casta fide
Servans torum natosque magnanimi Herculis,
Meliora mente concipe, atque animum excita.
Aderit profecto, qualis ex omni solet
Labore, major. MEG. Quod nimis miseri volunt,

---

rito vulgatum defendit Gronovius; quem tamen miror non animadvertisse, Cereris hanc appellationem Ovidio sublectam esse. III. Amor. 10. 35:

Diva potens frugum silvis cessabat in altis.

302) *Eleusin tacita jactabit faces*) Huic Megarae voto non dissimile est illud Argiae, sponsae Polynicis, apud Statium Theb. IV. v. 209:

Cum regis uxor, cum te mihi sospite, templa
Votivis implenda choris.

Eadem vero figura dixit Claudianus XXXIII. v. 11:
sanctasque faces extollit Eleusin.

306) *aut omnes tuos*) Florentinus: *tuo Defende reditu,* quod est ad concinnitatem aptius. Nam *omnes* et *tuo* hic inter se opponuntur, ut apud Ciceronem in Orat. pro Marcel. §. 22: *quis est — qui non intelligat, tua salute contineri suam? et ex unius tua vita pendere omnium?*

Hoc facile credunt. AMPH. Immo quod metuunt nimis,
Nunquam amoveri posse, nec tolli putant.
Prona est timori semper in pejus fides.
MEG. Demersus, ac defossus, et toto insuper
Oppressus orbe, quam viam ad superos habet?
AMPH. Quam tunc habebat, cum per arentem plagam,
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas; bisque discedens fretum,
Et bis recurrens: cumque deserta rate
Deprensus haesit Syrtium brevibus vadis,
Et puppe fixa maria superavit pedes.
MEG. Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit: nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem saepe transit casus, aliquando invenit.
Sed ecce saevus, ac minas vultu gerens,
Et qualis animo est, talis incessu venit
Aliena dextra sceptra concutiens Lycus.

LYCUS, MEGARA, AMPHITRYON.

LYC. Urbis regens opulenta Thebanae loca,
Et omne quidquid uberi cingit solo

---

328) *Quem saepe transit casus*) Eandem sententiam posuit in Quaest. Nat. VI. 1: *Circuit fatum, et si quid diu praeterit, repetit.*

332) *opulenta*) Θήβην ἀφνειὴν vocat Nonnus p. 1234. v. 9.

333) *Et omne quidquid uberi cingit solo Obliqua Phocis*)

Obliqua Phocis, quidquid Ismenos rigat,
Quidquid Cithaeron vertice excelso videt,
Et bina findens Isthmos exilis freta,
Non vetera patriae jura possideo domus
Ignavus haeres: nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus, qui genus jactat suum,
Aliena laudat. Rapta sed trepida manu
Sceptra obtinentur: omnis in ferro est salus.
Quod civibus tenere te invitis scias,
Strictus tuetur ensis. alieno in loco
Haud stabile regnum est. una sed nostras potest

Malim, *uberi jungit solo*, vel *uberis jungit soli.* ut Hercule Oetaeo v. 627. *ruraque dives jungat Hydaspes.* nam *cingat* etiam illic ante consultum ab hominibus eruditis codicem Florentinum legebatur. Petronii fragmentum Tragurianum: *quid si contigerit fundos Apuliae jungere?* Heinsius.

Rejiculum utrumque. Nam *jungere* prohibet natura *obliquae,* nihil habentis junctum et continuatum.

340) *qui genus jactat*) Ante oculos fuit Ovidius Met. XIII. v. 140:

Nam genus et proavos et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

341) *Rapta sed trepida manu*) Dubitatio est, digna, ut quae maxime, tyranno. Conjecerat Heinsius *intrepida*, vel *intrepide manu Sceptra obtinentur.* Utrumque male. Nam, ut ait Cicero in Laelio §. 52: *haec est tyrannorum vita; in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia: omnia semper suspecta atque sollicita: nullus locus amicitiae.*

Fundare vires, juncta regali face
Thalamisque Megara. ducet e genere inclyto
Novitas colorem nostra. non equidem reor
Fore ut recuset, ac meos spernat toros.
Quod si impotenti pertinax animo abnuet,
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Invidia factum ac sermo popularis premet?
Ars prima regni, posse te invidiam pati.
Tentemus igitur: fors dedit nobis locum.
Namque ipsa tristi vestis obtentu caput
Velata, juxta praesides adstat Deos,
Laterique adhaeret verus Alcidae sator.
MEG. Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues,
Novi parat? quid tentat? LYC. O clarum trahens
A stirpe nomen regia, facilis mea

---

351) *Stat*) pro; decretum est apud me.

353) *Ars prima regni*) Pro *Ars* in codice Pulaviensi est *Hos*. Putabam aliquando legendum *Dos prima regni*. Nunc nihil mutandum censeo. Nam ita ait Oedipus in ejus nominis fabula v. 704:

Odia qui nimium timet,
Regnare nescit.

Cum utroque vero sentit Polynices in Phoenissis v. 654:

Regnare non vult, esse qui invisus timet.

354) *fors dedit nobis locum*) id est, opportunitatem tentandae reginae. Plautus in Poenulo IV. 2. 69:

Loquere, locus occasioque est, libere; hic soli sumus.

Nescio quid in mentem venerit Heinsio, ut *nobis* in *votis* mutaret.

Parumper aure verba patienti excipe.
Si aeterna semper odia mortales agant,
Nec coeptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella: tum vastis ager
Squallebit arvis. subdita tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit;
Victo necesse est. particeps regno veni:
Sociemur animis. pignus hoc fidei cape:

---

362) *odia mortales agant*) Docte pro, odiis mortales agantur. Sic etiam Thyeste v. 182:

geminum mare
Utrimque classes agere.

pro, mare classibus agi. Annaeano loco et sententia et oppositione simillimus est Phalaridis Epist. 51: *θνητοὺς γὰρ ὄντας ἀθάνατον ὀργὴν ἔχειν, ὥς φασί τινες, οὐ προσήκει.*

365) *tum vastis ager Squallebit arvis*) Non video, cur mutet Heinsius *tum* in *cum*, quod saepe omitti notissimum est. Seneca prae oculis habuit Virgilium I. Georg. 505:

non ullus aratro
Dignus honos: squalent abductis arva colonis.

368) *Pacem reduci velle*) Huic dicto non dissimile est illud Sabini, relatum a Tacito III. Hist. 70: *pacem et concordiam victis utilia; victoribus tantum pulcra esse.*

370) *Sociemus animos*) Princeps codicum *Sociemur animis*, exquisitiore constructione. Livius XXXIX. 13. *eos esse, qui aut conjurare, aut sociari facinoribus — noluerint.* Claudianus XLVIII. v. 39:

subitis sociantur Numina furtis.

Continge dextram, quid truci vultu siles?
MEG. Egone ut parentis sanguine asperam manum,
Fratrumque gemina caede contingam? prius
Exstinguet Ortus, referet Occasus diem:
Pax ante fida nivibus et flammis erit:
Et Scylla Siculum junget Ausonio latus:
Priusque multo vicibus alternis fugax
Euripus unda stabit Euboica piger.
Patrem abstulisti, regna, germanos, larem,
Patriam: quid ultra est? una res superest mihi,
Fratre ac parente carior, regno ac lare,
Odium tui: quod esse cum populo mihi
Commune doleo. pars quota ex illo mea est?
Dominare tumidus, spiritus altos gere:
Sequitur superbos ultor a tergo Deus.
Thebana novi regna. quid matres loquar
Passas et ausas scelera? quid geminum nefas,
Mixtumque nomen conjugis, nati, patris?
Quid bina fratrum castra? quid totidem rogos?

---

383) *pars quota ex isto mea est?*) Melius Florentinus: *pars quota ex illo mea est?* quasi diceret: minima ex tanto. Nam, ut notat Servius ad Virg. Aen. X. v. 677. antiqui *ille* vel magnitudini vel nobilitati adsignabant.

385) *ultor a tergo Deus*) Primitus excusi *victor*, quod ope codicis Medicei correxit I. B. Pius in Annot. Poster. Syllog. c. 70. *ultor deus*, monente Wernsdorfio ad Saleii Bassi Carm. ad Pison. v. 239. tanquam proverbio, dicitur, quisquis ille sit.

Riget superbo Tantalis luctu parens,
Moestusque Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipse torvum subrigens crista caput
Illyria Cadmus regna permensus fuga,
Longas reliquit corporis tracti notas.
Haec te manent exempla. dominare, ut lubet:
Dum solita regni fata te nostri vocent.
LYC. Agedum, efferatas rabida voces amove:
Et disce regum imperia ab Alcide pati.

---

390) *Riget superba Tantalis luctu parens*) Lege cum Grotio:

Riget superbo Tantalis luctu parens.

quod Statius, qui Senecam ob oculos habuit, planissime confirmat Theb. IV. v. 575:

Ecce autem magna subit invidiosa caterva
Tantalis, et tumido percenset funera luctu,
Nil dejecta malis. juvat effugisse deorum
Numina, et insanae plus jam permittere linguae.

Tantalis parens, ut in Agamemnone v. 374:

Tu Tantalidos
Funera matris victrix numeras.

393) *Illyrica Cadmus regna*) Scribe, *Illyria*, vel propter χακέμφατον. Frequens librorum menda. Gronovius.

Reposui emendationem, vel sine libris probabilem. Cato apud Gellium XI. 3: *urbis, insulasque omnis agro pro Illyrio esse.* ubi vide criticos.

395) *dominare, ut lubet*) Senecam ob oculos habuit Statius Theb. XI. v. 702:

habeas Thebana regasque
Moenia, quo Cadmus, quo Laïus omine rexit,
Quoque ego.

Ego, rapta quamvis sceptra victrici geram
Dextra, regamque cuncta sine legum metu,
Quas arma vincunt, pauca pro causa loquar
Nostra. Cruento cecidit in bello pater?
Cecidere fratres? arma non servant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi potest
Stricti ensis ira. bella delectat cruor.
Sed ille regno pro suo: nos improba
Cupidine acti? quaeritur belli exitus,
Non causa. Sed nunc pereat omnis memoria.
Cum victor arma posuit, et victum decet
Deponere odia. non ut inflexo genu
Regnantem adores, petimus. hoc ipsum placet,
Animo ruinas quod capis magno tuas.
Es rege conjux digna: sociemus toros.
MEG. Gelidus per artus vadit exsangues tremor.
Quod facinus aures pepulit? haud equidem horrui,
Cum pace rupta bellicus muros fragor
Circumsonaret. pertuli intrepide omnia.
Thalamos tremisco; capta nunc videor mihi.
Gravent catenae corpus, et longa fame
Mors protrahatur lenta, non vincet fidem
Vis ulla nostram: moriar, Alcide, tua.
LYC. Animosne mersus inferis conjux facit?
MEG. Inferna tetigit, posset ut supera assequi.
LYC. Telluris illum pondus immensae premit.

---

403) *arma non servant modum*) Silius II. v. 21:
notum, quid caede calentibus armis,
Quantum irae liceat, motusve quid audeat ensis.

MEG. Nullo premetur onere, qui coelum tulit.
LYC. Cogere. MEG. Cogi qui potest, nescit mori.
LYC. Effare, thalamis quod novis potius parem
Regale munus? MEG. Aut tuam mortem, aut meam.
LYC. Moriere demens? MEG. Conjugi occurram meo.
LYC. Sceptroque nostro potior est famulus tibi?
MEG. Quot iste famulus tradidit reges neci!
LYC. Cur ergo regi servit, et patitur jugum?
MEG. Imperia dura tolle, quid virtus erit?
LYC. Objici feris monstrisque, virtutem putas?
MEG. Virtutis est domare, quae cuncti pavent.
LYC. Tenebrae loquentem magna Tartareae premunt.
MEG. Non est ad astra mollis e terris via.
LYC. Quo patre genitus coelitum sperat domos?
AMPH. Miseranda conjux Herculis magni sile:
Partes meae sunt, reddere Alcidae patrem,
Genusque verum. post tot ingentis viri
Memoranda facta, postque pacatum manu
Quodcunque Titan ortus et labens videt,

---

430) *Sceptrone nostro potior est famulus tibi?)* Codices Palatini cum editis vetustis tantum non omnibus exhibent:

Sceptroque nostro potior est famulus tibi?

quod vividius est altero. Sic Agamemnonis v. 961:

Et esse demens te parem nobis putas?

Apud Plautum in Mil. Glor. II. 2. 30:

et quemadmodum?

ubi plura Gronovius.

Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
Sparsam cruore, postque defensos Deos,
Nondum liquet de patre? mentimur Jovem?
Junonis odio crede. LYC. Quid violas Jovem?
Mortale coelo non potest jungi genus.
AMPH. Communis ista pluribus causa est Deis.
LYC. Famuline fuerant ante quam fierent Dei?
AMPH. Pastor Pheraeos Delius pavit greges.
LYC. Sed non per omnes exsul erravit plagas.
AMPH. Quem profuga terra mater errante edidit.
LYC. Num monstra saeva Phoebus aut timuit feras?
AMPH. Primus sagittas imbuit Phoebi draco.
LYC. Quam gravia parvus tulerit, ignoras, mala?
AMPH. E matris utero fulmine ejectus puer,
Mox fulminanti proximus patri stetit.
Quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,

---

454) *Non monstra, saevas Phoebus aut timuit feras)* Lege cum Florentino:

Num monstra saeva Phoebus aut timuit feras?

per interrogationem, ut varietur oratio, cum praecesserit,

non per omnes exsul erravit plagas.

saeva, quoniam asperius est auditu *saevas Phoebus feras.*

456) *Quam gravia parvus tulerit)* *parvus* hic est, ut saepe, puer; quo de usu vide Burman. ad Ovid. Fast. II. v. 385.

457) *fulmine ejectus puer)* Puto,

E matris utero fulmine ereptus puer.

Naso de hac ipsa re (Met. III. v. 310):

Non latuit infans rupis Idaeae specu?
Sollicita tanti pretia natales habent,
Semperque magno constitit, nasci Deum.
LYC. Quemcunque miserum videris, hominem scias.
AMPH. Quemcunque fortem videris, miserum neges.
LYC. Fortem vocemus, cujus ex humeris leo
Donum puellae factus, et clava excidit,

Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo
Eripitur, patrique tener (si credere dignum est)
Insuitur femori, maternaque tempora complet.

sed et *ejectus,* ut de abortu, potest capi. Heinsius. Nihil mutandum. Seneca enim illa respexit Euripidis Bacch. v. 91:

τὸν Βρόμιον
ὅν ποτ' ἔχουσ' ἐν ὠδίνων λοχίαις ἀνάγ-
καισι, πταμένας Διὸς βροντᾶς,
νηδύος ἔκβολον μάτηρ
ἔτεκε, λιποῦσ' αἰῶ-
να κεραυνίῳ πλαγᾷ.

ejicere vero, sicut ἐκβάλλειν apud Graecos, de immaturo partu dici, ostendit Munckerus ad Ov. Met. X. Fab. X. Arg.

466) *Donum puellae factus*) Heinsius malle ait *cujus ex humeris leo Donum puellae pactus,* quam *factus.* Passim legas de pactis mercedibus aut pretiis. *Donorum* pactiones fieri, nunc primum audio. *factus* omnes libri, nilque verius. Humili rei humile convenit verbum.

Fulsitque pictum veste Sidonia latus?
Fortem vocemus, cujus horrentes comae
Maducre nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit sonum,
Mitra ferocem barbara frontem premens?
AMPH. Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrare thyrsum, cum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbarico trahit.
Post multa virtus opera laxari solet.
LYC. Teuthrantis hoc fatetur eversi domus,
Pecorumque ritu virginum oppressi greges.
Hoc nulla Juno, nullus Eurystheus jubet:
Ipsius haec sunt opera. AMPH. Non nosti omnia.
Ipsius opus est, caestibus fractus suis
Eryx, et Eryci junctus Antaeus Libys.
Et qui hospitali caede manantes foci
Bibere justum sanguinem Busiridis.

---

467) *veste Sidonia*) pro Tyria vel purpurea recte cepit Bronkhusius ad Propert. II. 22. 15.

474) *levem Vibrasse thyrsum*) Elegantius liber optimus *Vibrare thyrsum.* Iisdem temporibus variatur in Oedipo v. 173:

Quin Taenarii vincula ferri
Rupisse canem fama, et nostris
Errare locis.

ubi vide.

477) *Teuthrantis hoc fatetur*) Eos cum Ovidio Heroid. IX. v. 51. sequitur auctores, qui Thespium sive Thespin faciunt Teuthrantis filium, Pandionis nepotem.

Ipsius opus est, vulneri et ferro obvius,
Mortem coactus, integer Cygnus, pati:
Nec unus una Geryon victus manu.
Eris inter istos; qui tamen nullo stupro
Laesere thalamos. LYC. Quod Jovi, hoc regi licet:
Jovi dedisti conjugem, regi dabis.
Et te magistro non novum hoc discet nurus,
Etiam viro probante, meliorem sequi.
Sin copulari pertinax taedis negat;
Vel ex coacta nobilem partum feram.
MEG. Umbrae Creontis, et penates Labdaci,
Et nuptiales impii Oedipodae faces,
Nunc solita nostro fata conjugio date.
Nunc, nunc cruentae regis Aegypti nurus,
Adeste, multo sanguine infectae manus.

---

485) *vulneri et ferro obvius*) Heinsius malebat *invius*. At frustra. *vulneri et ferro obvius* est, adversus, contrarius, reluctans. Ita Claudianus XXIV. v. 140. de Roma:

haec obvia fatis
Innumeras uno gereret cum tempore pugnas,
Hispanas caperet, Siculas obsideret urbes,
Et Gallum terris prosterneret, aequore Poenum,
Nunquam succubuit damnis, et territa nullo
Vulnere, post Cannas major Trebiamque fremebat.

ubi vide Burmannum. *integer* autem pro invulnerato ponitur, ut apud Tacitum Hist. V. 15. Florum III. 1. 13. et alibi passim.

498) *cruentae regis*) Quia *cruentae* et *sanguine infectae* nihil differunt, Gronovius opinatur *cruenti regis*. Mihi in mentem venit corrigere: *Adeste, multo sanguine*

Deest una numero Danais: explebo nefas.
LYC. Conjugia quoniam pervicax nostra abnuis,
Regemque terres; sceptra quid possint, scies.
Complectere aras, nullus eripiet Deus
Te mihi: nec, orbe si remolito queat
Ad supera victor numina Alcides vehi.

---

infectis manus Deest una numero Danais, aut distinguere: *Adeste. multo sanguine infectae manus Deest una numero Danais.* Deest, inquit, una Danais numero *manus*, id est, multitudinis vel turbae multo sanguine infectae. quo sensu dixit Virgilius, de eodem Danaidum scelere loquens, Aen. X. v. 498:

una sub nocte jugali
Caesa manus juvenum foede, thalamique cruenti.

Sed melius nihil mutes ob similem locum in Herc. Oet. v. 962. ubi Dejanira sic ait:

si qua respersit manus
Viri cruore, nec memor castae facis
Stricto cruenta Belis in ferro stetit,
In me suas agnoscat et laudet manus.

multo propter numerum eorum, qui perierunt, ut bene Gronovius, qui tamen malit *juncto*, puta et per genus et per nuptias, cum Heinsius refingat *marito*, quod leges prosodiae non ferunt. Vulgato favet Accianum illud ex Armorum judicio:

Inter quos saepe et multo imbutos sanguine.

504) *orbe si remolito*) Codex Pulaviensis cum editione Veneta anni 1498. *revoluto*, quod merito damnat Torrentius ad Sueton. Aug. 79.

505) *Ad supera victor numina*) Heinsius rescribit *supera lumina.* Sed nihil necesse est. Supra v. 276:

Subitusque ad astra emerget.

ubi vide quae annotavimus.

Congerite silvas, templa supplicibus suis
Injecta flagrent: conjugem et totum gregem
Consumat unus igne subjecto rogus.
AMPH. Hoc munus a te genitor Alcidae peto,
Rogare quod me deceat, ut primus cadam.
LYC. Qui morte cunctos luere supplicium jubet,
Nescit tyrannus esse. diversa irroga:
Miserum veta perire; felicem jube.
Ego, dum cremandis trabibus accrescit rogus,
Sacro regentem maria votivo colam.
AMPH. Proh numinum vis summa, pro coelestium
Rector parensque, cujus excussis tremunt
Humana telis, impiam regis feri
Compesce dextram. Quid Deos frustra precor?
Ubicunque es, audi, nate. Cur subito labant
Agitata motu templa? cur mugit solum?
Infernus imo sonuit e fundo fragor.
Audimur: est, est sonitus Herculei gradus.

---

508) *unus igne subjecto rogus)* Codices quidam scripti et impressi *locus*. Vulgatam non solum adjuncta postulant, sed etiam quae sequuntur v. 514:

dum cremandis trabibus accrescit rogus.

513) *Miserum veta perire)* Apposita vox Claudiani III. v. 237:

pro saevior ense
Parcendi rabies, concessaque vita dolori!

ubi plura in eam rem veterum dicta collegit Gesnerus.

523) *en, en sonitus Herculei gradus)* Lege cum Florentino: *est, est sonitus Herculei gradus.* Neque

CHORUS THEBANORUM.

O fortuna viris invida fortibus,
Quam non aequa bonis praemia dividis!
Eurystheus facili regnet in otio:
Alcmena genitus bella per omnia
Monstris exagitet coeliferam manum:
Serpentis resecet colla feracia:
Deceptis referat mala sororibus,
Cum somno dederit pervigiles genas
Pomis divitibus praepositus draco.
Intravit Scythiae multivagas domos,
Et gentes patriis sedibus hospitas:

---

enim *sonitus* manu demonstrari patitur, et sic exclamat in simili re Chorus Herculis Oetaei v. 1130:

Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Est, est Herculeus sonus.

528) *coeliferam manum)* Fuere, qui *teliferam* reponi mallent. Sed recte *coelifera* manus audit Herculis, qui se coelo ruenti manus opposuisse glorietur in Herc. Oet. v. 1243.

529) *colla feracia)* Nugantur, qui *ferocia* reponunt. Supra v. 241:

saeva Lernae monstra, numerosum malum.

534) *patriis sedibus)* Sunt qui legant *propriis sedibus,* me non probante. Nam sic delectatione privamur, quam habet conjunctio dissimilium, *patriis* et *hospitas.* Eadem contentione dicit Claudianus XXIV. v. 155:

veluti patriis regionibus utitur hospes.

hospitas autem vocat, quia Scythis, ut Silius III. v. 291. ait:

Calcavitque freti terga rigentia,
Et mutis tacitum littoribus mare.
Illic dura carent aequora fluctibus;
Et, qua plena rates carbasa tenderant,
Intonsis teritur semita Sarmatis.
Stat pontus vicibus mobilis annuis,
Navem nunc facilis, nunc equitem pati.
Illic quae viduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia baltheo,
Detraxit spolium nobile corpori,
Et peltam, et nivei vincula pectoris,
Victorem posito suspiciens genu.
Qua spe praecipites actus ad inferos,
Audax ire vias irremeabiles,
Vidisti Siculae regna Proserpinae?
Illic nulla Noto, nulla Favonio
Consurgunt tumidis fluctibus aequora.
Non illic geminum Tyndaridae genus
Succurrunt timidis sidera navibus.
Stat nigro pelagus gurgite languidum;
Et, cum Mors avidis pallida dentibus
Gentes innumeras Manibus intulit,

---

migrare per arva
Mos, atque *e r r a n t e s* *circumvectare* *p e n a t e s.*

536) *Et mutis tacitum)* Non debebat Wakefieldus ad Lucret. III. v. 1045. scribere *p l a c i d u m* *mare,* cum utrumque, *mutum* et *tacitum* saepe conjungi docuisset Gronovius ad v. 302. hujus Tragoediae:

tibi m u t a fide
Longas Eleusin t a c i t a jactabit faces.

Uno tot populi remige transeunt.
Evincas utinam jura ferae Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles!
Heic, qui rex populis pluribus imperat,
Bello cum peteres Nestoream Pylon,
Tecum conseruit pestiferas manus,
Telum tergemina cuspide praeferens:
Effugit tenui vulnere saucius,
Et mortis dominus pertimuit mori.
Fatum rumpe manu: tristibus inferis
Prospectus pateat lucis, et invius
Limes det faciles ad superos vias.
Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos, et prece supplici
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.
Quae silvas, et aves saxaque traxerat

---

559) *colos non revocabiles)* Bronkhusius et Burmannus ad Propert. IV. 7. 51. emendant *revolubiles*, ut ante loquitur v. 182:

Durae peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.

Negat quidquam interesse Barthius ad dictum Propertii locum. Hoc tamen interest, quod *colos revocare τροπικῶς, revolvere fila* vero signanter et proprie dicitur. Ornatius autem prius. Itaque retineo.

571) *dum repetit suam)* Pars codicum ac editionum *recipit.* Sed exprimit *repetere* graecum *ἀνάγειν*, quod solenne poëtis et aliis, talia celebrantibus, ut docuit Heynius ad Apollodor. I. 3. s. 2. §. 2.

572) *Quae silvas et aves)* Expressit noster Horatium, Od. I. 12. 8:

Ars, quae praebuerat fluminibus moras;
Ad cujus sonitum constiterant ferae;
Mulcet non solitis vocibus inferos,
Et surdis resonat clarius in locis.
Deflent Eurydicen Threiciae nurus,
Deflent et lacrimis difficiles Dei;
Et qui fronte nimis crimina tetrica
Quaerunt, ac veteres excutiunt reos,
Flentes Eurydicen Juridici sedent.
Tandem mortis, ait, vincimur, arbiter:

---

vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

577) *Deflent Eurydicen Threiciae nurus)* *Threiciae* nominantur, tanquam populares et familiares defunctae. Sic novam nuptam, e partu exstinctam, ab umbris innuptarum Cnidiarum deplorari facit Antipater II. Anthol. Graec. p. 35:

Ἦ που σὲ χθονίας, Ἀρετημιὰς, ἐξ ἀκάτοιο
Κωκυτοῦ θεμέναν ἴχνος ἐπ' ἀϊόνι,
οἰχόμενον βρέφος ἄρτι νέῳ φορέουσαν ἀγοστῷ
ᾤκτειραν θαλεραὶ Δωρίδες εἰν Ἀΐδᾳ,
πευθόμεναι τέο κῆρα· σὺ δὲ ξαίνουσα παρειὰς
δάκρυσιν, ἐξεῖπες, φεῦ, ἀνιαρὸν ἔπος·
διπλόον ὠδίνασα φίλον τέκος, ἄλλο μὲν ἀνδρὶ
εὔφρονι καλλιπόμαν, ἄλλο δ' ἄγω φθιμένοις.

Qui alia conati sunt, operam luserunt.

582) *mortis, ait, vincimur, arbiter)* Hinc sumsit Claudianus XXXIII. v. 56:

Evade ad superos, lege tamen data:
Tu post terga tui perge viri comes;
Tu non ante tuam respice conjugem,
Quam cum clara Deos obtulerit dies,
Spartanique aderit janua Taenari.
Odit verus amor, nec patitur, moras.
Munus, dum properat cernere, perdidit.
Quae vinci potuit regia carmine,
Haec vinci poterit regia viribus.

---

o maxime m o r t i s
A r b i t e r, umbrarumque potens.

583) *lege tamen data)* Heinsius *rata* conjicit, immemor, Virgilium hic dicere Georg. IV. v. 487:
hanc d e d e r a t Proserpina legem.

590) *regia carmine)* Vulgo *cantibus*, ut supr. v. 569. Sed Florentini codicis lectionem egregie confirmat Horatius, eandem rem celebrans, Od. III. 11. 24:
stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
C a r m i n e mulces.

ACTUS TERTIUS.

HERCULES.

O lucis alme rector, et coeli decus,
Qui alterna curru spatia flammifero ambiens,
Illustre laetis exseris terris caput;
Da, Phoebe, veniam, si quid illicitum tui
Videre vultus. jussus in lucem extuli
Arcana mundi. tuque coelestûm arbiter
Parensque, visus fulmine opposito tege;
Et tu secundo maria qui sceptro regis,
Imas pete undas. quisquis ex alto aspicit
Terrena, facie pollui metuens nova,
Aciem reflectat, oraque in coelum erigat,
Portenta fugiens. hoc nefas cernant duo,
Qui advexit, et quae jussit. In poenas meas,

---

604) *quae jussit)* Alii legunt *qui jussit*, ut sit Eurystheus. quasi et ipse ex alto seu caelo terrena adspiceret, nec dixisset Juno supr. v. 62:

me quoque invasit tremor,
Et terna monstri colla devicti intuens
Timui imperasse.

Atque in labores non satis terrae patent.
Junonis odio vidi inaccessa omnibus,
Ignota Phoebo; quaeque deterior polus
Obscura diro spatia concessit Jovi.
Et si placerent tertiae sortis loca,
Regnare potui: noctis aeternae chaos,
Et nocte quiddam gravius, et tristes Deos,
Et fata vici, morte contempta redii.
Quid restat aliud? vidi, et ostendi inferos.
Da, si quid ultra est. tam diu pateris manus
Cessare nostras, Juno? quae vinci jubes?
Sed templa quare miles infestus tenet?
Limenque sacrum terror armorum obsidet?

MEGARA, AMPHITRYON, HERCULES, THESEUS.

AMPH. Utrumne visus vota decipiunt meos?
An ille domitor orbis, et Grajûm decus,
Tristi silentem nubilo liquit domum?

---

615) *Juno? quid vinci jubes?)* Florentinus pro *quid* habet *quae;* sicque legendum suadent aures, defatiscentes similitudinis satietate, quam adfert tergeminum: *quid restat aliud — quid ultra est — quid vinci jubes.*

620) *silentem nubilo liquit domum)* Non opus est *silentum* reponi, cum sic iterum loquatur in Hippolyto v. 221:

Adiit silentem nocte perpetua domum.

imitenturque plures, ut Claudianus III. v. 125:

Estne ille natus? membra laetitia stupent.
O nate! certa et sera Thebarum salus!
Teneone in auras editum, an vana fruor
Deceptus umbra? tune es? agnosco toros,
Humerosque, et alto nobilem trunco manum.
HERC. Unde iste, genitor, squallor, et lugubribus
Amicta conjux? unde tam foedo obsiti
Paedore nati? quae domum clades gravat?
AMPH. Socer est peremptus: regna possedit Lycus;
Natos, parentem, conjugem leto petit.
HERC. Ingrata tellus, nemo ad Herculeae domus
Auxilia venit? vidit hoc tantum nefas
Defensus orbis? cur diem questu tero?
Mactetur hostis. Hanc ferat virtus notam,

---

fertur Ulixes
Sanguine libato populum movisse s i l e n t e m.
ubi vide Heinsium.

624) *an vana fruor)* Euripidis illud cogitabat Herc. fur. v. 517:

εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν.

633) *Mactetur hostis. T h e s. Hanc ferat virtus notam, Fiatque summus hostis Alcidae Lycus)* Quem non offendat bis repetitum *hostis?* Ego censeo dedisse Senecam:

Mactetur hostis. hanc ferat virtus notam,
Fiatque summus s u d o r Alcidae Lycus.

exciderat culpa festinantis librarii *τὸ sudor*, quod in proxime vicinis vocabulis eaedem fere litterae comparerent. Atque ita ad labores suos passim alludit Hercules. Hercule Oetaeo (v. 473):

Vincetur uni forsan et spolium dabit,
Amorque summus fiet Alcidae labor.

Fiatque summus hostis Alcidae Lycus.
Ad hauriendum sanguinem inimicum feror.
Theseu, resiste, ne qua vis subita ingruat:
Me bella poscunt. differ amplexus parens,
Conjuxque differ: nuntiet Diti Lycus
Me jam redisse. THES. Flebilem ex oculis fuga
Regina vultum: tuque nato sospite

---

postea (v. 816):

Ecce alia clades, Hercules perimit Lichan.
Facta inquinentur: fiat hic summus labor.

ex quo loco satis apparet, *Thesei* personam temere insertam recte a Florentino tolli. Eodem Hercule in Oeta (v. 1614):

Quod unum in orbe vicerat nondum malum,
Et flamma victa est: haec quoque accessit feris.
Inter labores ignis Herculeos abit.

Heinsius ad Silium XIV. v. 665. et Advers. p. 217.

Abjeci personam Thesei. *hostis* autem loco movere nulla est ratio. Sic enim Lycus, latro verius quam hostis justus, ludibrii causa vocatur. Supra v. 341. ipse:

Rapta sed trepida manu
Sceptra obtinentur.

Livius XXXV. 7: *per hiemem proelia aliquot, nulla memoria digna, adversus latronum magis quam hostium excursiones — sunt facta.* Ad sententiam plane facit illud Curtii IX. 6: *Cito gloria obsolescit in sordidis hostibus: nec quidquam indignius est, quam consumi eam, ubi non possit ostendi.*

641) *Flebilem ex oculis fuga Regina vultum)* Heinsius emendat *luctum*, ut *flebilis luctus* pro lacrymis dica-

Lacrimas cadentes reprime: si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas poenas dabit:
Lentum est, dabit; dat: hoc quoque est lentum; dedit.
AMPH. Votum secundet, qui potest, nostrum Deus,
Rebusque lapsis adsit. O magni comes
Magnanime nati, pande virtutum ordinem:
Quam longa moestos ducat ad Manes via;
Ut vincla tulerit dura Tartareus canis.
THES. Memorare cogis acta, securae quoque
Horrenda menti: vix adhuc certa est fides
Vitalis aurae: torpet acies luminum,

---

tur. Sed vulgata bene habet. *ex oculis,* id est, e conspectu. Thyest. v. 625:

ut tantum nefas
Eripiat oculis.

Agam. v. 301:

dedecus clarae domus
Asporta ab oculis.

Herc. Oet. v. 1977:

cessit: ex oculis abiit.

Lucretius III. v. 48:

longeque fugatei
Conspectu ex hominum.

644) *Lentum est, dabit)* Eodem acumine noster Epist. 78: *inter haec tamen aliquis non gemuit; parum est. non rogavit; parum est. non respondit; parum est. risit.* et Apuleius Met. I. p. 9: *Faxo eum sero, immo statim, immo vero jam nunc ut et praecedentis dicacitatis, et instantis curiositatis poeniteat.*

Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.
AMPH. Pervince, Theseu, quidquid alto in pectore
Remanet pavoris; neve te fructu optimo
Frauda laborum. quae fuit durum pati,
Meminisse dulce est. fare casus horridos.
THES. Fas omne mundi, teque dominantem precor
Regno capaci; teque, quam tota irrita
Quaesivit Aetna mater; ut jura abdita
Et operta terris liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit jugum,
Densis ubi aequor Taenarus silvis premit:
Heic ora solvit Ditis invisi domus,
Hiatque rupes alta, et immenso specu
Ingens vorago faucibus vastis patet,
Latumque pandit omnibus populis iter.
Non caeca tenebris incipit primo via:

---

658) *Fas omne mundi)* hoc est, quidquid in caelo religiose colendum est. Oppianus de Venat. II. v. 371:

αἰδόμενος μακάρων τε θέμιν.

660) *Quaesivit Aetna)* Editio Veneta anni 1522. *Enna.* Sed huic non perinde convenit *tota.* Naso Met. XIV. v. 188:

Ille quidem totam fremebundus obambulat Aetnam.

Aliorum *Aethra* nihili est.

664) *Ditis invisi)* Pars codicum *invicti.* Pulaviensis *immitis.* Secundum vulgatos decernit Horatius Od. I. 34. 10.

Qua Styx et invisi horrida Taenari
Sedes.

ubi vide Cl. Mitscherlich.

Tenuis relictae lucis a tergo nitor,
Fulgorque dubius solis afflicti cadit,
Et ludit aciem. nocte sic mixta solet
Praebere lumen primus aut serus dies.
Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis;
In quae omne mersum pereat humanum genus.
Nec ire labor est, ipse deducit via:
Ut saepe puppes aestus invitas rapit;
Sic pronus agger urget atque avidum chaos:

---

672) *Praebere lumen primus)* Gemella dubiae lucis descriptio est apud Lucianum Ver. Hist. II. p. 672: *οὐ μὴν οὐδὲ νὺξ παρ' αὐτοῖς γίγνεται, οὐδ' ἡμέρα πάνυ λαμπρά· ἀλλὰ καθάπερ τὸ λυκαυγὲς ἤδη πρὸς ἕω, μηδέπω ἀνατείλαντος ἡλίου, τοιοῦτον φῶς ἐπέχει τὴν γῆν.*

677) *pronus agger)* Vulgo editur *pronus aër*, qui, si ventus est, ad Styga, non huc pertinet. Incertus poëta T. III. Anthol. Graec. p. 245:

πάντοθεν εἷς ὁ φέρων εἰς ἀΐδην ἄνεμος.

quo loco, ut hoc obiter attingam, satis vindicatur Propertii lectio, quam suspectam habebant Critici, III. 16. 30:

At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animae portent corpus inane tuae.

Junge: *tibi trajicis*, id est, in tuum commodum, o nauta! ceu quem illiberalem ac sordidum describunt veteres. E multis unum Pedonem Albinovanum laudasse satis sit, Eleg. de morte Drusi v. 357:

omnes exspectat avarus
Portitor.

Sed certe vento hauddum utitur Theseus, rate Stygia navigaturus demum v. 760. *Urgere* porro nec potest *immotus* et iners, quem facit v. 704. exemplo

Gradumque retro flectere haud unquam sinunt
Umbrae tenaces. intus immensi sinus
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitque curas: neve remeandi amplius
Pateat facultas, flexibus multis gravem
Involvit amnem. qualis incerta vagus
Maeander unda ludit, et cedit sibi,

Homeri Il. VIII. v. 481. quod et Lucanus VI. v. 648. sequitur. Denique nihil opus est *aëre* coactore, siquidem *ipsa deducit via*, nempe declivis et praeceps. Ante Lipsium ubique legebatur: *pronus agger*, quod verum erat, nec debuit mutari. Seneca Apocolocynthosi: *Omnia proclivia sunt, facile descenditur. Itaque, quamvis podagricus esset, momento temporis pervenit ad januam Ditis.* Apollonius Argonaut. II. v. 353:

ἔνθα μὲν εἰς ἀΐδαο καταιβάτις ἐστὶ κέλευθος.

Ovidius Met. X. v. 53. de eodem:

Carpitur acclivus per muta silentia trames.

Statius Theb. II. v. 48:

Hoc (ut fama) loco pallentes devius umbras
Trames agit, nigrique Jovis vacua atria ditat
Mortibus.

ubi Scholiastes *devius* explicat per pronus, deorsum. Sic Justinus I. 5: *pronam ad regnum viam ingrediatur. agger* pro via dicitur, ut a Virgilio Aen. V. v. 273:

viae deprensus in aggere serpens.

ubi Servium vide.

679) *immensi sinus*) id est, infinitae altitudinis.

682) *gravem*) id est, languidum.

684) *Maeander unda ludit*) Sic a Seneca scriptum esse, non *errat*, manifesto satis docet, quem is aemulatur.

Instatque; dubius, littus an fontem petat.
Palus inertis foeda Cocyti jacet;
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenque triste resonat infaustae strigis;
Horrent opaca fronde nigrantes comae,
Taxo imminente; quam tenet segnis sopor,
Famesque moesta tabido rictu jacens;
Pudorque serus conscios vultus tegit:
Metus, Pavorque, Funus, et frendens Dolor,

Ovidius Met. VIII. v. 162:

Non secus ac liquidus Phrygiis Maeandros in arvis
Ludit; et ambiguo lapsu refluitque fluitque:
Occurrensque sibi venturas adspicit undas:
Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum,
Incertas exercet aquas.

ludit etiam huic loco vindicat Burmannus ad ejusd. Heroid. IX. v. 55.

687) *luctifer bubo*) Scripti quidam, ut Pulaviensis, *letifer*. Perperam. Ovidius Met. V. v. 549:

venturi nuntia luctus
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Statius Theb. III. v. 511:

feralia bubo
Damna canens.

691) *tabido rictu jacens*) *patens* praestiterit. Sic *patuli* et *hiantes rictus* Poëtis. sic *hians fames* initio Thyestae. Heinsius.

Tueor *jacens*, ut convenientius *moestae*. Cicero ad Attic. X. 4: *jacet in moerore meus frater*. Pro *tabido* nonnulli *rapido* legunt, alii *rabido*, quorum utrumque in metrum peccat.

Aterque Luctus sequitur, et Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella: in extremo abdita
Iners Senectus adjuvat baculo gradum.
AMPH. Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?
THES. Non prata viridi laeta facie germinant;
Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges;
Non ulla ramos silva pomiferos habet:
Sterilis profundi vastitas squallet soli,
Et foeda tellus torpet aeterno situ;
Rerumque moestus finis et mundi ultima:
Immotus aër haeret; et pigro sedet
Nox atra mundo. cuncta moerore horrida,
Ipsaque morte pejor est Mortis locus.

---

703) *Rerumque moestus finis*) Versum hunc spurium judicat Wakefieldus ad Lucret. VI. v. 1267. Perperam. *rerum finis* et *mundi ultima* sunt, quos *rerum terminos* ante dixerat v. 290. ubi vide.

705) *cuncta moerore horrida*) Cl. Jacobs Animadversionum in Euripidis Tragoedias p. 326. et Wakefieldus ad Lucret. VI. v. 1267. certatim emendant *paedore.* Sed sur *moerore horrida* minus dicere liceat, quam *luctum horrificalem*, ut Attius in Telepho dixit?

706) *Ipsaque morte pejor est Mortis locus*) Opinor, *Ipsaque n o c t e pejor.* Hercule Oetaeo v. 46:

Laxata pejor nox et extremum chaos
In me incucurrit.

ut recte illic a Gronovio restitutum. Supra Hercule Furenti:

noctis aeternae chaos,
Et nocte quiddam gravius, et tristes Deos,
Et fata vici. Heinsius.

AMPH. Quid, ille opaca qui regit sceptro loca,
Qua sede positus temperat populos leves?
THES. Est in recessu Tartari obscuro locus,
Quem gravibus umbris spissa caligo alligat.
A fonte discors manat hinc uno latex:

Nihil mutandum. Pejus, inquit Theseus, est mortuum esse, quam mori, contra ac sentit Epicharmus apud Ciceronem I. Tusc. Disp. §. 15:

Emori nolo: sed me esse mortuum nihil aestumo.

Est, qui neutram in partem moveatur. Idem Comicus incerto Dramate:

ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι οὔ μοι διαφέρει.

Antitheton vero tale est, quale illud Justini XII. 9: *Curatio vulneris gravior ipso vulnere fuit.*

709) *Est in recessu Tartari)* Moguntinus et quatuor nostri *secessu.* Minus recte. Claudianus V. v. 524:

vacuo mandate Barathro
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos.

Plutarchus de Superstit. 4: *δικασταὶ δὲ καὶ κολασταὶ, καὶ χάσματα καὶ μυχοὶ, κακῶν μυρίων γέμοντες.*

711) *A fonte discors manat)* Heinsius ad Ovid. Epist. Sabin. I. v. 35. notat in Florentino legi:

A fonte dissors manat hinc primo latex.

Si admittimus, inquit, *dissors* erit, ab aliis amnibus diversus. Atqui describuntur amnes inter se diversi, moribusque discordes, ut dubitare nemo possit, quin verior nostra sit lectio. Praeter *primo, imo* quoque scribitur, et *vivo.* Sed malo concinnitatem, quae est in disjunctis *uno* et *discors.* Haud dissimili oppositione Mela III. 1. 40: *Baetis quasi ex uno fonte geminus exoritur.* et Sallustius apud Senecam

Alter, quieto similis, (hunc jurant Dei)
Tacente sacram devehens fluvio Styga:
At hic tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu volvit Acheron invius
Renavigari. cingitur duplici vado
Adversa Ditis regia, atque ingens domus
Umbrante luco tegitur: hic vasto specu
Pendent tyranni limina: hoc umbris iter;
Haec porta regni, campus hanc circa jacet,
In quo superbo digerit vultu sedens
Animas recentes. dira majestas Deo,
Frons torva; fratrum quae tamen speciem gerat,
Gentisque tantae: vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis. magna pars regni trucis
Est ipse dominus; cujus aspectus timet,

Nat. Quaest. VII. 8: *asserit, Tigrim et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longe dividantur.*

716) *Acheron invius Renavigari)* Inconsulte ac temere Withofius *Renavigari* mutat in *Vel naviganti.* Theocritus XII. v. 19:

ἀγγείλειεν ἐμοί τις ἀνέξοδον εἰς Ἀχέροντα.

Similiter de Styge Virgilius Aen. VI. v. 425:

Evaditque celer ripam irremeabilis undae.

ubi confer Heynium.

722) *dira majestas deo)* Florentinus *dei.* Sed altera ratio exquisitior. vide Burmannum ad Ov. Met. VI. v. 659.

726) *cujus aspectum timet)* Veteres editi cum scriptis legunt *aspectus*, id quod gravius est. Ovidius Her. VIII. v. 56:

Quidquid timetur. AMPH. Verane est fama, inferis
Tam sera reddi jura, et oblitos sui
Sceleris nocentes debitas poenas dare?
Quis iste veri rector, atque aequi arbiter?
THES. Non unus alta sede quaesitor sedens
Judicia trepidis sera sortitur reis.
Aditur illo Gnossius Minos foro;
Rhadamantus illo; Thetidis hoc audit socer.
Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeja manu
Scindi tyranni. Quisquis est placide potens,

Et tamen adspectus sustinet ille meos.
Claudianus XXXVI. v. 193:
aspectus miserae non ferre parentis
Emtum morte velit.

732) *Judicia trepidis sera sortitur reis)* Nescio an Seneca respexerit Propertium IV. 11. 20:
si quis posita judex sedet Aeacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila!

735) *Quod quisque fecit, patitur)* Sic etiam loquitur Epist. 39: *quorum impotentiae atque insanae libidini ob hoc unum ignoscere possis, quod, quae fecere, patiuntur. Nec immerito hic illos furor vexat.*

739) *Quisquis est placide potens)* Haec ita mutavit Heinsius:
Quisquis ast. placitae potens
Dominusque vitae servat innocuas manus,

Dominusque vitae servat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animaeque parcit: longa permensus diu
Felicis aevi spatia, vel coelum petit,
Vel laeta felix nemoris Elysii loca,
Judex futurus. Sanguine humano abstine,
Quicunque regnas. scelera taxantur modo

Et incruentum mitis imperium gerit,
Poenaeque parcit.

ut *placita vita* sit, grata et accepta mortalibus, *vitae potens* autem, qui jus ac potestatem in viam habet civium suorum. Enimvero sua loco constat integritas. *placide potens* dicitur, qui potestate sua clementer et moderate utitur. Sallust. Jug. 41: *ante Carthaginem deletam populus et Senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant.* Tum *imperium regit* splendidius est, quam quo modo emendatur. Lucret. II. v. 1094:

Quis regere immensi summam, quis habere profundi
Indu manu validas potis est moderanter habenas?

ubi cf. Wakefield. *anima* denique vitam notat. Sic jam erat supr. v. 304:

Tum restitutas fratribus rebor meis
Animas.

et eodem sensu recurrit Med. v. 304:

Animam levibus credidit auris.

Hoc igitur vult narrans: vitae subjectorum parcit, nec prodigus nocendi fertur, aut mucrone cruento se jactat, quemadmodum in simili causa loquitur Claudianus XVII. v. 226.

Majore vestra. AMPH. Certus inclusos tenet
Locus nocentes? utque fert fama, impios
Supplicia vinclis saeva perpetuis domant?
THES. Rapitur volucri tortus Ixion rota.
Cervice saxum grande Sisyphia sedet.
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas; alluit mentum latex;
Fidemque cum jam saepe decepto dedit,
Perit unda in ore: poma destituunt famem.
Praebet volucri Tityos aeternas dapes.
Urnasque frustra Danaides plenas gerunt.
Errant furentes impiae Cadmeides.
Terretque mensas avida Phineas avis.
AMPH. Nunc ede nati nobilem pugnam mei.
Patrui volentis munus, an spolium refert?
THES. Ferale tardis imminet saxum vadis,
Stupent ubi undae, segne torpescit fretum;
Hunc servat amnem cultu et aspectu horridus,
Pavidosque Manes squallidus gestat senex;
Impexa pendet barba, deformem sinum

---

753) *Abluit mentum latex)* *Alluit* dedimus ex certa Heinsii, Abr. Gronovii ad Mel. I. 4. 25. et Burmanni ad T. I. Anthol. Lat. p. 506. emendatione. Idem Seneca in Hippolyto v. 1232:

Me ludat amnis ora vicina a l l u e n s.

Homerus Od. XI. v. 582:

καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα,
ἑσταότ' ἐν λίμνῃ· ἡ δὲ π ρ ο σ έ κ λ υ ζ ε γενείῳ.

Adde notata Bentleio ad Manil. IV. v. 600.

Nodus coercet, concavae lucent genae,
Regit ipse conto portitor longo ratem:
Hic onere vacuam littori puppim applicans
Repetebat umbras; poscit Alcides viam,

---

767) *concavae lucent genae*) Florentinus *squalent*, sed *squalidus* jam praecesserat. olim reponebam *pallent*, ut apud Papinium Theb. II. de Sphinge:

Pallentes erecta genas suffusaque tabo
Lumina.

nunc fortius aliquid opinor desiderari: aut *lurent*, unde *luridus;* sed quia insolentius verbum, praestat *livent*, quod alii jam voluere. sic Lucano:

rubor igneus inficit ora
Liventesque genas.

aut *flaccent*, quod posterius verum existimo, ni mavis fortasse *tabent genae*, ut *tabentes genae* apud Maronem: *pendentes* Juvenali Satyra X.: *pendulae* Plinio in Naturali Historia, et contra *stantes*: quomodo *stantes papillae*, et *stantia pectora* poetis. *corruentes* etiam ac *labentes genae* nonnullis. Claudiano:

Corruerat passa facies rugosior uva.

interius fugere genae Claudiano bello Gildonico. Heinsius.

Apparet et ipsum *genas* de malis cepisse. Perperam. *genae* sunt oculi. Sic Ov. Heroid. XX. v. 206:

Ut, te conspecta, subito, si forte notasti,
Restiteram fixis in tua membra genis.

Propert. III. 10. 26:

Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae.

et alibi passim. *lucent* ab Ovidio adscivit, Met. I. v. 239:

Cedente turba: dirus exclamat Charon,
Quo pergis audax? siste properantem gradum.
Non passus ullas natus Alcmena moras,
Ipso coactum navitam conto domat,
Scanditque puppim. cymba populorum capax
Succubuit uni. sedit, et gravior ratis
Utrinque Lethen latere titubanti bibit.

Idem oculi lucent: eadem feritatis imago.
ad variandum illud Virgilii Aen. VI. v. 300. de Charonte:

stant lumina flamma.

Senecam imitando expressit Statius in Tisiphones descriptione, Theb. I. v. 104:

sedet intus abactis
Ferrea lux oculis.

Lectio *squalent* illata videri potest ex altero, similiter comparando, loco Statii Theb. XI. v. 584:

veteri stat sordida tabo
Utraque canities, et durus sanguine crinis
Obnubit furiale caput. procul ora genaeque
Intus, et effossae squallent vestigia lucis.
— — — qualis, si puppe relicta
Exosus pigri manes sulcator Averni
Exeat ad superos.

771) *dirus exclamat*) Alii *durus.* Perperam. Varro Satyra Menippea, quae Bimargus inscribitur: *Scaena quem senem Latina vidit dirissimum.*

776) *sedit, et gravior ratis*) Scripsit, opinor, *sidit.* Gronovius.

Parum referre judico cum Burmanno ad Propert. III. 7. 37. Senecam imitatur Statius Theb. V. v. 401:

Tunc victa trepidant monstra, Centauri truces,
Lapithaeque multo in bella succensi mero.
Stygiae paludis ultimos quaerens sinus,
Foecunda mergit capita Lernaeus labos.
Post haec avari Ditis apparet domus:
Hic saevus umbras territat Stygius canis,
Qui trina vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur: sordidum tabo caput
Lambunt colubrae: viperis horrent jubae:
Longusque torta sibilat cauda draco;
Par ira formae. sensit ut motus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Missumque captat aure subrecta sonum,
Sentire et umbras solitus. ut propior stetit
Jove natus, antro sedit incertus canis,

---

attonito manifestus in agmine supra est
Amphitryoniades, puppemque alternis utrinque
Ingravat.

Utrique vero praeiverat Apollonius Argonaut. I. v. 533:

καὶ οἱ ἔνερθε
ποσσὶν ὑπεκλύσθη νηὸς τρόπις.

784) *trina vasto capita)* Alii codices *terna.* Sed nihil opus. Idem enim in Thyeste v. 676:

saepe latratu nemus
Trino remugit.

ubi et ad Cerberi latratum respicit. Burmannus ad Ov. Heroid. IX. v. 38.

789) *Attollit hirtas angue vibrato comas)* Respexit illud Maronis Aen. VI. v. 419. de eodem:

horrere videns jam colla colubris.

792) *antro sedit)* Aliqua exemplaria *cedit.* Heinsius corrigere tentavit: *antro se dat.* Sed tuetur vul-

Et uterque timuit. ecce, latratu gravi
Loca muta terret, sibilat totos minax
Serpens per armos: vocis horrendae fragor
Per ora missus terna felices quoque
Exterret umbras. solvit a laeva feros
Tunc ipse rictus, et Cleonaeum caput
Opponit, ac se tegmine ingenti clepit:
Victrice magnum dextera robur gerens,
Huc nunc et illuc verbere assiduo rotat,
Ingeminat ictus. domitus infregit minas,
Et cuncta lassus capita submisit canis,
Antroque toto cessit. extimuit sedens

---

gatam simillimus Theocriti locus XXV. v. 84. de canibus, Augei stabulum servantibus:

ἐσσυμένως ποτὶ ταῦλιον ἴζον ἰόντες.

794) *sibilat totos minax)* Editio Scriveriana *tortos*, operarum haud dubie vitio. Claudianus XXXV. v. 211. de leone:

rabiem totos exegit in armos.

797) *feros Tunc ipse rictus)* Idem *feros leonum rictus* dixit in Thyeste v. 77. nec audiendi codices, qui *ferox* repraesentant. Hoc enim gravius est, quam pro re.

804) *Antroque toto cessit)* Heinsio visum *noto* rescribere. Sed intercedit Virgilius, qui Aen. VI. v. 423. de eodem ait:

toto ingens extenditur antro.

antro cessit, id est, in antrum se recepit. Imitatur Statius Theb. VIII. v. 97:

fugiat nec tristis in antrum Cerberus.

Uterque solio dominus, et duci jubet:
Me quoque petenti munus Alcidae dedit.
Tunc gravia monstri colla permulcens manu
Adamante texto vincit. oblitus sui
Custos opaci pervigil regni canis
Componit aures timidus; et patiens trahi,
Herumque fassus, ore submisso obsequens
Utrumque cauda pulsat anguifera latus.
Postquam est ad oras Taenari ventum, et nitor
Percussit oculos lucis ignotae bonus,

---

805) *duci jubet*) Heinsius volebat *educi*, nempe ab inferis. Nimio melius *duci* monstrum jubetur devictum. Nepos Datam. 3: *vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret.*

814) *lucis ignotae, novos Resumit animos vinctus*) Sic a conjectura Rutgersii. Vulgo, *bonos*. Lipsius malle ait: *lucis ignotae bono:* non addito, fueritne libri veteris ea, an ab ipso excogitata scriptura. Sed quia occurrit eadem Zinzerlingio in Thuringico et Rutgersio in Morelli exemplari scripto, et ante omnia nobis in Etrusco, verisimile est fuisse illius quoque membranarum. Commendat eam Zinzerlingius loco Senecae epist. 79: *adhuc nondum fruitur bono lucis,* et Statii 8 Theb. *jucundaque offensus luce profatur.* Censeo scripsisse auctorem, *ignoto bono.* Et nitor lucis percussit oculos ignoto bono: vel nitor coeli percussit oculos ignoto bono lucis. Tacitus 2. annal. *sed prompti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia.* Nec insuave esset, *ignotum bonum*, per *ἐπεξήγησιν.* Gronovius.

Haec inficeta sunt omnia prae venustissima verissimaque Wakefieldi ad Lucret. II. v. 418. correctione:

Resumit animos vinctus, et vastas furens
Quassat catenas: paene victorem abstulit,
Pronumque retro vexit, et movit gradu.
Tunc et meas respexit Alcides manus:
Geminis uterque viribus tractum canem
Ira furentem, et bella tentantem irrita,
Intulimus orbi. vidit ut clarum aethera,
Et pura nitidi spatia conspexit poli,
Oborta nox est, lumina in terram dedit,
Compressit oculos, et diem invisum expulit,
Aciemque retro flexit, atque omni petiit
Cervice terram: tum sub Herculeas caput
Abscondit umbras. Densa sed laeto venit

Postquam est ad oras Taenari ventum, et nitor
Percussit oculos lucis ignotae bonus,
Resumit animos vinctus.

nitor bonus, id est, pulcher, jucundus. vide ipsum et compara Senec. Agam. v. 862.

818) *meas respexit*) tanquam adjutrices. Eodem sensu Papinius Theb. VI. v. 453. dixit:

lassa veluti ratione magister
In fluctus, in saxa ruit, nec jam amplius astra
Respicit.

826) *sub Herculeas caput Abscondit umbras*) Ita princeps liber. Vulgo: *sub Herculea caput Abscondit umbra*, minus poëtice. Virgilius Aen. VIII. v. 538:

quam multa sub undas
Scuta virum galeasque et fortia corpora volves.

ubi vid. Heyn. et Burman. ad Ov. Met. VI. v. 370.

Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magnique meritas Herculis laudes canit.

CHORUS THEBANORUM.

Natus Eurystheus properante partu,
Jusserat mundi penetrare fundum:
Deerat hoc solum numero laborum,
Tertiae regem spoliare sortis.
Ausus est caecos aditus inire,
Ducit ad manes via qua remotos
Tristis, et silva metuenda nigra,
Sed frequens magna comitante turba.
Quantus incedit populus per urbes
Ad novi ludos avidus theatri:
Quantus Eleum ruit ad Tonantem,
Quinta cum sacrum revocavit aestas:
Quanta, cum longae redit hora noctis,
Crescere et somnos cupiens quietos
Libra, Phoebeos tenet aequa currus,
Turba secretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis

---

842) *cum longae redit hora noctis*) *nocti* Gronovius praefert ex Florentino, vultque dictum esse per hypallagen pro, *cum longa redit hora nocti.* Quod mihi durum videtur, et *ἀσχήματον.* *horam noctis* pro nocte dixit ad exemplum Ovidii Heroid. XIX. v. 33. *redit* ea, cum longiores fiunt, vel, ut loquitur Lucretius V. v. 680., augmina sumunt noctes.

846) *Et citi tectis properant relictis)* Mallet Heinsius *Exciti*, laudans e Virg. Aen. IV. v. 301:

Attici noctem celebrare mystae:
Tanta per campos agitur silentes
Turba: pars tarda gradiens senecta,
Tristis, et longa satiata vita:
Pars adhuc currit melioris aevi,
Virgines nondum thalamis jugatae,
Et comis nondum positis ephebi,
Matris et nomen modo doctus infans:
His datum solis, minus ut timerent,
Igne praelato relevare noctem.
Ceteri vadunt per opaca tristes:
Qualis est nobis animus, remota
Luce, cum moestus sibi quisque sentit
Obrutum tota caput esse terra.

---

qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.

Sed Eleusinia non, ut Trieterica, cum furore peragebantur. Varro Satyra Menippea, quae Cygnus inscribitur: *Tua templa ad alta, Phani, properans citus itere.* Ammianus XXVIII. 4: *Exoptato die equestrium ludorum illucescente, nondum Solis puro jubare, effusius omnes festinant praecipites.* Statius Silv. VIII. v. 50:

Tuque, Actaea Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada mystae.

850) *longa satiata vita)* *longae vitae* Broukhusius maluisse fertur. Sed ablativi ratio est, quod vastus literae *a* sonus rei, de qua agitur, melius convenit. Tale et illud Propertii IV. 10. 20. de Romulo:

Et galea hirsuta comta lupina juba.

Stat chaos densum, tenebraeque turpes,
Et color noctis malus, ac silentis
Otium mundi, vacuaeque nubes.
Sera nos illo referat senectus.
Nemo ad id sero venit, unde nunquam,
Cum semel venit, potuit reverti.
Quid juvat durum properare fatum?
Omnis haec magnis vaga turba terris
Ibit ad Manes, facietque inerti
Vela Cocyto. tibi crescit omne,
Et quod Occasus videt, et quod Ortus:
Parce venturis; tibi, Mors, paramur:
Sis licet segnis, properamus ipsi.
Prima quae vitam dedit hora, carpit.

---

874) *Prima quae vitam dedit hora, carpit)* Idem Epist. 120. de morte: *Carpit nos illa, non corripit.* Explanat se ipse Consolat. ad Marc. 20: *Habebit quisque, quantum illi dies primus adscripsit. ex illo, quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est, accessitque fato propior: et illi ipsi, qui adjiciebantur adolescentiae anni, vitae detrahebantur. In hoc omnes errore versamur, ut non putemus ad mortem, nisi senes inclinatosque jam vergere: cum illo infantia statim, et juventa, omnisque aetas ferat. Agunt opus suum fata: nobis sensum nostrae necis auferunt: quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitae nomine latet. Infantem in se pueritia convertit, pueritiam pubertas, pubertatem juventus, juventutem senectus abstulit. Incrementa ipsa si bene computes, damna sunt.* Senecae consonat Plutarchus in Consolat. ad Apollon. 14: πότε

Thebis laeta dies adest:
Aras tangite supplices,
Pingues caedite victimas:
Permixtae maribus nurus
Solemnes agitent choros:
Cessent deposito jugo
Arvi fertilis incolae.
Pax est Herculea manu
Auroram inter et Hesperum:
Et qua sol medium tenens

γὰρ ἐν ἡμῖν αὐτοῖς οὐκ ἔστιν ὁ θάνατος; καὶ (ᾗ φησιν Ἡράκλειτος) ταὐτό τ᾽ ἔνι ζῶν καὶ τεθνηκὸς, καὶ ἐγρηγορὸς καὶ καθεῦδον, καὶ νέον καὶ γηραιόν. τάδε γὰρ μεταπεσόντα, ἐκεῖνά ἐστι, κἀκεῖνα πάλιν μεταπεσόντα, ταῦτα. et 15: *ἡ πρώτη οὖν αἰτία ἡ δείξασα ἡμῖν τὸ τοῦ ἡλίου φῶς, ἡ αὐτὴ καὶ τὸν ζοφερὸν ᾅδην ἄγει.*

884) *qua Sol medium tenens)* Heinsius opinatur scriptum esse:

Et qua Sol medius tenens —

vel, *medius viae;* nisi exciderit versus. Mihi, vulgatam tuenti, *sol medium tenens* est meridianus vel altissimus, haud dissimiliter notatus Lucano IV. v. 155:

Restituunt artus, donec decresceret umbra
In medium surgente die.

ubi Burmannum vide; Nonno p. 758. v. 12:

ὁππότε γαίης
ἠὼς μέσσον ἀνεῖχε.

et Theocrito XXV. v. 216:

ἤματος ἦν τὸ μεσηγύ.

conf. praeterea Lucret. VI. v. 723. Ov. Met. II. v. 417 et Prudent. Cathem. III. v. 87.

Umbras corporibus negat.
Quodcunque alluitur solum
Longo Tethyos ambitu,
Alcidae domuit labor.
Transvectus vada Tartari
Pacatis redit inferis.
Jam nullus superest timor:
Nil ultra jacet inferos.
Stantes sacrificus comas
Dilecta tege populo.

---

885) *Umbras corporibus negat)* Heliodor. Aethiopic. IX. 22: *τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος κατὰ τροπὰς θερινὰς ἐν τοῖς περὶ Συήνην εἰς ἀκρίβειαν κατὰ κορυφὴν ἱσταμένης καὶ τῷ πανταχόθεν περιφωτισμῷ τὴν παρέμπτωσιν τῆς σκιᾶς ἀπελαυνούσης.*

ACTUS QUARTUS.

HERCULES, TRESEUS, AMPHITRYON, MEGARA.

HERC. Ultrice dextra fusus adverso Lycus
Terram cecidit ore: tum quisquis comes
Fuerat tyranni, jacuit et poenae comes.
Nunc sacra patri victor et superis feram,
Caesisque meritas victimis aras colam.
Te, te, laborum socia et adjutrix, precor,
Belligera Pallas, cujus in laeva ciet
Aegis feroces ore saxifico minas.
Adsit Lycurgi domitor et rubri maris,
Tectam virenti cuspidem thyrso gerens:
Geminumque numen, Phoebus et Phoebi soror,
Soror sagittis aptior, Phoebus lyrae;

---

895) *Ultrice dextra*) Florentinus *Victrice*. Nostram lectionem flagitat sequens *poenae comes*.

896) *Terram cecidit ore*) Haec locutio fluxit a Virgilio, Aen. X. v. 404:

curruque volutus
Caedit semanimis Rutulorum calcibus arva.

Fraterque quisquis incolit coelum meus,
Non ex noverca frater; huc appellite
Greges opimos. quidquid Indorum seges,
Arabesque odoris quidquid arboribus legunt,
Conferte in aras; pinguis exundet vapor.
Populea nostras arbor exornet comas:
Te ramus oleae fronde gentili tegat,
Theseu. Tonantem nostra adorabit manus:
Tu conditores urbis, et silvestria
Trucis antra Zethi, nobilis Dircen aquae,
Laremque regis advenae Tyrium coles.
Date tura flammis. AMPH. Nate, manantes prius
Manus cruenta caede et hostili expia.

---

909) *Indorum seges*) Withofius castigabat *Indorum genus*. At veteres frequenter simplici verbo defunguntur, ubi duplex requirit sensus. vid. Sanct. Minerv. p. 712. ibique Perizon.

910) *odoris quidquid arboribus*) Has nominatim persequitur Avienus in Descript. orb. terr. v. 1111:

felici terra recumbit
Tota solo: tellus hic semper flagrat odoro
Cespite: prorumpit lacrimoso stipite myrrha,
Myrrha furor quondam Cinyreius; hic ladani vim
Vellera desudant, calami coma pullulat almi,
Gignit humus casiam, concrescunt tura per agros
Longaque foecundis pinguescit odoribus ora.

916) *nobilis Dircen aquae*) Reddidit fideliter Euripideum *ῥεύματα σεμνὰ Δίρκας* Iphig. in Taur. v. 401, unde per se corruit emendatio Withofii: *nobilis Dirces nemus*.

HERC. Utinam cruorem capitis invisi Deis
Libare possem, gratior nullus liquor
Tinxisset aras: victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima mactari Jovi,
Quam rex iniquus. AMPH. Finiat genitor tuos
Opta labores: detur aliquando otium,
Quiesque fessis. HERC. Ipse concipiam preces
Jove meque dignas. Stet suo coelum loco,
Tellusque et aether: astra inoffensos agant

---

928) *et aether*) Heinsius dicat *aequor*. ita et in tres partes dividi rerum machinam v. 1054:

Lugeat aether, magnusque parens
Aetheris alti, tellusque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda.

Sed *aether* hic est, ut saepius, aër, et sic quoque sibi constat Annaeus, qui similiter universum dividat Natural. Quaest. II. 1: *Omnis de universo quaestio in* *c o e l e s t i a*, *s u b l i m i a*, *et t e r r e n a dividitur. Prima pars naturam siderum scrutatur, et magnitudinem et formam ignium, quibus mundus includitur: solidumne sit coelum, ac firmae concretaeque materiae, an ex subtili tenuique nexum: agatur, an agat: et infra se sidera habeat, an in contextu sui fixa: quemadmodum sol anni vices servet: an retro flectat; cetera deinceps his similia. Secunda pars tractat inter coelum terramque versantia. Haec sunt nubila, imbres, nives, et humanas motura tonitrua mentes: quaecunque aër facit patiturve. Haec sublimia dicimus, quia editiora imis sunt. Tertia illa pars de agris, terris, arbustis, satis quaerit, et (ut Jurisconsultorum verbo utar) de omnibus quae solo continentur.*

Aeterna cursus; alta pax gentes alat:
Ferrum omne teneat ruris innocui labor:
Ensesque lateant: nulla tempestas fretum
Violenta turbet: nullus irato Jove
Exsiliat ignis: nullus hiberna nive
Nutritus agros amnis eversos trahat:
Venena cessent: nulla nocituro gravis
Succo tumescat herba: non saevi ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet; et si quod parat
Monstrum, meum sit. Sed quid hoc? medium diem
Cinxere tenebrae: Phoebus obscuro meat
Sine nube vultu. quis diem retro fugat,
Agitque in ortus? unde nox atrum caput
Ignota profert? unde tot stellae polum
Implent diurnae? primus en noster labor
Coeli refulget parte non minima Leo,
Iraque totus fervet, et morsus parat;
Jam rapiet aliquod sidus: ingenti minax
Stat ore, et ignes efflat, et rutilat jubam

---

948) *et rutila jubam Cervice jactat*) Lege ex scriptis editisque vetustis: *rutilat jubam Cervice jactans*, sed ut *rutilat* neutraliter accipias. Nam *rutilare comas* non est crispare, quod videbatur Gronovio, sed colorem rutilum inducere, ut docuit Joh. Arntzenius libelli *de colore et tinctura comarum* pag. 117. Male propterea Gronovius ad Troad. v. 468. *jactans* in *jacta* mutat. Noster simillimo loco Herc. Oet. v. 70:

Annum fugacem tradit Astraeae Leo.
At ipse jactans fervidam collo jubam
Austrum madentem siccat, et nimbos trahit.

Cervice jactans: quidquid autumnus gravis,
Hiemsque gelido frigida spatio refert,
Uno impetu transiliet: et verni petet
Frangetque Tauri colla. AMPH. Quod subitum hoc malum est?
Quo, nate, vultus huc et huc acres refers?
Acieque falsum turbida coelum vides?
HERC. Perdomita tellus, tumida cesserunt freta,
Inferna nostros regna sensere impetus:
Immune coelum est; dignus Alcidae labor.
In alta mundi spatia sublimis ferar:
Petatur aether, astra promittit pater.
Quid si negaret? non capit terra Herculem,
Tandemque superis reddit. en ultro vocat
Omnis Deorum coetus, et laxat fores,
Una vetante recipis, et reseras polum?
An contumacis januam mundi traho?
Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam,
Contraque patris impii regnum impotens
Avum resolvam. Bella Titanes parent
Me duce furentes: saxa cum silvis feram,
Rapiamque dextra plena Centauris juga.
Jam monte gemino limitem ad superos agam.
Videat sub Ossa Pelion Chiron suum:

---

957) *dignus Alcidae labor*) Fuere, qui *Alcida* reponi mallent. Sed *dignus* non genitivo minus quam ablativo jungi docent Vossius l. I. de Construct. c. XL et Heinsius ad Ov. Trist. IV. 3. 57.

968) *saxa cum silvis feram*) Alii *traham*, quod solenne. Vid. Burmann. ad Virg. Georg. I. v. 483.

In coelum Olympus tertio positus gradu
Perveniet, aut mittetur. AMPH. Infandos procul
Averte sensus: pectoris sani parum,
Magni tamen, compesce dementem impetum.
HERC. Quid hoc? gigantes arma pestiferi movent:
Profugit umbras Tityos, ac lacerum gerens
Et inane pectus, quam prope a coelo stetit?
Labat Cithaeron, alta Pallene tremit,
Macetumque Tempe. rapuit hic Pindi juga:
Hic rapuit Oeten. saevit horrendum Mimas.
Flammifera Erinnys verbere excusso sonat,
Rogisque adustas propius ac propius sudes
In ora tendit. saeva Tisiphone caput
Serpentibus vallata, post raptum canem
Portam vacantem clausit opposita face.

---

972) *tertio positus gradu*) Heinsius conjectabat *oppositus*. Nostram vero lectionem non solum vox *gradu* postulat, sed etiam alter locus Troad. v. 830:

Pelion regnum Prothoi superbum
Tertius coelo gradus.

In ordinandis montibus Virgilium sequitur, Georg. I. v. 281:

sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum.

Inverso noster ordine struxit in Herc. Oet. v. 1152:

Jam Thessalicam Pelion Ossam
Premet.

ad instar Homeri Od. XI. v. 314:

Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον.

Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen. inviso patri
Haec dextra jam vos reddet. excutiat leves
Nervus sagittas. tela sic mitti decet
Herculea. AMPH. Quo se caecus impegit furor?
Vastum coactis flexit arcum cornibus,
Pharetramque solvit. stridet emissa impetu
Arundo. medio spiculum collo fugit
Vulnere relicto. HERC. Ceteram prolem eruam,
Omnesque latebras. quid moror? majus mihi

---

988) *inviso patri Haec dextra jam vos reddet)* Alloquitur per furorem filios suos, quasi Lyci suboles essent. Nihil hic mutant libri veteres, nihil hucusque suspicati sunt eruditi. Censeo tamen auctorem scripsisse, *Invito.* Nam in eo est acumen. Solent alias volentes gaudentesque patres recipere liberos, a quibus separati fuere. At vos ille recipiet ingratiis, quippe quos superesse mallet et genus propagare et patrem ulcisci. Gronovius.

Mirum acumen! Cui enim parenti, vel defuncto, si quis remanet sensus in umbris, cui igitur parenti non invito sic redduntur liberi?

991) *impegit furor)* Verbum Annaeo frequentatum. De ira I. 3: *Irasci dicit, incitari, impingi.* III. 24: *neminem tam maturum, cujus non gravitatem in aliquod fervidius factum casus impingat.* Epist. 95: *Sciet, in uxorem gravissimum esse genus injuriae, pellicari; sed illum libido in contraria impinget.*

996) *Omnesque latebras)* Exempla, quibus duo nomina uni verbo junguntur, et diversam ejus significationem faciunt, plura collegit Perizonius ad Sanctium IV. 8.

Bellum Mycenis restat: ut Cyclopia
Eversa manibus saxa nostris concidant,
Huc eat et illuc valva dejecto objice,
Rumpatque posteis. columen impulsum labet.

---

4. ne cum Gronovio legas: *eruam* **Omnem** *e latebris.*

997) *ut Cyclopea Eversa manibus saxa*) Legendum *Cyclopia*, non *Cyclopea*, quod penultimam producit. vid. Heins. ad Virgil. Aen. I. v. 201. *Cyclopia* vero *saxa* cape: Mycenarum regiae moenia a Cyclopibus structa. Thyest. v. 407:

Cyclopum sacras
Turres, labore majus humano decus.

Jam nunc enim per furorem imaginatur se Mycenis esse: nec posse reperire latitantes de hostium domo, nisi eversa regia et angulis omnibus apertis, ut observavit Gronovius, et praeivit Euripides Herc. fur. v. 963:

δεινὰ δ' Εὐρυσθεῖ βρέμων,
ἦν ἐν Μυκήναις τῷ λόγῳ.

999) *Huc eat et illuc aula disjecto objice*) Haec sunt nihili. Scribe:

Huc eat et illuc *valva dejecto objice,*
Rumpatque postes.

dejecto ex Florentino. id est, subverso, ut loquitur Tacitus Annal. XIII. 39: *objices portarum subversi.* Correctionem *valva* confirmat Euripides, eandem rem narrans, Herc. fur. v. 999:

ὁ δ' ὡς ἐπ' αὐτοῖς δὴ Κυκλωπείοισιν ὢν,
σκάπτει, μοχλεύει θύρετρα· κἀκβαλὼν σταθμὰ,
δάμαρτα καὶ παῖδ' ἑνὶ κατέστρωσεν βέλει.

obex, ζύγωθρον, μοχλός. valva *postes* trahit. *Ibi enim postis est, ubi templi aditus est et valvae,* ut

Perlucet omnis regia. hic video abditum
Natum scelesti patris. AMPH. En, blandas manus
Ad genua tendens, voce miseranda rogat.
Scelus nefandum, triste, et aspectu horridum,
Dextra precante rapuit, et circa furens
Bis ter rotatum misit: ast illi caput
Sonuit; cerebro tecta disperso madent.

---

ait Cicero in Orat. pro Domo sua §. 121. Nec insolens est, *valvam* singulari numero poni. Petron. c. 96: *Videbamus nos omnia per foramen valvae, quod paulo ante ansa ostii disrupta laxaverat.* Propert. II. 23. 13:

Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvae, Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
Altera moerebat funera Tantalidos.

Pomponius apud Nonium I. 69: *in prima valva etiam vix haeret misera.*

1001) *Perlucet omnis regia*) Plane ita Plautus Rudente I. 2. 14:

Villam integundam intellego totam mihi,
Nam nunc perlucet ea, quam cribrum, crebrius.

1005) *Dextra precante*) Dictio est Maroniana. XII. Aen. 930:

Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens.

1006) *Bis ter rotatum misit*) instar Athamantis furentis Ovid. Met. IV. v. 517:

Deque sinu matris ridentem et parva Learchum
Brachia tendentem rapit, et bis terque per auras
More rotat fundae, rigidoque infantia saxo
Discutit ossa ferox.

At misera parvum protegens natum sinu
Megara, furenti similis e latebris fugit.
HERC. Licet Tonantis profuga condaris sinu,
Petet undecunque temet haec dextra, et feret.
AMPH. Quo misera pergis? quam fugam, aut latebram petis?
Nullus salutis Hercule infenso est locus:
Amplectere ipsum potius, et blanda prece
Lenire tenta. MEG. Parce jam, conjux, precor,
Agnosce Megaram; natus hic vultus tuos,
Habitusque reddit: cernis, ut tendat manus?
HERC. Teneo novercam: sequere, da poenas mihi,
Jugoque pressum libera turpi Jovem.
Sed ante matrem parvulum hoc monstrum occidat.
MEG. Quo tendis amens? sanguinem fundes tuum?
AMPH. Pavefactus infans igneo vultu patris
Perit ante vulnus: spiritum eripuit timor.
In conjugem nunc clava libratur gravis:
Perfregit ossa: corpori trunco caput
Abest, nec usquam est. cernere hoc audes nimis
Vivax senectus? si piget luctus, habes
Mortem paratam. pectus in tela indue;

1013) *Hercule infenso*) Florentinus aliique complures *infesto*, quod usitatius est. Sed *infensus* eadem analogia dicitur, ut ostendit Ernestius ad Tac. An. VI. 34.

Vel stipitem istum caede monstrorum illitum
Converte. falsum ac nomini turpem tuo
Remove parentem, ne tuae laudi obstrepat.
THES. Quo te ipse, senior, obvium morti ingeris?
Quo pergis amens? profuge, et obtectus late,
Unumque manibus aufer Herculeis scelus.
HERC. Bene habet: pudendi regis excisa est domus.
Tibi hunc dicatum, maximi conjux Jovis,
Gregem cecidi. vota persolvi libens
Te digna: et Argos victimas alias dabit.
AMPH. Nondum litasti, nate: consumma sacrum.

1029) *Vel stipitem istum caede monstrorum illitum Converte*) Malebam aliquando *istuc* pro *istum*. Nunc placet magis, ut nihil mutemus, ipsa re, quorsum spectet oratio, declarante, similesque ellipses referente Sanctio Minerv. p. 657. *Converte* firmat Petronius c. 89: *Quod si utique, proclamabat, facinore opus est, nudo ecce jugulum, convertite huc manus, imprimite mucrones.*

1038) *et Argos victimas alias dabit*) Ait Hercules, se vota, propter amplitudinem victimarum, Junone digna, persolvisse, et alias victimas, puta Eurystheum, Argis mactaturum esse. Nam *et* saepe diversa tempora jungere, notius est, quam ut exemplis demonstrare attineat.

1039) *Nondum litasti*) Similiter Demonax apud Lucianum in ejus vita: *ἄνδρες γάρ, ἔφη, Ἀθηναῖοι, ἐμὲ μὲν*

Stat, ecce, ad aras hostia, exspectat manum
Cervice prona. praebeo, occurro, insequor:
Macta. Quid hoc est? errat acies luminum,
Visusque moeror hebetat. En video Herculis
Manus trementes? vultus in somnum cadit,
Et fessa cervix capite submisso labat;
Flexo genu jam totus ad terram ruit:
Ut caesa silvis ornus, aut portus mari
Datura moles. vivis? an leto dedit
Idem, tuos qui misit ad mortem, furor?
Sopor est, reciprocos spiritus motus agit.
Detur quieti tempus, ut somno gravi
Vis victa morbi pectus oppressum levet.
Removete, famuli, tela, ne repetat furens.

ὁρῶντες ἐστεφανωμένον, ὑμεῖς ἤδη κἀμὲ καταθύσατε. τὸ γὰρ πρότερον οὐκ ἐκαλλιερήσατε.

1046) *ad terram ruit)* Frustra est Heinsius, qui reponit: *ad terram fluit.* Imitatur enim noster Virgilium Aen. IX. v. 708:

conlabsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens;
Qualis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante
Constructam ponto jaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis inlisa recumbit.

1051) *somno gravi)* Recte ita rescriptum pro *gravis.* Nam, ut ait Quinctilianus Declamat. II. 34. *gra-*

CHORUS THEBANORUM.

Lugeat aether, magnusque parens
Aetheris alti, tellusque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda.
Tuque ante omnes, qui per terras,
Tractusque maris fundis radios,
Noctemque fugas ore decoro,
Fervide Titan. obitus pariter
Tecum Alcides vidit et ortus,
Novitque tuas utrasque domos.
Solvite tantis animum monstris;
Solvite, superi: rectam in melius
Flectite mentem. tuque o domitor,
Somne, laborum, requies animi,
Pars humanae melior vitae,
Volucer, matris genus Astraeae,
Frater durae languide Mortis,

---

vior est quies, quibus ex lassitudine calamitatum venit. et respicit noster illud Euripidis Herc. fur. v. 1034:

εὕδοντος ὕπνον δεινὸν ἐκποδὼν φόνου.

1064) *Solvite superi)* Etruscus: *Solvite o superi,* adversante metro.

1066) *domitor, Somne, malorum)* id est, aerumnarum, laborum. Alexis:

ὕπνος βροτείων, ὦ κόρη, παυστὴρ πόνων.

Colutho v. 309. νὺξ πόνων ἄμπαυμα. Plutarchus de Superstit. 3. τὸν ὕπνον οἱ θεοὶ λήθην κακῶν ἔδοσαν ἡμῖν καὶ ἀνάπαυσιν.

Veris miscens falsa, futuri
Certus, et idem pessimus auctor:
Pater o rerum, portus vitae,
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi famuloque venis,

1070) *Veris miscens falsa*) Orpheus Hymno in Somnum:

ἄγγελε μελλόντων, θνητοῖς χρησμῳδὲ μέγιστε.

1072) *Pater o rerum*) Sic eundem invocat Val. Flaccus VIII. v. 70:

Somne pater! Somne omnipotens!

Utrique vero praeivit Homerus Il. XIV. v. 233:

ὕπνε, ἄναξ πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων.

Adeoque non erat, cur Withofius rescriberet: *Statio rerum.*

1074) *Qui par regi famuloque venis, Placidus fessum lenisque fovens: Pavidum leti genus humanum Cogis longam discere mortem: Preme devictum torpore gravi.*) *Fovens* ab Scaligero est: nam prius vulgati, *fove.* Florentiae habetur:

Qui par regi famuloque venis,
Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem;
Placidus fessum lenisque fove:
Preme devinctum torpore gravi.

Recte forsan, inquit Gronovius, modo juves scribendo *Cogens* et *fovens.* Ego simpliciter admitto. Nam asyndeta precationem faciunt ardentiorem. *fessum* refer ad Herculem, ex lassitudine dormientem. Supra v. 1045:

Et fessa cervix capite summisso labat.

Melius porro *devinctum torpore* quam *devictum.* Suetonius Octav. 16: *tam arcto repente somno devinctus.* et paucis interjectis: *supinum, coelum*

Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem;
Placidus fessum lenisque fove:
Preme devinctum torpore gravi.
Sopor indomitos alliget artus;
Nec torva prius pectora linquat,
Quam mens repetat pristina cursum.
En, fusus humi saeva feroci
Corde volutat somnia. nondum est
Tanti pestis superata mali:
Clavaeque gravi lassum solitus
Mandere caput, quaerit vacua
Pondera dextra, motu jactans
Brachia vano: nec adhuc omnes
Expulit aestus. sed, ut ingenti

---

intuentem, stupidum cubuisse. Pro *longam mortem* Janus Dousa fil. ad Catull. V. 6. 6. probante Burmanno ad Propert. II. 10. 17. et 12. 24. scribit *longam noctem.* Atqui et Statius Theb. I. v. 48. dixit:

Merserat aeterna damnatum nocte pudorem
Oedipodes, longaque animam sub morte tenebat.

Plutarchus Consolat. ad Apollon. 17. οὐκ ἀμούσως δ' ἔδοξεν ἀποφήνασθαι οὐδ' ὁ εἰπὼν τὸν ὕπνον τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια. προμύησις γὰρ ὄντως ἐστὶ τοῦ θανάτου ὁ ὕπνος. Amphis:

θάνατος δ' ἀθάνατός ἐστιν, ἂν ἅπαξ τὶς ἀποθάνῃ.

discere mortem, id est, meditari, ut bene Gronovius ad Tac. An. III. 31.

Vexata Noto servat longos
Unda tumultus, et jam vento
Cessante tumet. pelle insanos
Fluctus animi. redeat pietas,
Virtusque viro: vel sit potius
Mens vesano concita motu;
Error caecus, qua coepit, eat.
Solus te jam praestare potest
Furor insontem. Proxima puris
Sors est manibus, nescire nefas.
Nunc Herculeis percussa sonent
Pectora palmis: mundum solitos
Ferre lacertos verbera pulsent
Victrice manu: gemitus vastos

1091) *et jam vento Cessante tumet*) Withofius conjicit: *ita mens ira Cessante tumet.* Nihil vidi magis. Gellius II. 30. *Austro vel Africo — jam nihil spirantibus, undae tamen factae diutius tument, et a vento quidem jamdudum tranquillae sunt, sed mare est etiam atque etiam undabundum.*

1103) *Victrice manu*) Heinsius malit *Ultrice.* Sed *victrix* dicitur, quae hosti non parcit, nec verberibus temperat. Victoria enim natura insolens et superba est, ut ait Cicero pro Marcello §. 9. sicque Junonis in prima Tragoedia v. 116. votum impletur:

Me pariter et se vincat, et cupiat mori
Ab inferis reversus.

Ibid.) *gemitus vastos*) *vastos* dicit epitheto Virgiliano: Georg. III. v. 222:

Versaque in obnixos urguentur cornua vasto
Cum gemitu.

Audiat aether, audiat atri
Regia populi, vastique ferox
Qui colla gerit vincta catenis,
Imo latitans Cerberus antro.
Resonet moesto clamore chaos,

---

atque ita postulant verbera victrice manu data, hoc est, vesani ictus. Quare non debebat Heinsius rescribere: *gemitus i s t o s Audiat aether.*

1105) *atri Regina poli)* Florentinus aeque ut Moguntinus exhibet *Regia.* Scribendum de Withofii conjectura: *atri Regia p o p u l i,* quod ipse confirmat ex Horatio Od. I. 24. 18:

N i g r o compulerit g r e g i Mercurius.

populus infernae Stygis est Oedip. v. 396. *populus Ditis* ibid. v. 573. et hac Tragoedia v. 293. *Regia populi* vero dicitur eodem exemplo, quo *gregis regia* Valerio Flacco V. v. 67. *arx omnium gentium* Nazario in Panegyr. Constant. c. 35. et similia. *Regiam* inferis vindicant Euripides Alcest. v. 260:

ἄγει μ', ἄγει μέ τις, οὐχ ὁρᾷς;
ν ε κ ύ ω ν ἐς α ὐ λ ὰ ν,
ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγέσι
βλέπων πτερωτὸς ἅδας.

Statius Theb. IV. v. 476:

o saevissime fratrum,
Cui servire dati manes, aeternaque sontium
Supplicia, atque i m i famulatur r e g i a m u n d i.

Idem ib. VIII. v. 80:

atque illi jamdudum r e g i a t r i s t i s
Attremit oranti.

aliique.

Latique patens unda profundi,
Et, qui melius tua tela tamen
Senserat, aër.
Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda levi:
Uno planctu tria regna sonent.
Et tu collo decus ac telum
Suspensa diu fortis arundo,
Pharetraeque graves, date saeva fero
Verbera tergo; caedant humeros
Robora fortes, stipesque potens

1109) *Lateque patens unda profundi)* Florentinus, Vossianus, Trajectinus et septem ex nostris cum editionibus antiquis: *Latique patens unda profundi.* Recte vero. Statius Theb. V. v. 283:

tu lato patrem committe profundo.

Val. Flaccus I. v. 588:

hinc in terras latumque profundum
Est iter.

ubi Vossius epitheti fontem indicavit Homerum, εὐρέα νῶτα θαλάσσης dicentem Il. II. v. 159.

1115) *decus ac telum)* Heinsius, probante Burmanno ad T. I. Anthol. Lat. p. 336., emendat *decus assuetum.* Ego firmatam a Mss. lectionem simpliciter accipio: arcus et sagittae, quae arma sunt Herculis, cum alii aliter arment. vid. Heyn. Obss. ad Apollodor. p. 138. *collo decus* pro, collum ornans. *humerum insignem pharetra* dixit Horatius Od. I. 21. 11.

1119) *stipesque potens) potens* legi vult Heinsius, eo sensu, quo petere aliquem ense, hasta, jaculo, sagitta, et similia dicuntur. Sed gravius id quam pro re, cum *potens* optime conveniat *domitrici ferarum,* ut clavam Herculis vocat Ovidius Her. IX. v. 117.

Duris oneret pectora nodis:
Plangant tantos arma dolores.
Non vos patriae laudis comites,
Ulti saevo vulnere reges;
Non Argiva membra palaestra
Flectere docti, fortes caestu,
Fortesque manu; jam tamen ausi
Telum Scythicis leve corytis
Missum certa librare manu,
Tutosque fuga figere cervos,
Nondumque ferae terga jubatae;
Ite ad Stygios umbrae portus,

1120) *Duris oneret pectora nodis)* Errat Gronovius, qui putat nimis Comicum *onerare pectora nodis,* emendatque: *Duris urat pectora nodis.* Auctor enim per *nodos* intelligit tubera ex plagis a stipite illatis, et loquitur eodem modo Statius Theb. IV. v. 73. de Tauro:

nam trunca vident de vulnere multo
Cornua, et ingentes plagarum in pectore nodos.

1123) *Ulti saevo vulnere reges)* Legitur et *saevos,* Farnabio non improbante. Sed tales inultos esse reges, per se intelligitur, et ex *saevo,* sine quo friget *vulnere.*

1127) *Telum Scythici leve coryti)* Lege ex Florentino:

jam tamen ausi
Telum Scythicis leve corytis
Missum certa librare manu.

Ovidius III. Ponticorum 8. 19:

Clausa tamen misi Scythica tibi tela pharetra.

Nostrum locum respexisse videtur Statius, cum Theb. VI. v. 74. de Archemoro dixit;

Ite innocuae, quas in primo
Limine vitae scelus oppressit
Patriusque furor; ite infaustum
Genus, o pueri, noti per iter
Triste laboris: ite, iratos
Visite reges.

Namque illi et pharetras, brevioraque tela dicarat,
Festinus voti pater, insontesque sagittas.

1134) *Patriusque furor)* Tales Anapaestos, ubi syllaba brevis in inciso producitur, binos ex his Tragoediis notavit G. Fabricius in: *De generibus carminum apud L. Annaeum Senecam Tragicum.* Alter est Troad. v. 135:

Bis pulsata Dardana Graio.

alter Octav. v. 311:

Pulsata freta fertur in altum.

quibus exemplis facile defenditur hic locus ab illa Withofio tentata versuum transpositione:

noti per iter
Triste laboris ite, iratos
Visite reges: ite infaustum
Genus, o pueri.

1136) *iratos Visite reges)* id est, Plutonem et Proserpinam. Noster in Hippolyto v. 947:

Adeatque manes juvenis iratos patri.

ubi vide Gronovium.

ACTUS QUINTUS.

HERCULES, AMPHITRYON, THESEUS.

Quis hic locus? quae regio? quae mundi plaga?
Ubi sum? sub ortu solis, an sub cardine
Glacialis Ursae? numquid Hesperii maris
Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quas trahimus auras? quod solum fesso subest?
Certe redimus. unde prostrata domo
Video cruenta corpora? an nondum exuit
Simulacra mens inferna? post reditus quoque
Oberrat oculos turba feralis meos.
Pudet fateri. paveo: nescio quod mihi,
Nescio quod animus grande praesagit malum.
Ubi est parens? ubi illa natorum grege
Animosa conjux? cur latus laevum vacat
Spolio leonis? quonam abiit tegimen meum,
Idemque somno mollis Herculeo torus?

1146) *Oberrat oculos turba)* Florentinus: *Oberrat oculis turba feralis meis*, eadem vi, sed minus eleganti sono.

Ubi tela? ubi arcus? arma quis vivo mihi
Detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit?
Ipsumque quis non Herculis somnum horruit?
Libet meum videre victorem, libet.
Exsurge, virtus, quem novum coelo pater
Genuit relicto: cujus in foetu stetit
Nox longior, quam nostra. quod cerno nefas?
Nati cruenta caede confecti jacent:
Perempta conjux. quis Lycus regnum obtinet?
Quis tanta Thebis scelera moliri ausus est,
Hercule reverso? quisquis Ismeni loca,
Actaea quisquis arva, qui gemino mari
Pulsata Pelopis regna Dardanii colis,
Succurre, saevae cladis auctorem indica.
Ruat ira in omnes. hostis est, quisquis mihi

1157) *Exsurge victor)* Florentinus habet *virtus*, estque graviter dictum pro, fortis, ut apud Petronium in Trojae Halosi v. 9:

Huc decenni proelio
Irata virtus abditur.

virtus quem ait, declinationem ad intellectum referens, exemplo Terentii Andr. III. 5. 1:

Ubi illic est scelus, qui me perdidit?

et aliorum, quos laudat Gronovius.

1158) *cujus in foetu)* id est, conceptu, generatione. conf. v. 24.

1167) *in omnes)* id est, quoslibet, quoscunque obvios, ut bene Gronovius. Nam sequitur:

hostis est, quisquis mihi
Non monstrat hostem.

quae verba satis refellunt quendam *in hostes* legentem.

Non monstrat hostem. victor Alcidae lates?
Procede: seu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti, sive Geryonae pecus,
Libyaeve dominos: nulla pugnandi mora est.
En nudus adsto, vel meis armis licet
Petas inermem. cur meos Theseus fugit
Paterque vultus? ora cur condunt sua?
Differte fletus. quis meos dederit neci
Omnes simul, profare: quid, genitor, siles?
At tu ede, Theseu; sed tua, Theseu, fide.
Uterque tacitus ora pudibunda obtegit;
Furtimque lacrimas fundit. in tantis malis
Quid est pudendum? numquid Argivae impotens
Dominator urbis? numquid infestum Lyci

1175) *Differte fletus)* In Florentino: *Defer tellus*, unde variae conjecturae natae, sed leves et inanes. Nam et Quinctilianus Declam. XI. extr. dixit: *si quis est pudor, oculi differte lacrimas, abite gemitus.*

1178) *Uterque tacitus)* Imitatur locum Ovidii Trist. II. v. 819. de Lucretia:

Illa diu reticet pudibundaque celat amictu
Ora. fluunt lacrimae more perennis aquae.

1180) *Quid est pudendum)* Vult auctor, malis obrutos pudorem non decere. Statius Theb. IV. v. 757:

Da fessis in rebus opem, seu turbidus amnis,
Seu tibi foeda palus. nihil hac in sorte pudendum,
Nil humile est.

Val. Flaccus V. v. 325:

Stet procul, et rebus semper pudor absit in artis.

Seneca rursus in Oedipo v. 65:

Pereuntis agmen clade nos tanta obruit?
Per, te, meorum facinorum laudem precor,
Genitor, tuique nominis semper mihi
Numen secundum; fare, quis fudit domum?
Cui praeda jacui? AMPH. Tacita sic abeant mala.
HERC. Ut inultus ego sim? AMPH. Saepe vin-
dicta obfuit.

---

nullus est miseris pudor.

1182) *Pereuntis agmen)* Withofius tentabat: *Jacentis agmen.* Sed *Pereuntis* est, qui periit. Ita Val. Maximus V. 2. 8. *C. quidem Marii non solum praecipuus, sed etiam praepotens gratae mentis fuit impetus. Duas enim Camertium cohortes, mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie, adversus conditionem foederis civitate donavit.* id est, quae sustinuerunt. Plura qui desiderat, adeat Vossium lib. IV. de Analogia cap. 14.

Ibid.) *clade nos tanta)* *vos* Ms. Pulaviensis, quam unice veram lectionem censebat V. Cl. Groddek in: Bibliothek der alten Litteratur und Kunst. St. X. p. 22. Mihi secus videtur. Dicendo *nos*, ostendit se socium esse cladis. Ita apud Ovidium Her. IX. v. 1. Dejanira:

Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris.

ubi *vestris* quidem alii. Sed vide Burmannum. Et apud Tacitum Hist. IV. 58. Vocula: *Adeo nos, si fortuna in praesens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt.* ubi pariter *vos* in duobus Mss. legitur, ne nunc primum ita variatum credas.

1185) *tuique nominis semper mihi Numen secundum)* id est, per numen, quod secundus a te pater mihi est semper habitum, ut bene cepit Heinsius. Ob oculos habet noster illud Euripidis Herc. fur. v. 1265:

πατέρα γὰρ ἀντὶ Ζηνὸς ἡγοῦμαί σ᾽ ἐγώ.

HERC. Quisquamne segnis tanta toleravit mala?
AMPH. Majora quisquis timuit. HERC. His etiam, pater,
Quidquam timeri majus aut gravius potest?
AMPH. Cladis tuae pars ista, quam nosti, quota est?
HERC. Miserere, genitor: supplices tendo manus.
Quid hoc? manus refugit. hic errat scelus.
Unde hic cruor? quid illa puerili madens
Arundo leto, tincta Lernaea nece?
Jam tela video nostra, non quaero manum.
Quis potuit arcum flectere? aut quae dextera
Sinuare nervum vix recedentem mihi?
Ad vos revertor: genitor, hoc nostrum est scelus?

1193) *manus refugit*) manus, inquit, mea polluti refugit contactum parentis, expressum infra v. 1318:

artus alleva afflictos solo,
Theseu, parentis: dextra contactus pios
Scelerata refugit.

Sic Oedipus apud Sophoclem in Oed. Col. v. 1130:

κἀμοὶ χέρ᾽, ὦ ῎ναξ, δεξιὰν ὄρεξον, ὡς
ψαύσω, φιλήσω τ᾽, εἰ θέμις, τὸ σὸν κάρα.
καί τοι τί φανῶ; πῶς δ᾽ ἂν ἄθλιος γεγὼς
θιγεῖν θελήσαιμ᾽ ἀνδρὸς, ᾧ τις οὐκ ἔνι
κηλὶς κακῶν ξύνοικος;

et Thyestes Ennianus:

Nolite, hospites, ad me adire! illico istim!
Ne contagio mea bonis umbrave obsit:
— tanta vis sceleris in corpore haeret.

1198) *nervum vix recedentem*) Haec vera lectio, quidquid turbant libri veteres. *recedentem* eo pertinet, quod

Tacuere; nostrum est. AMPH. Luctus est istic
tuus;
Crimen novercae. casus hic culpa caret.
HERC. Nunc parte ab omni, genitor, iratus tona,
Oblite nostri: vindica sera manu
Saltem nepotes: stelliger mundus sonet,
Flammasque et hic et ille jaculetur polus:
Rupes ligatum Caspiae corpus trahant,
Atque ales avida. cur Promethei vacant
Scopuli? paretur vertice immenso feras,
Volucresque pascens Caucasi abruptum latus,
Nudumque silvis. illa, quae pontum Scythen
Symplegas arctat, hinc et hinc vinctas manus
Distendat alto: cumque revocata vice
In se coibunt saxa, quae in coelum exprimunt

---

in emittenda sagitta retro trahitur nervus. Homer. Il. VIII. v. 325:

ἤτοι ὁ μὲν φαρέτρης ἐξείλετο πικρὸν ὀϊστὸν,
θῆκε δ' ἐπὶ νευρῇ· τὸν δ' αὖ κορυθαίολος Ἕκτωρ
αὖ ἐρύοντα —

1202) *parte ab omni*) Heinsius conjicit: *arce ab omni.* Non video causam. Auctor Hipp. v. 1009:

quieti nulla pars coeli strepit.

et Herc. Oet. v. 1138:

Nunc partem in omnem, Juppiter, specta poli.

1205) *Flammas et hic et ille*) Sex Codd. ex nostris cum Etrusco: *Flammasque et hic et ille.* Idem habet editio Veneta anni 1520. Confirmat autem Virgilius Aen. VI. v. 586:

flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.

Actis utrinque rupibus medium mare,
Ego inquieta montium jaceam mora.
Quin structum acervans nemore congesto aggerem,
Cruore corpus impio sparsum cremo?
Sic, sic agendum est: inferis reddam Herculem.
AMPH. Nondum tumultu pectus attonito caret.
Mutavit iras: quodque habet proprium furor,
In se ipse saevit. HERC. Dira Furiarum loca
Et inferorum carcer, et sonti plaga
Decreta turbae, et si quod exsilium latet
Ulterius Erebo, Cerbero ignotum et mihi,
Huc me abde tellus: Tartari ad finem ultimum
Mansurus ibo. pectus o nimium ferum!
Quis vos per omnem, liberi, sparsos domum
Deflere digne poterit? hic durus malis
Lacrimare vultus nescit. Huc ensem date;
Date huc sagittas; stipitem huc vastum date.
Tibi tela frangam nostra; tibi nostros, puer,
Rumpemus arcus, ac tuis stipes gravis
Ardebit umbris: ipsa Lernaeis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma poenas: vos quoque infaustas meis

1231) *Tibi tela frangam*) Similes inferias Archemoro dari facit Statius Theb. VI. v. 81:

cuncta ignibus atris
Damnat atrox, suaque ipse parens gestamina ferri,
Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem.

1235) *meis Cremabo telis*) Gronovius conjiciebat: *Vos*

Cremabo telis, o novercales manus.
THES. Quis nomen unquam sceleris errori addidit?
HERC. Saepe error ingens sceleris obtinuit locum.
THES. Nunc Hercule opus est. perfer hanc molem mali.
HERC. Non sic furore cessit exstinctus pudor,
Populos ut omnes impio aspectu fugem.
Arma, arma, Theseu, flagito propere mihi
Subtracta reddi. sana si mens est mihi,
Referte manibus tela: si remanet furor,
Pater, recede. mortis inveniam viam.
AMPH. Per sancta generis sacra, per jus nominis
Utrumque nostri, sive me altorem vocas,
Seu tu parentem; perque venerandos piis
Canos, senectae parce desertae, precor,
Annisque fessis: unicum lapsae domus

---

quoque *infestas meis Cremabo teneris et novercales manus*, vel *infestae*. Sed deest praepositio *cum*, ut sit: vos cum meis cremabo telis. Nihil hac ellipsi frequentius. vid. Sanct. Minerv. p. 689. ibique Perizon.

1250) *lapsae domus*) Quaerit Heinsius: quomodo firmamen, si domus jam lapsa? putatque rectius legi: *quassae domus Firmamen*. Nulla ratione. *lapsa domus* est, lapsura, casura, ut et alibi occurrit. Phoeniss. v. 72:

Firmamen, unum lumen afflicto malis
Temet reserva. nullus ex te contigit
Fructus laborum. semper aut dubium mare,
Aut monstra timui. quisquis in toto furit
Rex saevus orbe, manibus, aut aris nocens,
A me timetur. semper absentis pater
Fructum tui, tactumque et aspectum peto.
HERC. Cur animam in ista luce detineam amplius,
Morerque, nihil est: cuncta jam amisi bona:
Mentem, arma, famam, conjugem, natos, manus;
Etiam furorem. nemo polluto queat
Animo mederi: morte sanandum est scelus.
AMPH. Perimes parentem? HERC. Facere ne possim, occidam.
AMPH. Genitore coram? HERC. Cernere hunc docui nefas.
AMPH. Memoranda potius omnibus facta intuens,

---

heic rapax torrens cadit
Partesque *l a p s i* *montis exesas rotat.*

ibidem v. 147

noxias *l a p s o* *vias*
Cludes?

Troasin v. 622:

turre, *l a p s i s* *sola quae muris manet.*

1251) *unum lumen)* Heinsius *columen* reponit. Sed con-

Unius a te criminis veniam pete.
HERC. Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?
Laudanda feci jussus, hoc unum meum est.
Succurre, genitor, sive te pietas movet,
Seu triste fatum, sive violatae decus
Virtutis: effer arma; vincatur mea
Fortuna dextra. THES. Sunt quidem patriae preces
Satis efficaces. sed tamen nostro quoque
Movere fletu. surge, et adversa impetu
Perfringe solito: nunc tuum nulli imparem
Animum malo resume. nunc magna tibi
Virtute agendum est: Herculem irasci veta.
HERC. Si vivo, feci scelera: si morior, tuli.
Purgare terras propero: jamdudum mihi
Monstrum impium, saevumque et immite, ac ferum
Oberrat: agedum, dextra, conare aggredi
Ingens opus, labore bisseno amplius.
Ignave, cessas? fortis in pueros modo,
Pavidasque matres? arma nisi dantur mihi,
Aut omne Pindi Thracis excidam nemus,

---

firmat *lumen* Euripides, qui Senecae ob oculos fuit, Herc. fur. v. 531:

ὦ φίλτατ᾽ ἀνδρῶν, ὦ φάος μολὼν πατρί.

Eadem translatione dicit Ennius in Alexandro:

O lux Trojae, germane Hector.

1285) *exscindam nemus*) Codd. Florentinus, Pulaviensis,

Bacchique lucos, et Cithaeronis juga
Mecum cremabo: tota cum domibus suis,
Dominisque tecta, cum Deis templa omnibus
Thebana supra corpus excipiam meum,
Atque urbe versa condar. et, si fortibus
Leve pondus humeris moenia immissa incident,
Septemque opertus non satis portis premar,
Onus omne, media parte quod mundi sedet,
Dirimitque superos, in meum vertam caput.
AMPH. Reddo arma. HERC. Vox est digna genitore Herculis.
Hoc en peremptus spiculo cecidit puer.
AMPH. Hoc Juno telum manibus emisit tuis.
HERC. Hoc nunc ego utar. AMPH. Ecce, quam miserum metu

---

et quatuor alii, *excidam;* idque rectius. vide Ernestium ad Tacit. Agric. 19.

1295) *Reddo arma)* *Redde* ex Mss. praefert Lessingius II. Theatral. Bibliothek p. 58. ut hoc ad famulum dicat Amphitryo, non definiens, utri reddi velit. *Hinc* (ipsius verba sunt) *ludus festivissimus. Credit scilicet Hercules, arma sibi redditum iri. Sed fallitur. Aut enim Amphitryoni consulto dat famulus, vel huic, ad Herculem deferenti, per vim eripit alter, et pectori suo admovet cum his: Hoc en peremptus spiculo* etc. Itane? ut illusi ac destituti partes agat maximus heros? Absit. Cicero in Laelio §. 99. *quid,* inquit, *turpius, quam illudi? Quod ne accidat, — — cavendum est, ut in Epiclero:*

Cor palpitat, corpusque sollicitum ferit.
HERC. Aptata arundo est. AMPH. Ecce, jam facies scelus
Volens, sciensque. pande, quid fieri jubes?
Nihil rogamus: noster in tuto est dolor.
Natum potes servare tu solus mihi,
Eripere nec tu. maximum evasi metum.
Miserum haud potes me facere, felicem potes.

Hodie me ante omnes comicos stultos senes
Versaris atque luseris lautissime.

Haec enim etiam in fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum. Neque ab invalido sene tractari et tendi vult arcus vastus ille, et Herculi vix cedens, ut ipse professus est supr. v. 1198. Arma restituat ac reddat oportet, qui removere jussit, et qui de iis reddendis identidem appellatus est.

1305) *Miserum haud potes me facere*) Heinsio scribendum videtur: *Miserum haud potes si facere, felicem potes.* Nam Florentinus *potes facere.* Sed vulgatae scripturae controversiam movere noli. Potenter *me* dicit, hoc sentiens, miseriam non adtingere se suumque animum, jam nunc eminentem foras. Incertus auctor epigrammatis Anthol. Graec. IV. XXXIII. 38. in Zenonem Eleatem:

σὲ λαβὼν ὁ τύραννος, ἐν ὅλμῳ
κόψε· τί τοῦτο λέγω; σῶμα γὰρ, οὐχὶ δὲ σέ.

Cicero Paradox. IV. *jactam et immissam a te nefariam in me injuriam semper duxi: pervenisse ad me nunquam putavi.* cujus judicii hanc subjicit rationem: *nihil neque meum est, neque cujusquam,*

Sic statue, quidquid statuis, ut causam tuam
Famamque in arcto stare et ancipiti scias.
Aut vivis, aut occidis. hanc animam levem,
Fessamque senio, nec minus fessam malis,
In ore primo teneo. tam tarde patri
Vitam dat aliquis? non feram ulterius moram,
Letale ferro pectus impresso induam:
Hic, hic jacebit Herculis sani scelus.
HERC. Jam parce, genitor, parce; jam revoca manum.

---

quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus Respublica te invitissimo stat; si hujus aeterni beneficii immortalem memoriam delevisses: multo etiam magis si illam mentem, unde haec consilia manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer injuriam. Miserum vero fieri, mors vetat deliberata. Nam, ut ipse ait in Herc. Oet. v. 111:

Nunquam est ille miser, cui facile est mori.

1309) *Fessamque senio, nec minus quassam malis)* Optimus liber: *nec minus fessam malis*, eadem repetitionis gratia, qua dixit Ovidius II. Amor. 8. 13:

Non ego Tantalide major, nec major Achille.
Talibus idem plenus. vid. Heins. ad Her. VI. v. 29.

1310) *In ore primo) in ore primo tenere* dicit, quod Nat. Quaest. III. 1. *in primis labris animam habere*, id est, paratum morti esse.

1313) *jacebit Herculis sani scelus)* Frustra est Heinsius, qui reponit: *Hic, hic placebit.* Nam *scelus Her-*

Succumbe, virtus, perfer imperium patris.
Eat ad labores hic quoque Herculeos labor;
Vivamus. artus alleva afflictos solo,
Theseu, parentis: dextra contactus pios
Scelerata refugit. AMPH. Hanc manum amplector libens:
Hac nixus ibo, pectori hanc aegro admovens
Pellam dolores. HERC. Quem locum profugus petam?
Ubi me recondam? quave tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica

---

culis dicitur, qui per scelus ab Hercule occisus est. Sic Livio III. 19. *divinis humanisque obruti sceleribus.* et IV. 32. *scelus legatorum, contra jus gentium interfectorum.* Lucanus II. v. 266:

quis nolet ab isto
Ense mori? quamvis alieno vulnere labens,
Et scelus esse tuum?

Idem VIII. v. 550:

meruit tam claro nomine Magnus
Caesaris esse nefas.

Plura vide apud Obrechtum ad Dict. Cretens. I. 5.

1317) *Vivamus)* *Aliquando enim et vivere, fortiter facere est,* ut ipse ait Epist. 78. et 104.

1323) *Quis Persica violentus unda)* Heinsius, non improbante Gronovio, emendat: *percita unda.* Tigrin enim a celeritate nomen mutuatum esse. Sed bene habet *Persica*, quod est, originis Persicae. Lucanus III. v. 257:

Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusve Ibera turbidus gaza fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Maeotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus,
Haerebit altum facinus. in quas impius
Terras recedes? Ortum, an Occasum petes?
Ubique notus perdidi exsilio locum.
Me refugit orbis. astra transversos agunt
Obliqua cursus: ipse Titan Cerberum
Meliore vultu vidit. o fidum caput,
Theseu, latebram quaere longinquam, abditam.
Quoniamque semper sceleris alieni arbiter
Amas nocentes, gratiam meritis refer
Vicemque nostris: redde me infernis, precor,
Umbris reductum, meque subjectum tuis
Restitue vinclis. ille me abscondet locus.

Quaque caput rapido tollit cum T i g r i d e *magnus*
Euphrates, quos non diversis fontibus e d i t
P e r s i s.

1325) *turbidus gaza fluens)* Wakefieldus ad Lucret. VI. v. 1075. malebat: *t u r b i d u m fluens.* Nec me fateor duplici epitheto valde delectari. Sed auctoritati similium exemplorum, in Obss. Miscell. V. I. T. I. p. 10. allatorum, cedens, nihil muto. Cum Seneca certat Silius XVI. v. 561:

Qua Tagus auriferis pallet turbatus harenis.

Sed et ille novit. THES. Nostra te tellus manet.
Illic solutam caede Gradivus manum
Restituit armis. illa te, Alcida, vocat,
Facere innocentes terra quae superos solet.

1341) *Nostra te tellus*) Athenae. Sophocles Oed. Col. v. 260:

εἰ τάς γ' Ἀθήνας φασὶ θεοσεβεστάτας
εἶναι, μόνας δὲ τὸν κακούμενον ξένον
σώζειν οἵας τε, καὶ μόνας ἀρκεῖν ἔχειν.

De Martis judicio classica loca sunt Euripidis Electr. v. 1260. et Iphig. in Taur. v. 945.

1343) *Restituit armis*) Ed. Scriveriana *Restituet*, typothetae errore, quem propagarunt reliqui.

THYESTES.

DRAMATIS PERSONAE.

THYESTES.
ATREUS.
TANTALUS.
MEGAERA.
PLISTHENES THYESTIS F.
CHORUS SENUM MYCENAEORUM.
TANTALUS THYESTIS F. } Mutae personae.
ALIUS THYESTIS F. }
SATELLES, NUNTIUS.

ACTUS PRIMUS.

UMBRA TANTALI, MEGAERA.

TANT. Quis me inferorum sede ab infausta extrahit,
Avido fugaces ore captantem cibos?
Quis male Deorum Tantalo vivas domos
Ostendit iterum? pejus inventum est siti
Arente in undis aliquid, et pejus fame
Hiante semper? Sisyphi numquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit?

MEGAERA) Etruscus FURIA, celato nomine, quod loquitur Claudianus XXXVI. v. 388:

Qualis pestiferas animare ad crimina taxos
Torva Megaera ruit, Cadmi seu moenia poscat,
Sive Thyesteis properet saevire Mycenis.

7) *nostris venit) venire* proprium de accidentibus verbum est. Ovidius Fast. V. v. 648:

Et tandem Caco debita poena venit.

ubi vide Heinsium.

Aut membra celeri differens cursu rota?
Aut poena Tityi, qui specu vasto patens
Visceribus atras pascit effossis aves;
Et nocte reparans, quidquid amisit die,
Plenum recenti pabulum monstro jacet?
In quod malum transcribor? o quisquis nova
Supplicia functis durus umbrarum arbiter
Disponis, adde, si quid ad poenas potest,
Quod ipse custos carceris diri horreat,
Quod moestus Acheron paveat, ad cujus metum
Nos quoque tremamus. quaere: jam nostra subit
E stirpe turba, quae suum vincat genus,
Ac me innocentem faciat, et inausa audeat.
Regione quidquid impia cessat loci,
Complebo. nunquam stante Pelopeja domo

---

15) *si quid ad poenas potes)* Florentinus *potest*, quomodo optimi auctores loqui consueverunt. Cicero IV. ad Att. 13: *rescribas ad me, quantum potest.* Terentius Phorm. IV. 3. 69:

Quantum potest, me certiorem, inquit, face.

Plautus Aulular. II. 9. 2:

Congrum, muraenam exdorsua, quantum potest.

ubi Douzam vide.

18) *Nos quoque tremamus. quaere)* Heinsius conjiciebat: *ad cujus metum Nos quoque tremamus jure*, vel, *scelere jam nostra subit* etc. Sed nudum *quaere* cum vi ponitur, et simile est illud ex Hercule Oetaeo v. 274:

Profer manum quocunque. quid cessas dea?
Utere furente. quod jubes fieri nefas?
Reperi.

Minos vacabit. MEG. Perge, detestabilis
Umbra, et penateis impios furiis age.
Certetur omni scelere, et alterna vice
Stringatur ensis. ne sit irarum modus,
Pudorve. mentes caecus instiget furor;
Rabies parentum duret, et longum nefas
Eat in nepotes. nec vacet cuiquam vetus
Odisse crimen, semper oriatur novum,
Nec unum in uno: dumque punitur scelus,
Crescat. superbis fratribus regna excidant,
Repetantque profugos: dubia violentae domus
Fortuna reges inter incertos labet.
Miser ex potente fiat, ex misero potens;
Fluctuque regnum casus assiduo ferat.
Ob scelera pulsi, dum dabit patriam Deus,
In scelera redeant: sintque tam invisi omnibus,
Quam sibi. nihil sit, ira quod vetitum putet.
Fratrem expavescat frater, et natum parens,
Natusque patrem: liberi pereant male;
Pejus tamen nascantur: immineat viro
Infesta conjux. bella trans pontum vehant:
Effusus omnes irriget terras cruor;
Supraque magnos gentium exsultet duces
Libido victrix. impia stuprum in domo
Levissimum sit./fratris et fas, et fides,

---

26) *Stringantur enses)* Princeps codicum: *Stringatur ensis,* quod magis poëticum est. vide Burmannum ad Propert. I. 2. 3.

47) *Levissimum sit. fratris et fas)* Commelinus malebat distinguere: *Levissimum sit fratris: et fas.* quasi

Jusque omne pereat. non sit a vestris malis
Immune caelum. cum micant stellae polo,
Flammaeque servant debitum mundo decus;

---

non et *patris* eadem in domo stuprum praecineret Furia v. 59. *fratris fas et jus* cape: jura necessitudinis fraternae divina et humana.

48) *non sit a vestris malis Immune caelum)* Vult, uti obscuretur caelum, deficiente sole.

49) *cum micant stellae polo)* Locus male sollicitatus ab eruditis, qui, dum transmittunt priora: *non sit a vestris malis Immune caelum*, haud potuerunt sensum invenire sequentium. *non sit a vestris malis Immune caelum. cum micant stellae polo, Flammaeque servant debitum mundo decus, Nox alia fiat* explica: deficiat Sol et, cum deficit, nox alia fiat. Seneca Nat. Quaest. I. 12: *Haec dicitur perfecta defectio* (Solis), *quae stellas quoque ostendit, et intercipit lucem, tunc scilicet, cum uterque orbis sub eodem libramento stetit.* Ibid. VII. 20: *Exclamare posses: Quid est hoc?*

— — medium video discedere caelum,
Palantesque polo stellas. —

quae aliquando non exspectata nocte fulserunt, et per medium eruperunt diem. Tale prodigium celebrat Lucanus I. v. 544:

stellaeque minores
Per vacuum solitae noctis decurrere tempus,
In medium venere diem: cornuque coacto
Jam Phoebe toto fratrem cum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.
Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit

Nox alia fiat, excidat coelo dies.
Misce penateis: odia, caedes, funera
Arcesse, et imple Tantalo totam domum.
Ornetur altum columen, et lauro fores
Laetae virescant; dignus adventu tuo

Desperare diem: qualem fugiente per ortus
Sole Thyesteae noctem duxere Mycenae.

Eodemque monstro Pertinaci finem portentum esse, memorat Jul. Capitolinus in ejus vita: *Stellae etiam juxta solem per diem visae sunt clarissimae ante diem, quam obiret.*

51) *Nox atra fiat)* *Cum micant stellae polo,* nox est. Cur ergo noctem nocti imprecatur? In libro Mediceo disertim: *Nox alia fiat,* id est, duplicetur nox. Recte omnino et eleganter, sic ut nil magis. Agamemnone v. 470:

Cum subito luna conditur, stellae latent,
In astra pontus tollitur, caelum perit,
Nec una nox est. densa tenebras obruit
Caligo, et omni luce subducta fretum
Caelumque miscet.

Habes aliam et geminatam noctem; quomodo apud Nasonem (Met. XI. v. 550):

Omne latet caelum, duplicataque noctis imago est.

et *geminatae tenebrae noctis* Lucano VI. v. 635. Sed apposite omnino Papinius VIII. Thebaid. 16:

Illum et securi circumspexere fragorem
Elysii, et si quos procul inferiore barathro
Altera nox, aliisque gravat plaga coeca tenebris.

Heinsius Adversar. III. c. 17.

Adde, qui hujus elegantiae fons est, Apollonium IV. v. 1696:

Splendescat ignis. Thracium fiat nefas
Majore numero. dextra cur patrui vacat?
Nondum Thyestes liberos deflet suos?
Ecquando tollet? ignibus jam subditis
Spument ahena. membra per partes eant

αὐτίκα δὲ Κρηταῖον ὑπὲρ μέγα λαῖτμα θέοντας
ν ὺ ξ ἐφόβει, τήν πέρ τε κατουλάδα κικλήσκουσι,
νύκτ᾽ ὀλοήν· οὐκ ἄστρα διΐσχανεν, οὐκ ἀμαρυγαὶ
μήνης· οὐρανόθεν δὲ μέλαν χάος, ἠέ τις ἄ λ λ η
ὠρώρει σκοτίη μυχάτων ἀνιοῦσα βερέθρων.

eaque ipsa nox est, quam Mycenis imprecatur Furia. Nec diras fefellit eventus. Infra v. 994:

spissior densis coit
Caligo tenebris, n o x q u e s e i n n o c t e m ab-
d i d i t.

ubi vide.

59) *Ecquando tollet ignibus jam subditis Spumante aheno?)* Aliquid hic vitii subesse jam olim suspicatus Lipsius, sed non illud videtur sublatum distinctione, quam facit: *spumante aheno membra;* nam vocabulum, *membra,* sequenti a membro orationis decerpi non debet. Quid autem est, *tollet aheno membra?* Quod si manet distinctio prior, vel sic quoque, quis aut quid *tollet?* Hoc erat quaerendum; et invenimus, ut puto. *Nondum,* inquit, *Thyestes liberos deflet suos? Ecquando tollet?* Erat in fatis Eumenidum nigro vellere conditum, ut Thyestes sceleste liberos amitteret, scelestius rursum crearet ac tolleret vel susciperet e filia. Utrumque exigit Furia, et miratur rem differri praesenti propemodum die. *Ecquando tollet?* subaudi ex praecedenti membro *liberos;* quae vox et de uno pignore saepe priscis effertur. Nondum luget devoratos? quando igitur erit, ut in

Discerpta: patrios polluat sanguis focos:
Epulae instruantur, non novi sceleris tibi
Conviva venies; liberum dedimus diem,
Tuamque ad istas solvimus mensas famem.
Jejunia exple. mixtus in Bacchum cruor
Spectante te potetur. inveni dapes,
Quas ipse fugeres. Siste. quo praeceps ruis?
TANT. Ad stagna, et amnes, et recedentes aquas,
Labrisque ab ipsis arboris plenae fugas,
Abire in atrum carceris liceat mei
Cubile: liceat, si parum videor miser,
Mutare ripas: alveo medius tuo

---

eorum locum quaerat suspiciatque incesto, quem nobis debet, Aegisthum? Age, ocius apparetur illa parricidalis caena, etc. Reddendum ergo, quod sequitur: *ignibus jam subditis spument ahena. membra per* etc. Ut olim conjeci et omnino approbabat optimus codex. Gronovius.

Elegantissimam hanc lectionem in textu ponere non dubitavi. *Ecquando tollet?* secundum diras missas v. 42:

liberi pereant male;
Pejus tamen nascantur.

Servius ad Virg. Aen. XI. v. 262: *Cum Thyestes post cognitum facinus requireret ultionem, ei Apollo respondit, posse alio scelere illius facinoris vindicem nancisci, scilicet si cum Pelopeia filia sua concumberet. Quo facto natus est Aegisthus, fatalis in geminam Atrei sobolem.*

72) *alveo medius tuo)* Heinsius perperam tentabat *melius.* Nam *medius* et *cinctus* hic inter se respondent.

Phlegethon relinquar, igneo cinctus freto.
Quicunque poenas lege fatorum datas
Pati juberis: quisquis exeso jaces
Pavidus sub antro, jamque venturi times
Montis ruinam: quisquis avidorum feros
Rictus leonum, et dira Furiarum agmina
Implicitus horres: quisquis immissas faces
Semiustus abigis, Tantali vocem excipe
Properantis ad vos: credite experto mihi,
Amate poenas. quando continget mihi
Effugere superos? MEG. Ante perturba domum,
Inferque tecum proelia, et ferri malum
Regibus amorem: concute insano ferum
Pectus tumultu. TANT. Me pati poenas decet,
Non esse poenam: mittor, ut dirus vapor
Tellure rupta, vel gravem populis luem
Sparsura pestis. ducam in horrendum nefas

---

74) *poenas lege Fatorum datas*) *ratas* castigat Heinsius, in eam vocem plus aequo pronus. vid. Burman. ad Ov. Her. XVI. v. 279. *poenas datas*, hoc est, decretas, ut infra v. 151. loquitur de iisdem:

nec dapibus feris
Decerni potuit poena decentior.

82) *Amate poenas*) id est, patienter sustinete, ne infligantur vobis majores, ut bene Gesnerus in Thes. L. L. v. *Amo*.

83) *Effugere superos*) id est, homines viventes, ut in hoc Velleii II. 48. 2: *quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos.* ubi vide Ruhnkenium.

Avus nepotes. Magne Divorum parens,
Nosterque, quamvis pudeat; ingenti licet
Taxata poena lingua crucietur loquax;
Nec hoc tacebo: moneo, ne sacra manus
Violate caede, neve furiali malo
Aspergite aras. stabo, et arcebo scelus.
Quid ora terres verbere, et tortos ferox
Minaris angues? quid famem infixam intimis
Agitas medullis? flagrat incensum siti
Cor, et perustis flamma visceribus micat.
Sequor.

---

93) *sacra manus Violate caede)* Heinsius emendat *cara caede*, quod est, cognata caede. Sed et alterum bene dicitur. *sacra caedes* est caedes, per quam auctor, sancta necessitudinis et cognationis jura violans, grave sibi et posteris suis piaculum contrahit. Hinc fraternus Remi *sacer nepotibus cruor* audit Horatio Epod. 7. v. 20. ubi Mitscherlichium vide. Noster iterum Phoenis. v. 277. de regno Thebano loquens:

nemo sine sacro feret
Illud cruore.

significat, omnes impie fuso sanguine devotos et piaculares fore. *cara* quoque lenius est, quam pro Tantali persona. Medeam apprime decet in ejus nominis fabula v. 810. dicere:

Assuesce, manus, stringere ferrum,
Carosque pati posse cruores.

quia cum dolore pietas colluctatur.

100) *Sequor)* Grotius malebat:

Sequor. Meg. Hunc furorem divide in totam domum.

MEG. Hunc, o, furorem divide in totam domum.
Sic, sic ferantur, et suum infensi invicem
Sitiant cruorem: sensit introitus tuos
Domus, et nefando tota contactu horruit.
Actum est abunde, gradere ad infernos specus,
Amnemque notum: jam tuum moestae pedem
Terrae gravantur. cernis, ut fontes liquor
Introrsus actus linquat; ut ripae vacent;
Ventusqnc raras igneus nubes ferat?
Pallescit omnis arbor, ac nudus stetit
Fugiente pomo ramus; et qui fluctibus
Illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit,
Vicina gracili dividens terra vada,

Nihil opus est, cum praecisi versus et alibi legantur. Phoenis. v. 318:

Jubente te vel vivet.

Hipp. v. 605:

Me nolle.

Troad. v. 1103:

In media Priami regna.

Antiqui *clausulas* appellarunt, ut Isidorus Orig. I. 38. tradidit. Vis earum, ut graviorem faciant sensum, observante Viscontio T. I. Iconograph. Graec. p. 285. not. I. et T. I. Iconograph. Rom. p. 22. not. I.

101) *Hunc, o, furorem divide)* Florentinus: *Hunc, hunc furorem.* Sed displicet, ob sequentem geminationem *Sic, sic.*

113) *gracili dividens terra)* Lucanus I. v. 110:

undas
Qui secat et geminum gracilis mare separat
Isthmos.

Longe remotis litus exaudit sonis.

---

114) *Longe remotos latus exaudit sonos*) Vocem *latus* obelo Aristarchorum objicit Delrius, etsi omnibus in ejus scriptis reperiatur. Quomodo enim *latus*, si vicina vada gracili terra dividit? Censetque feliciter emendasse Lipsium *laetus*, quod scilicet remoto jam mari mergi non verebatur. At sanum esse alterum adfirmat Gruterus: velle auctorem ita inhorruisse pelagus adventu Tantali, ut se subduxerit, utroque latere aquis suis nudato; ideoque angustias Isthmi minus fuisse angustas, quod plusculum hinc et illinc terrae sit additum litori. Non male, si de lectione constaret: nam Florentiae non *latus* habetur, sed *litus*. Quam lectionem et ante productam nescio quos exponere ait tentasse Farnabius. Sed frustra: quid enim *Isthmos exaudit litus, sonos?* aut quomodo stare possunt simul hi duo accusativi? Emenda: *Longe remotis litus exaudit sonis.* Nempe reducto utrimque pelago Isthmos, solitus ante litus, seu fluctus litori allisos aut fragorem litoris, sonis propinquis audire et vehementibus, nunc eos percipit longinquis et levioribus. Ovidius Heroïd. IV. v. 106:

Aequora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et tenuis tellus audit utrunque mare.

Noster Nat. Quaest. 6. 7: *Villas in conspectu collocatas fluctus, qui longe audiebatur, invasit.* Gronovius.

Nihil verius hac emendatione. Statius nostrum locum imitatus Thebaid. I. v. 335:

mitemque Corinthon
Linquit, et in mediis audit duo litora campis.

Jam Lerna retro cessit, et Phoronides
Latuere venae: nec suas profert sacer
Alpheos undas, et Cithaeronis juga
Stant parte nulla cana deposita nive,
Timentque veterem nobiles Argi sitim.
En ipse Titan dubitat, an jubeat sequi,
Cogatque habenis ire periturum diem.

CHORUS.

Argos de Superis si quis Achaicum,
Pisaeisque domos curribus inclitas:
Isthmi si quis amat regna Corinthii,
Et portus geminos, et mare dissidens:

---

id est, maria. Nam ubi litus, ibi mare, ut scite monuit Heynius ad Virgilii Aen. III. v. 419:

venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbis
L i t o r e diductas angusto interluit aestu.

Idem vero miraculum de Tyrrheno refert Plinius Epist. VI. 20. 9: *Praeterea mare in se resorberi, et tremore terrae quasi repelli videbatur. Certe processerat litus, multaque animalia maris siccis arenis detinebat.*

115) *Lerna*) Florentinus *terra*, manifesto librarii errore.

116) *sacer Alpheos*) quomodo et Medea v. 81:

Alpheosque s a c e r lavat.

ubi vide Delrium.

118) *juga stant parte nulla*) hoc est, Cithaeron subsedit, minor factus est, solutis prae umbrae horrore nivibus, ut interpretatur Mitscherlich. ad Horat. Od. I. 9. 1.

Si quis Taygeti conspicuas nives,
Quas, cum Sarmaticus tempore frigido
In summis Boreas composuit jugis,
Aetas veliferis solvit Etesiis:
Quem tangit gelido flumine lucidus
Alpheos, stadio notus Olympico:
Advertat placidum numen, et arceat,
Alternae scelerum ne redeant vices;
Neu succedat avo deterior nepos;
Et major placeat culpa minoribus.
Tandem lassa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali.
Peccatum satis est. fas valuit nihil,
Aut commune nefas. proditus occidit
Deceptor domini Myrtilus, et fide
Vectus, qua tulerat, nobile reddidit
Mutato pelagus nomine. notior

---

133) *arceat, Alternas scelerum, ne redeant, vices)* Florentinus: *et arceat, Alternae scelerum ne redeant vices,* eadem quidem vi, sed exquisitiore loquendi forma. Vindicavit jam Gronovius, quem vide.

135) *Et major placeat culpa minoribus)* Respicitur ad Horatii Od. III. 6. 46:

Aetas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

ubi Senecam comparavit Mitscherlichius.

141) *Vectus)* in praeceps delatus. conf. Interpp. ad Ibin Ovidii v. 367.

Nulla est Ioniis fabula navibus.
Exceptus gladio parvulus impio
Dum currit patrium natus ad osculum,
Immatura focis victima concidit:
Divisusque tua est, Tantale, dextera,
Mensas ut strueres hospitibus Deis:
Hos aeterna fames prosequitur cibos,
Hos aeterna sitis: nec dapibus feris
Decerni potuit poena decentior.
Stat lusus vacuo gutture Tantalus,
Impendet capiti plurima noxio
Phineis avibus praeda fugacior:
Hinc illinc gravidis frondibus incubat
Et curvata suis foetibus, ac tremens
Alludit patulis arbor hiatibus:
Haec, quamvis avidus, nec patiens morae,
Deceptus toties tangere negligit,
Obliquatque oculos, oraque comprimit,
Inclusisque famem dentibus alligat:

---

154) *Phineis avibus praeda fugacior)* Heinsius malebat:
Phineis dapibus praeda fugacior.
fugaces quippe dapes Phineae, quod vix appositae ab Harpyis diriperentur. Sed hoc durum et longe petitum est. Comparatio *avium fugacium* nihil habet, quod culpetur. Ovidius Fast. VI. v. 243. de iisdem:
celerique fuga sub sidera lapsae
Semesam praedam et vestigia foeda relinquunt.

161) *Inclusisque famem dentibus alligat)* Varie tentavit Heinsius *Inlusis, inlisis, incussisque dentibus, inclusamque famem dentibus alligat.* Quibus quidem conjecturis non est opus. *inclusi dentes* eo

Sed tunc divitias omne nemus suas
Demittit propius, pomaque desuper
Insultant foliis mitia languidis,
Accenduntque famem, quae jubet irritas
Exercere manus: has ubi protulit,
Et falli libuit, totus in arduum
Autumnus rapitur, sylvaque mobilis.
Instat deinde sitis non levior fame;
Qua cum percaluit sanguis, et igneis
Exarsit facibus, stat miser obvios
Fluctus ore vocans, quos profugus latex
Avertit, sterili deficiens vado,
Conantemque sequi, deserit. hic bibit
Altum de rapido gurgite pulverem.

---

modo dicuntur, quo *inclusum os* III. de Ira 19: *Nemo certe invenietur alius, qui imperaverit his, in quos animadverti jubebat, os inserta spongia includi, ne vocis emittendae haberent facultatem.* et *praeclusae fauces* hac Tragoedia v. 781:

praeclusae cibum
Tenuere fauces.

168) *sylvaque mobilis)* Alii legunt *nobilis*, male. sylva *mobilis* dicitur, ob celeres et inopinatos recessus. v. 159:

Phineis avibus praeda fugacior.

Quinctilianus Declamat. XII: *Fugacibus cibis elusus apud inferos senex.*

172) *vocans) petens* quidem Florentinus cum Lipsiano. Sed vulgatum, ut elegantius, merito praefert Burmannus ad T. I. Anthol. Lat. p. 139.

ACTUS SECUNDUS.

ATREUS, SATELLES.

ATR. Ignave, iners, enervis, et (quod maximum
Probrum tyranno rebus in summis reor)
Inulte, post tot scelera, post fratris dolos,
Fasque omne ruptum, questibus vanis agis
Iratus Atreus? fremere jam totus tuis

---

179) *questibus vanis agis*) Hoc dicit imitatione Nasonis Met. VI. v. 611. ubi Procne, fletum sororis corripiens,

Non est lacrimis hic, inquit, agendum,
Sed ferro; sed si quid habes, quod vincere ferrum
Possit.

180) *Iratus Atreus*) *Atreus* cum pondere. Sic et infra v. 281:

tam diu cur innocens
Versatur Atreus? tota jam ante oculos meos
Imago caedis errat.

Imitatus est Crebillon Thyest. I. 1:

Allez, Alcymedon, que la flotte d' Atrée
Se prépare à voguer loin de l' isle d' Eubée.

Debebat armis orbis, et geminum mare
Utrimque classes agere: jam flammis agros
Lucere et urbes decuit; ac strictum undique
Micare ferrum. tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite: non sylvae tegant
Hostem, nec altis montium structae jugis
Arces. relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis. quisquis invisum caput
Tegit ac tuetur, clade funesta occidat.
Haec ipsa pollens incliti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age, anime, fac, quod nulla posteritas probet;
Sed nulla taceat. aliquod audendum est nefas
Atrox, cruentum; tale, quod frater meus
Suum esse mallet. scelera non ulcisceris,
Nisi vincis. et quid esse tam saevum potest,
Quod superet illum? numquid abjectus jacet?
Numquid secundis patitur in rebus modum,
Fessis quietem? novi ego ingenium viri

---

182) *et geminum mare Utrimque classes agere)* Sic Florentinus. In aliis Mss. habetur: *mare innare classes,* quod bonum quidem per se, quin, judice Burmanno ad Ov. Met. VIII. v. 104., elegans est, sed mitius atque sedatius, quam pro vehementi concitatione loquentis. *mare classes agere,* id est, mare classibus impelli, ut loquitur Tacitus Ann. II. 23: *aequor mille navium remis strepere, aut velis impelli.*

186) *montium structae jugis)* Heinsius malit *instructae.* Sed alterum elatius ac sublimius est. *structae* dicuntur pro exstructae, eductae.

Indocile: flecti non potest, frangi potest.
Proin, antequam se firmet, aut vires paret,
Petatur ultro; ne quiescentem petat.
Aut perdet, aut peribit. in medio est scelus
Positum occupanti. SAT. Fama te populi nihil
Adversa terret? ATR. Maximum hoc regni bo-
num est,
Quod facta domini cogitur populus sui
Tam ferre, quam laudare. SAT. Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
At qui favoris gloriam veri petit,
Animo magis, quam voce, laudari volet.
ATR. Laus vera et humili saepe contingit viro:
Non nisi potenti falsa. quod nolunt, velint.
SAT. Rex velit honesta; nemo non eadem volet.
ATR. Ubicunque tantum honesta dominanti licent,
Precario regnatur. SAT. Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides;
Instabile regnum est. ATR. Sanctitas, pietas,
fides,
Privata bona sunt: qua juvat, reges eant.
SAT. Nefas nocere vel malo fratri puta.

---

201) *Proin antequam se firmet, aut vires paret)* Florentinus: *Proinde antequam se firmat, aut vires parat*, quod ex indocta fluxit interpolatione.

208) *inimicos metus)* Conjicit Heinsius: *eosdem reddit inimicos tibi* vel, quod praestet, *eosdem credito inimicos tibi.* Sed nescio an venustius medium respondeat ultimo; de quo repetendi genere vid. Quinctilian. IX. 3. 34.

ATR. Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas.
Quid enim reliquit crimine intactum? aut ubi
Sceleri pepercit? conjugem stupro abstulit,
Regnumque furto: specimen antiquum imperii
Fraude est adeptus; fraude turbavit domum.
Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis;
Cujus per omne corpus effuso coma
Dependet auro; cujus e tergo novi
Aurata reges sceptra Tantalei gerunt;
Possessor hujus regnat: hunc cunctae domus
Fortuna sequitur. tuta seposita sacer
In parte carpit prata, quae claudit lapis,
Fatale saxeo pascuum muro tegens;
Hunc, facinus ingens ausus, assumta in scelus
Consorte nostri perfidus thalami avehit:
Hinc omne cladis mutuae fluxit malum.

---

220) *Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas)* Ascensius edidit *in illum* et, *in fratrem.* Sed *in* hoc sensu non cum Ablativo minus quam Accusativo construi, docet Burmannus ad Quinctilian. Declam. XV. 6. et ad Ov. Met. IV. v. 272. Eadem forma noster infr. v. 310. dixit:

In patre facient, quidquid in patruo doces.

229) *Aurata reges sceptra Tantalici gerunt)* Cod. Melisseus *Tantali.* Scribendum de Lipsii conjectura *Tantalei.* Nam sic Poetae. vid. Heins. ad Claudian. XXXV. v. 336.

234) *Hunc, facinus ingens ausus)* Fabricius distingui vult: *Hunc (facinus ingens!) ausus* etc. Sed vetat sermo, qui, remota Parenthesi, truncus est.

Per regna trepidus exul erravi mea:
Pars nulla nostri tuta ab insidiis vacat.
Corrupta conjux, imperii quassa est fides,
Domus aegra, dubius sanguis: est certi nihil,
Nisi frater hostis. quid stupes? tandem incipe,
Animoque sume Tantalum, et Pelopem aspice:
Ad haec manus exempla poscuntur meae.
Profare, dirum qua caput mactem via.
SAT. Ferro peremptus spiritum inimicum ex-
spuat.
ATR. De fine poenae loqueris, ego poenam volo.
Perimat tyrannus lenis. in regno meo
Mors impetratur. SAT. Nulla te pietas movet?

---

237) *exul erravi mea*) Optime Gronovius ex Florentino posuit *erravi* pro *erravit*. Darius apud Curtium V. 8: *Quousque enim in regno exsulabo, et per fines imperii mei fugiam externum et advenam regem?*

238) *Pars nulla nostri*) Proba lectio *nostri*, quam corrupit Gronovius, cum ex duobus Mss. ederet *generis*. Dicere voluit Seneca: totum genus insidiis refertum esse. Sic Adherbal de suae familiae hominibus apud Sallustium Iug. 14: *an quoquam adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam n o s t r i misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit?* Et lib. I. Hist. in Orat. Philippi contra Lepidum: *n o s t r i proditor, istis infidus. Nostri* h. e. Senatorum. Vide Perizonium, iisdem exemplis usum, ad Sanct. Minerv. p. 256.

245) *spiritum inimicum exspuat*) Sic etiam loquitur III. de Ira 43: *Jam ipsum s p i r i t u m e x s p u i m u s, interim dum trahimus.*

248) *Mors impetratur*) Sentit cum Lyco Herc. fur. v. 511. Nec mitior Tiberius, qui, referente Suetonio

ATR. Excede, pietas; (si modo in nostra domo
Unquam fuisti) dira Furiarum cohors,
Discorsque Erinnys veniat, et geminas faces
Megaera quatiens. non satis magno meum
Ardet furore pectus: impleri juvat
Majore monstro. SAT. Quid novi rabidus struis?
ATR. Nil quod doloris capiat assueti modum.
Nullum relinquam facinus; et nullum est satis.
SAT. Ferrum? ATR. Parum est. SAT. Quid
ignis? ATR. Etiamnum parum est.
SAT. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?
ATR. Ipso Thyeste. SAT. Majus hoc ira est ma-
lum.

---

c. 62. in recognoscendis custodiis, precanti cuidam poenae maturitatem, respondit: nondum tecum in gratiam redii.

249) *si modo nostra in domo Unquam fuisti*) Posteriorem in *modo* produxit quidem Cicero II. de Nat. Deor. §. 107:

Huic non una modo caput ornans stella relucet.

Sed unum exemplum, idque mediocris poetae, legem non facit. *in nostra domo* cum Florentino mei codices habent omnes. Nec aliter editio Parisiensis anni 1514. Itaque sic transponere non dubitavi.

259) *Majus hoc ira est malum*) Ita Florentinus; et sonat melius, quam quod alias legitur: *Majus est ira hoc malum*. Heinsius corrigere tentavit: *Majus hic*, nempe Thyestes, *ferro est malum*, ut respondeant illis de *telo*. Sed nihil necesse. *Malum ira majus* est insania, quam finem, vel summum et ultimum irae dicere possis, ut permutata ratione *iram*

ATR. Fateor. tumultus pectora attonitus quatit,
Penitusque volvit: rapior, et quo nescio;
Sed rapior. imo mugit e fundo solum;
Tonat dies serenus; ac totis domus
Ut fracta tectis crepuit; et moti lares
Vertere vultum: fiat hoc, fiat nefas,
Quod, Dii, timetis. SAT. Facere quid tandem paras?
ATR. Nescio quid animus majus, et solito amplius,
Supraque fines moris humani tumet.
Instatque pigris manibus: haud, quid sit, scio:
Sed grande quiddam est. ita sit; hoc, anime, occupa.
Dignum est Thyeste facinus, et dignum Atreo.
Uterque faciat. vidit infandas domus

Ennius apud Ciceronem Tusc. Disp. IV. §. 52. *initium* dixit *insaniae.*

260) *tumultus pectora attonitus*) Pro eo, quod dixerat Naevius incerta Tragoedia:

Magni metus tumultus pectora possidet.

270) *hoc, anime, occupa*) Quasi dicat, ne ille faciat prior. Supra (v. 204):

in medio est scelus
Positum occupanti. Gronovius.

Eodem sensu noster Agam. v. 193:

Scelus occupandum est.

et Herc. Oet. v. 435:

quid stupes, segnis furor?
Scelus occupandum est.

272) *Uterque faciat*) Florentinus: *Quod uterque faciat.* Sed redundat *Quod.* Nam quid est aliud *dignum*

Odrysia mensas. fateor; immane est scelus,
Sed occupatum: majus hoc aliquid dolor
Inveniat. animum Daulis inspira parens,
Sororque. causa est similis. assiste, et manum
Impelle nostram: liberos avidus pater
Gaudensque laceret, et suos artus edat.
Bene est. abunde est. hic placet poenae modus
Tantisper. ubinam est? tam diu cur innocens
Versatur Atreus? tota jam ante oculos meos
Imago caedis errat; ingesta orbitas
In ora patris. anime, quid rursus times?
Et ante rem subsidis? audendum est, age:
Quod est in isto scelere praecipuum nefas,
Hoc ipse faciet. SAT. Sed quibus captus dolis,
Nostros dabit perductus in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. ATR. Non poterat capi,
Nisi capere vellet. regna nunc sperat mea:

Thyeste facinus et dignum Atreo, nisi dignum, quod uterque faciat?

275) *majus hoc aliquid dolor Inveniat*) ad votum Furiae v. 57:

Thracium fiat nefas
Majore numero.

282) *ingesta orbitas*) *Ingerendi* verbo Seneca videtur delectatus. Epist. 29: *Hos mihi circulatores, qui philosophiam honestius neglexissent, quam vendunt, in faciem ingeret.* Medea v. 132:

nefandae virginis parvus comes
Divisus ense, funus ingestum patri.

289) *Nisi capere vellet*) Gronovius legendum putat: *Ni capere.* Sed non insolitum est, isthoc loco Proce-

Hac spe minanti fulmen occurret Jovi;
Hac spe subibit gurgitis tumidi minas;
Dubiumque Libycae Syrtis intrabit fretum;
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem videbit. SAT. Quis fidem pacis dabit?
Cui tanta credet? ATR. Credula est spes improba.
Natis tamen mandata, quae patruo ferant,
Dabimus: relictis exul hospitiis vagus
Regno ut miserias mutet, atque Argos regat
Ex parte dominus. si nimis durus preces
Spernet Thyestes; liberos ejus rudes,

---

leusmaticum collocari. Phoenis. v. 221:

Ego laticis haustu satior? aut ullo fruor —

Troad. v. 413:

Mihi cecidit olim, cum ferus curru incito —

v. 457:

Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit.

v. 945:

Vide ut animus ingens laetus audiverit necem.

Octav. v. 118:

Modo facibus atris armat infirmas manus.

v. 120:

Modo trepidus idem refugit in thalamos meos.

300) *liberos ejus rudes*) τὸ *ejus* non placet, sine quo manifestum fit abunde, de cujus liberis hic agatur. Emendabam igitur,

Liberos aevi rudes
Malisque fessos gravibus, et faciles capi
Praecommovebunt.

Ausonius Epist. XXI. v. 29:

Malisque fessos gravibus, et faciles capi,
Praecommovebunt. hinc vetus regni furor,
Illinc egestas tristis, hinc durus labor,
Quamvis rigentem tot malis subigent virum.
SAT. Jam tempus illi fecit aerumnas leves.
ATR. Erras: malorum sensus accrescit die.
Leve est miserias ferre, perferre est grave.
SAT. Alios ministros consilii tristis lege:
Pejora juvenes facile praecepta audiunt:
In patre facient, quidquid in patruo doces.
Saepe in magistrum scelera redierunt sua.
ATR. Ut nemo doceat fraudis et sceleris vias,

Quod si rogabit, quid super scriptis novis
Maturus aevi nec rudis dijudicem.

Ambrosius posteriore libello adversus Symmachum: *Nos quoque aevi rudes sensus habemus infantium.* Possis et *rerum rudes.* nisi quod id recedit longius a vulgata scriptura. Valerius Flaccus lib. I. v. 771:

Est etiam ante oculos rerum rudis altera proles.

rudes anni infra apud nostrum, et Claudianum occurrunt. Heinsius.

Fatendum, *aevi* melius scriptum fuisse a poëta, quam *ejus*, quod in bono carmine rarum, ut ostendit Bentleius ad Horat. Od. III. 11. 18. Sed tamen vide Burmannum ad Ov. Met. VIII. v. 16.

302) *hinc vetus regni furor*) Gronovius conjicit: *tunc vetus regni furor*, quod pedestre videtur. *regni furor,* quia, ut ait Tacitus Ann. XV. 53., cupido dominandi omnibus affectibus flagrantior est.

Regnum docebit. ne mali fiant, times?
Nascuntur istud. quod vocas saevum, asperum,
Agique dire credis, et nimium impie,
Fortasse et illic agitur. SAT. Hanc fraudem scient
Nati parari? ATR. Tacita tam rudibus fides
Non est in annis, detegent forsan dolos.
Tacere multis discitur vitae malis.
SAT. Ipsosne, per quos fallere alium cogitas,
Falles, ut ipsi crimine et culpa vacent?
ATR. Quid enim est necesse liberos sceleri meo
Inserere? per nos odia se nostra explicent.
Male agis, recedis, anime: si parcis tuis,
Parces et illi; consilî Agamemnon mei
Sciens minister fiat, et patri sciens
Menelaus adsit. prolis incertae fides
Ex hoc petatur scelere. si bella abnuunt,
Et gerere nolunt odia; si patruum vocant;
Pater est. eatur. multa sed trepidus solet
Detegere vultus; magna nolentem quoque
Consilia produnt: nesciant, quantae rei
Fiant ministri. nostra tu coepta occules.

---

319) *Tacere multis discitur vitae malis*) quod sexcentis exemplis confirmat Plutarchus in: de Garrulitate c. 8 seqq.

326) *et patri sciens*) Alii *cliens* legunt. Sed ei patronus est nemo, praeter Schroederum, qui more suo deteriori causae favet. Terentius Heaut. IV. 8. 33:

Nam te sciente faciam quicquid egero.

333) *nostra tu coepta occule*) Princeps codicum: *nostra tu coepta occules*, quod commodius atque mollius

SAT. Haud sum monendus. ista nostro in pectore
Fides timorque, sed magis claudet fides.

CHORUS.

Tandem regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.
Quis vos exagitat furor,
Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriae color,
Non frontis nota regiae,
Non auro nitidae fores.
Rex est, qui posuit metus,

---

est altero, decetque magis praecipientem intimo consiliis regiis. Virgil. Aen. II. v. 547:

Referes ergo haec, et nuntius ibis
Pelidae genitori.

Horat. Epist. I. 18. 96:

Inter cuncta leges et percunctabere doctos.

et ita alii saepe. conf. Perizon. ad Sanct. Minerv. p. 95.

340) *Alternis dare sanguinem*) Male quidam codices *Alternum* habent. Supra v. 102:

suum infensi invicem
Sitiant cruorem.

Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis favor
Vulgi praecipitis movet.
Non quidquid fodit Occidens;
Aut unda Tagus aurea
Claro devehit alveo:
Non quidquid Libycis terit
Fervens area messibus.
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis:
Non Eurus rapiens mare;
Aut saevo rabidus freto
Ventosi tumor Adriae:
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs:
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia:
Occurritque suo libens
Fato: nec queritur mori.
Reges conveniant licet,
Qui sparsos agitant Dahas:
Qui rubri vada litoris,

---

361) *Aut saevo rabidus)* Ita ex Florentino correxit Gronovius, quem vide ad h. l. et Heinsium ad Ov. Met. I. v. 36. Prius vulgati, *rapidus.*

366) *Infra se videt)* hoc est, despicit. Velleius II. 76. 4: *nisi in id ascendisset, e quo infra se et Caesarem videret et remp.* ubi Senecam laudavit Ruhnken.

Et gemmis mare lucidis
Late sanguineum tenent:
Aut qui Caspia fortibus
Recludunt juga Sarmatis.
Certet, Danubii vadum
Audet qui pedes ingredi;
Et quocunque loco jacent
Seres vellere nobiles;
Mens regnum bona possidet.
Nil ullis opus est equis;
Nil armis, et inertibus
Telis, quae procul ingerit
Parthus, cum simulat fugas:
Admotis nihil est opus
Urbes sternere machinis,
Longe saxa rotantibus.
Rex est, qui metuit nihil,
Rex est, qui cupiet nihil.
Hoc regnum sibi quisque dat.
Stet, quicunque volet, potens
Aulae culmine lubrico:

---

372) *gemmis mare lucidum)* *gemmis mare lucidis* Florentinus, et recte. Nasoniana Sappho Epist. XV. v. 74:

Nec premit articulos lucida gemma meos.

Heinsius.

Sequimur Florentinum, ipso probante Seneca. Herc. Oet. v. 659:

Non disposito clara monili
Gestat pelagi dona rubentis.

Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus

---

396) *Nullis nota Quiritibus Aetas per tacitum fluat)* Haec per prolepsin, Senecae familiarissimam. Exempla praecepit vir doctus in Miscell. Observ. Vol. I. T. I. p. 71. Alioqui non incommode rescribi volebat Marklandus ad Stat. III. Silv. 5. 88:

Nullis notaque litibus
Aetas per tacitum fluat.

Nam inter ea, quae vitam faciunt beatiorem, est *lis nunquam*, quomodo loquitur Martialis X. 47. 5. Idem V. 21. 6:

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus,
Si disponere tempus otiosum,
Et verae pariter vacare vitae:
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triste
Nossemus.

Vestritius Spurinna Od. I. ad Pauperiem v. 10:

Contemtrix queruli magnanima fori.

Nemesianus Cyneget. v. 100:

Huc igitur mecum, quisquis percussus amore
Venandi, damnas lites.

Apud Sophoclem in Antigona v. 355. Chorus aversatur

φθέγμα, καὶ ἠνεμόεν
φρόνημα, καὶ ἀστυνόμους
ὀργάς.

Ipse noster Epist. 28: *Si liceat disponere se, conspectum quoque fori et viciniam procul fugiam.*

Aetas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebejus moriar senex.
Illi mors gravis incubat
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

Quibus adde, si plura quaeris, Virgil. Georg. II. v. 502. Senec. de Tranquil. c. 3. et Herc. fur. v. 127. aliosque.

ACTUS TERTIUS.

THYESTES, PLISTHENES,
TANTALUS junior et FRATER tertius. } Mutae personae.

THY. Optata patriae tecta, et Argolicas opes,
Miserisque summum ac maximum exulibus bonum,
Tactum soli natalis, et patrios Deos
(Si sunt tamen Dii) cerno; Cyclopum sacras
Turres, labore majus humano decus,
Celebrata juveni stadia, per quae nobilis
Palmam paterno non semel curru tuli.
Occurret Argos, populus occurret frequens;
Sed nempe et Atreus. repete silvestres fugas,

---

407) *Si sunt tamen dii)* Incertus Tragicus:
Si quidem sit quisquam deus, cui ego sum curae.

409) *per quae nobilis Palmam)* *nobilem Palmam* unus e Delrianis, perperam. Noster Agamemnone v. 917:
Elea inclitus
Palma revertor.

Saltusque densos potius, et mixtam feris
Similemque vitam. clarus hic regni nitor
Fulgore non est quod oculos falso auferat.
Cum quod datur spectabis, et dantem aspice.
Modo inter illa, quae putant cuncti aspera,
Fortis fui, laetusque: nunc contra in metus
Revolvor: animus haeret, ac retro cupit
Corpus referre: moveo nolentem gradum.
PLIST. Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet,
Vultumque versat, seque in incerto tenet.
THY. Quid, anime, pendes? quidve consilium diu
Tam facile torques? rebus incertissimis,
Fratri atque regno credis? ac metuis mala
Jam victa, jam mansueta? et aerumnas fugis
Bene collocatas? esse jam miserum juvat.
Reflecte gressum, dum licet, teque eripe.
PLIST. Quae causa cogit, genitor, a patria gradum
Referre visa? cur bonis tantis sinum

---

416) *Cum quod datur spectabis, et dantem)* Acuta brevitas et Ovidiana. IV. Ponticorum 9. 68:

majestatem res data dantis habet.

427) *Bene collocatas)* Interpretantur, amatas, tibi approbatas. Minus accurate. *Bene collocatas*, id est, quaestuosas, fructuosas, metaphora a pecunia desumta, quae largum quaestum latura, ponitur, collocatur. Malorum autem fructus est, nihil timere, idemque omnis sapientiae fastigium. Hoc emolumentum aerumnarum. Confer in eandem sententiam Troad. v. 422. et Senec. Epist. 110.

Subducis? ira frater abjecta redit;
Partemque regni reddit: et lacerae domus
Componit artus, teque restituit tibi.
THY. Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis.
Nihil timendum video; sed timeo tamen.
Placet ire: pigris membra sed genubus labant,
Alioque, quam quo nitor, abductus feror.
Sic concitatam remige et velo ratem
Aestus, resistens remigi et velo, refert.
PLIST. Evince, quidquid obstat, et mentem impedit;
Reducemque quanta praemia exspectent, vide.
Pater, potes regnare. THY. Cum possim mori?
Summa est potestas nulla, si cupias nihil.
PLIST. Natis relinques. THY. Non capit regnum duos.

---

439) *remigi et velo, refert)* *velo* boni quique libri. Et sic distichon laudavit Bentleius ad Manil. V. v. 430. Alii *vento* legunt. Ipsa comparatio fluxit ab Ovidio, qui Heroid. XXI. v. 42. ex persona Cydippes ait:

Ipsa, velut navis, jactor, quam certus in altum
Propellit Boreas, aestus et unda refert.

Cum utroque certat Statius Thebaid. IX. v. 143:

Siculi velut anxia puppis
Seditione maris, nequidquam obstante magistro,
Errat, et averso redit in vestigia velo.

443) *Plist. Summa est potestas. Thy. Nulla, si cupias nihil)* Frustra regnum summa potestate commendatur, postquam se Thyestes mori posse professus est; quod qui potest, is demum regnat. Supra v. 367:

PLIST. Miser esse mavult, esse qui felix potest?
THY. Mihi crede, falsis magna nominibus placent.
Frustra timentur dura. dum excelsus steti,
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei

Rex est —
Qui —
Occurrit — suo libens
Fato, nec queritur mori.

Agamemnone v. 609:

perrumpit omne
Servitium contemptor levium deorum,
Qui vultus Acherontis atri,
Qui Styga tristem non tristis videt,
Audetque vitae ponere finem.
Par ille regi, par superis erit.

Elegantem vero etiam definitionem regni: *summa est potestas,* qua nihil explicatur, sed tantum dicitur *regnum esse regnum.* Culpa est librariorum, qui duas in personas diviserunt sermonem, in una Thyestae persona continuandum hoc modo:

Thy. Cum possim mori?
Summa est potestas nulla, si cupias nihil.

Vidit jam Heinsius. *summa potestas est nulla,* id est, nullius pretii. Cicero VII. ad Div. 3. 9: *Ex eo tempore vir ille summus, nullus imperator fuit.* ubi plura Cortius. Nempe summam potestatem sapiens contemnit pro nihiloque ducit prae vero solidoque nil cupientis regno sui. Chorus v. 389:

Rex est, qui cupiet nihil.

Seneca de Benef. III. 37: *Hoc est regnum, nolle regnare, cum possis.* Claudianus VIII. v. 262:

tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex esse tui.

Ferrum timere lateris. o, quantum bonum est,
Obstare nulli! capere securas dapes
Humi jacentem! scelera non intrant casas,
Tutusque mensa capitur angusta cibus.
Venenum in auro bibitur. expertus loquor,
Malam bonae praeferre fortunam licet.
Non vertice alti montis impositam domum,
Et eminentem civitas humilis tremit;
Nec fulget altis splendidum tectis ebur;
Somnosque non defendit excubitor meos:
Non classibus piscamur, et retro mare
Jacta fugamus mole; non ventrem improbum
Alimus tributo gentium; nullus mihi
Ultra Getas metatur et Parthos ager:
Non ture colimur; nec meae, excluso Jove,
Ornantur arae: nulla culminibus meis
Imposita nutat silva; nec fumant manu
Succensa multa stagna: nec somno dies,
Bacchoque nox jungenda pervigili datur.

---

449) *Ferrum timere lateris)* hoc est, satellitum ad latus. Idem de Clement. 12: *nec illas ipsas manus, quibus se commisit, securus adspicit* (tyrannus); *contrariis in contraria agitur.*

454) *praeferre fortunam licet)* Si cum Heinsio scribas *libet*, impetus est, non judicium *experti.*

467) *nox jungenda)* Ita ex Florentino restituit Gronovius, et interpretatus est: continuanda diei. Recte. Pro eo Tacitus Germ. 22. *diem noctemque continuare potando* dixit. In vulgatis erat: *nox ducenda*, quod praeferre non debebat Bentleius ad Hor. Epist. I. 2. 31. Nam inani loquacitate diceretur nox *ducenda*

Sed non timemur. tuta sine telo est domus;
Rebusque parvis alta praestatur quies.
Immane regnum est, posse sine regno pati.
PLIST. Nec abnuendum est, si dat imperium Deus.
THY. Nec appetendum. PLIST. Frater, ut re-
gnes, rogat.
THY. Rogat? timendum est. errat hic aliquis dolus.
PLIST. Redire pietas, unde submota est, solet:
Reparatque vires justus amissas amor.
THY. Amat Thyesten frater? aethereas prius
Perfundet Arctos pontus; et Siculi rapax
Consistet aestus unda, et Ionio seges
Matura pelago surget; et lucem dabit
Nox atra terris: ante cum flammis aquae,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Foedusque jungent. PLIST. Quam tamen frau-
dem times?
THY. Omnem. timori quem meo statuam modum?
Tantum potest, quantum odit. PLIST. In te quid
potest?

---

dari pro duci, vel dari, quomodo Livius ait III. 28: *vacuam noctem operi* *dedere*.

468) *non timemur*) Proba lectio, quam praeter Claudianum et Senecam, a Gronovio prolatos, etiam Sallustius confirmat, de Rep. Ord. 3: *neque quenquam multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat, arbitror.*

470) *sine regno pati*) id est, durare et vivere.

473) *errat hic aliquis dolus*) ut in Hercule furente v. 1193:

hic errat scelus.

THY. Pro me nihil jam metuo; vos facitis mihi
Atrea timendum. PLIST. Decipi captus times?
Serum est cavendi tempus in mediis malis.
THY. Eatur: unum genitor hoc testor tamen,
Ego vos sequor, non duco. PLIST. Respiciet Deus
Bene cogitata. perge non dubio gradu.

ATREUS, THYESTES,

TANTALUS F. et TERTIUS frater. } Mutae personae.

ATR. Plagis tenetur clusa dispositis fera.
Et ipsum, et una generis invisi indolem
Junctam parenti cerno. jam tuto in loco
Versantur odia; venit in nostras manus
Tandem Thyestes; venit, et totus quidem.
Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
Sic, cum feras vestigat, et longo sagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scrutatur ore; dum procul lento suem
Odore sentit, paret, et tacito locum
Rostro pererrat: praeda cum propior fuit,

---

489) *Respiciet Deus*) Hoc fidenter dictum sumsit ex Bacchidibus Plauti IV. 3. 24. ubi Pistoclerus:

egone ut opem mihi
Ferre putem posse inopem te? Pi. tace modo:
Deus respiciet nos aliquis.

501) *cum propior fuit*) *fuit*, ex aoristo pro, est. Similiter Hipp. v. 249:

Pars sanitatis, velle sanari, fuit.

Cervice tota pugnat, et gemitu vocat
Dominum morantem, seque retinenti eripit.
Cum spirat ira sanguinem, nescit tegi.
Tamen tegatur. aspice, ut multo gravis
Squallore vultus obruat moestos coma:
Quam foeda jaceat barba. praestetur fides.

---

et Med. v. 200:

Aequum licet statuerit, haud aequus fuit.

Atque ita poëtae frequenter. vid. Hoogeveen. ad Viger. de graec. dict. Idiot. c. V. Sect. III. XI. Quare non erat, quod laboraret Gruterus reponere: *cum propior fluit*, vel *fugit*.

504) *spirat ira sanguinem*) *Spirare sanguinem* dicitur, ut *spirare bellum* Lucretio V. v. 393:

Tantum spirantes aequo certamine bellum.

ubi vulgatam Senecae lectionem contra Gronovium, *sperat* ex Ms. Florentino praeferentem, recte adseruit Wakefieldus, et illud bene observans, *tegi*, pro se tegere, positum esse, cum mediae vocis potestate.

507) *praestatur fides*) Ab Atreo, an Thyeste, quaerit Gruterus, et statim, ab Thyeste puto. Immo ab Atreo. Cicero Famil. lib. I. ep. 9: *Ut officium meum memoremque in bene meritos animum fidemque fratris mei praestarem.* lib. V. ep. 11: *De Dionysio, si me amas, confice. quamcunque ei fidem dederis, praestabo.* De divinat. lib. 2: *Virtutis auspiciis video esse usum Dejotarum, quae vetat spectare fortunam, dum praestetur fides.* Flor. tamen *praestetur*. Haec inde, *Aspice ut multo*, clariore voce loquitur, ita ut frater exaudire possit: atque hoc ultimo quasi sibi suisque imperat, ut praestent fidem, quam nomine ejus filii dederant. Gronovius.

Fratrem juvat videre: complexus mihi
Redde expetitos. quidquid irarum fuit,
Transierit. ex hoc sanguis ac pietas die,
Colantur: animis odia damnata excidant.
THY. Diluere possem cuncta, nisi talis fores.
Sed fateor, Atreu, fateor, admisi omnia
Quae credidisti. pessimam causam meam
Hodierna pietas fecit. est prorsus nocens,
Quicunque visus tam bono fratri est nocens.
Lacrimis agendum est: supplicem primus vides.
Hae te precantur pedibus intactae manus.
Ponatur omnis ira, et ex animo tumor
Erasus abeat: obsides fidei accipe

Recte *praestetur* Florentinus, et sic omnes editiones usque ad Commelinum, qui *praestatur* invexit. Benignum vero alloquium: *Praestatur fides*, quod perinde est, tanquam si dicat: non occidam te. Senecam imitando expressit Crebillon Thyest. V. 4:

Thyeste vient: feignons. Il semble, à sa tristesse,
Que de son sort affreux quelque soupçon le presse.

Caeterum bene poëta fingit Atreum simulantem, quasi commoveatur horridiore fratris adspectu, quia etiam, quos injuriae invisos faciunt, gratiosos miseriae reddunt, ut ait Valerius Maximus V. 3. 3.

518) *pedibus intactae manus*) id est, quae supplices hucusque nullius pedes tetigere, ut bene interpretes. Non multo secus Troasin v. 693. Andromache dicit:

ad genua accido
Supplex, Ulixe, quamque nullius pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.

Hos innocentes. ATR. Frater, a genubus manus
Aufer, meosque potius amplexus pete.
Vos quoque, senum praesidia, tot juvenes, meo
Pendete collo. squallidam vestem exue,
Oculisque nostris parce, et ornatus cape
Pares meis; laetusque fraterni imperii
Capesse partem. major haec laus est mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
Habere regnum, casus est; virtus, dare.
THY. Dii paria, frater, pretia pro tantis tibi
Meritis rependant. regiam capitis notam
Squallor recusat noster, et sceptrum manus
Infausta refugit. liceat in media mihi
Latere turba. ATR. Recipit hoc regnum duos.
THY. Meum esse credo, quidquid est, frater,
tuum.

---

521) *Frater, a genubus manus Aufer*) Gruterus cum Ascensio distinguunt:

obsides fidei accipe
Hos innocentes, frater. Atr. A genubus manus
Aufer.

Male. Falsus ille pati non potest, *fratrem fratri* supplicare.

523) *tot juvenes*) *tot* de tribus etiam usus est infr. v. 915:

restat etiamnum cruor
Tot hostiarum.

Alia ejusdem generis notant Gronovius ad h. l. et Burmannus ad Ov. Eleg. in Drus. v. 339.

534) *liceat in media mihi Latere turba*) Velleius II. 80. 4: *inter ultimam confluentium ad Caesarem turbam latens.*

ATR. Quis influentis dona fortunae abnuit?
THY. Expertus est quicunque, quam facile effluant.
ATR. Fratrem potiri gloria ingenti vetas?
THY. Tua jam peracta gloria est, restat mea.
Respuere certum est regna consilium mihi.
ATR. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.

---

536) *Quis influentis dona Fortunae*) *affluentis* castigabat Heinsius, qui suam in rem uti potuisset Val. Maximo VI. 9. Ext. 7: *Caduca nimium et fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis ista, quae vires atque opes humanae vocantur. Adfluunt subito, repente dilabuntur.* Sed neque vulgata male habet. Noster Epist. 50: *Illud desperandum est, posse nobis casu tantum bonum influere.* Lucianus in Timone p. 95: *Πλου. ἐκεῖνος γὰρ πότε παύσεται ὥσπερ ἐκ κοφίνου τετρυπημένου, πρὶν ὅλως εἰσρυῆναί με, κατὰ σπουδὴν ἐξαντλῶν, φθάσαι βουλόμενος τὴν ἐπιῤῥοὴν, μὴ ὑπέραντλος εἰσπεσὼν ἐπικλύσω αὐτόν; ὥστε ἐς τὴν τῶν Δαναΐδων πίθον ὑδροφορήσειν μοι δοκῶ καὶ μάτην ἐπαντλήσειν, τοῦ κύτους μὴ στέγοντος. ἀλλὰ πρὶν εἰσρυῆναι σχεδὸν ἐκχυθησομένου τοῦ ἐπιῤῥέοντος· οὕτως εὐρύτερον τὸ πρὸς τὴν ἔκχυσιν κεχηνὸς τοῦ πίθου, καὶ ἀκώλυτος ἡ ἔξοδος.*

537) *quam facile effluant*) *effluat* Heinsius, credo quod recordaretur Ovidii sui in Ibide v. 413:

tua nescio quo semper Fortuna liquescat
Lapsaque per medias effluat usque manus.

Aliam enim novandi causam non video. Lucretius III. v. 950:

si grata fuit vita anteacta, priorque,
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere.

THY. Accipio. regni nomen impositi feram:
Sed jura et arma servient mecum tibi.
ATR. Imposita capiti vincla venerando gere.
Ego destinatas victimas Superis dabo.

CHORUS.

Credat hoc quisquam? ferus ille et acer,
Nec potens mentis, truculentus Atreus,
Fratris aspectu stupefactus haesit.
Nulla vis major pietate vera est.
Jurgia externis inimica durant,
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cum magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitque bellum;
Cum leves frenis sonuere turmae,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis;
Quem movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem;
Opprimit ferrum, manibusque junctis
Ducit ad pacem pietas negantes.
Otium tanto subitum e tumultu
Mitius stagno pelagus recumbit;

---

553) *cecinitque bellum)* Unus codex *genuitque bellum*, ex interpolatione. *cecinit*, quasi tuba belli. Cicero Philippica VII, §. 3: *bellicum me cecinisse dicunt.* Idem VI. ad Fam. 13. 8. de Ampio: *quem illi appellant tubam belli civilis.*

557) *cupiens recentem)* Quidam libri *nocentem*, solita aberratione, de qua Burmannus ad Lucan. VI. v. 543.

Quis Deus fecit? modo per Mycenas
Arma civilis crepuere belli.
Pallidae natos tenuere matres;
Uxor armato timuit marito,
Cum manum invitus sequeretur ensis,
Sordidus pacis vitio quietae.
Ille labentes renovare muros;
Hic situ quassas stabilire turres;
Ferreis portas cohibere claustris
Ille certabat; pavidusque pinnis
Anxiae noctis vigil incubabat.
Pejor est bello timor ipse belli.
Jam minae saevi cecidere ferri;
Jam silet murmur grave classicorum;
Jam tacet stridor litui strepentis;
Alta pax urbi revocata laetae est.
Sic ubi ex alto tumuere fluctus,
Brutium Coro feriente pontum,
Scylla pulsatis resonat cavernis,
Ac mare in portu timuere nautae,
Quod rapax haustum revomit Charybdis;
Et ferus Cyclops metuit parentem
Rupe ferventis residens in Aetnae,
Ne superfusis violetur undis
Ignis aeternis resonans caminis;
Et putat mergi sua posse pauper
Regna Laertes, Ithaca tremente.
Si suae ventis cecidere vires,

589) *Mitius stagno)* Respicere videtur illa Maronis Aen. VIII. v. 88:

Alta quae navis timuit secare
Hinc et hinc fusis spatiosa velis,
Strata ludenti patuere cymbae:
Et vacat mersos numerare pisces;
Hic ubi ingenti modo sub procella
Cyclades pontum timuere motae.
Nulla sors longa est: dolor ac voluptas
Invicem cedunt. brevior voluptas.
Ima permutat levis hora summis.
Ille, qui donat diadema fronti,
Quem genu nixae tremuere gentes,
Cujus ad nutum posuere bella

---

tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor aquis.

598) *Ima permutat levis hora summis)* Imitatur Horatium Od. I. 34. 13:

Valet ima summis
Mutare et insignem attenuat Deus
Obscura premens.

hora, pro fortuna, sub cujus jure et imperio *tempus* et *hora*, sive quidquid deinceps dierum rerumque venturum est. Sic etiam utitur incertus poëta T. I. Anthol. Lat. p. 302:

Tale Deae numen, tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

quam ipsam sententiam hoc modo extulit noster Agamemnone v. 85:

domos:
Quas in planum quaelibet hora
Tulit ex alto.

Medus, et Phoebi propioris Indus,
Et Daae Parthis equitem minati;
Anxius sceptrnm tenet, et moventes
Cuncta divinat metuitque casus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.
Vos, quibus rector maris atque terrae
Jus dedit magnum necis atque vitae,
Ponite inflatos tumidosque vultus:
Quidquid a vobis minor extimescit,
Major hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis;

---

605) *moventes Cuncta divinat metuitque casus Mobiles*) *divinare casus* dicit Homerica locutione. Odys. X. v. 374:

κακὰ δ' ὄσσετο θυμός.

cui simile est illud Statii Theb. V. v. 546. de Hypsipyle:

jam certa malorum
Mentis ab augurio.

casus mobiles cuncta moventes ex Manilio effinxit, qui III. v. 528. de Fortuna sic ait:

Usque adeo permixta fluit, nec permanet usquam;
Amisitque fidem variando cuncta per omnes.

casus vero *mobiles*, ut apud Sallustium Jug. c. 104: *ignari rerum humanarum, quae fluxae et mobiles semper in adversa mutentur.*

Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet haec illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam Divos habuit faventeis,
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

---

616) *meliora lapsis)* *laesis* in Florentino legi notat Gronovius ad v. 658. ubi similis atque eadem diversitas est. Sed vulgatum utroque loco retinendum. Ovidius Trist. I. 5. 35:

Quo magis, o pauci, rebus succurrite lapsis.

ubi vide Heinsium.

618) *Rotat omne fatum)* De fato Menander in Hypobolimaeo sic ait:

τοῦτ' ἔστι πάντα καὶ κυβερνῶν καὶ στρέφων.

Virgilius autem Ecl. IX. v. 5:

Fors omnia versat.

et Valerius Maximus V. 1. 10: *mortalium negotia fortuna versat.* Adeo non *Clotho rotat fatum*, ut perperam accepit Lessingius in Theatral. Biblioth. II. p. 81.

ACTUS QUARTUS.

NUNTIUS, CHORUS.

NUNT. Quis me per auras turbo praecipitem vehet,
Atraque nube involvet, ut tantum nefas
Eripiat oculis? o domus, Pelopi quoque
Et Tantalo pudenda! CHOR. Quid portas novi?
NUNT. Quaenam ista regio est, Argos et Sparte pios
Sortita fratres? et maris gemini premens
Fauces Corinthos? an feris Isther fugam
Praebens Alanis? an sub aeterna nive
Hyrcana tellus? an vagi passim Scythae?

---

623) *Quis me per auras turbo)* Ante oculos fuit Sophocles, Philoctet. v. 1092:

εἴθ᾽ αἰθέρος ἄνω
πλωάδες ὀξυτόνου διὰ πνεύματος
ἔλωσί μ᾽, οὐ γὰρ ἔτ᾽ ἴσχω.

629) *Fauces Corinthos)* quam cognomine *mitis* insignivit Statius Theb. I. v. 335.

Quis hic nefandi est conscius monstri locus?
CHOR. Effare: et istud pande, quodcunque est malum.
NUNT. Si steterit animus, si metu corpus rigens
Remittet artus. haeret in vultu trucis
Imago facti. ferte me insanae procul
Illo procellae; ferte, quo fertur dies
Hinc raptus. CHOR. Animos gravius incertos tenes.
Quid sit, quod horres, ede, et auctorem indica.
Non quaero, quis sit, sed uter. effare ocius.
NUNT. In arce summa Pelopiae pars est domus
Conversa ad Austros; cujus extremum latus
Aequale monti crescit, atque urbem premit,
Et contumacem regibus populum suis
Habet sub ictu: fulget hic turbae capax
Immane tectum, cujus auratas trabes
Variis columnae nobiles maculis ferunt.
Post ista vulgo nota, quae populi colunt,
In multa dives spatia discedit domus.

---

633) *quodcunque est malum)* Heinsius *mali* scribendo, malum elevat, Genitivo contemtum exprimente. vid. Charis. lib. I. p. 84. vel Donat. ad Terent. Eunuch. II. 2. 10.

641) *Pelopeae pars est domus)* Ut versui consulatur, scribe *Pelopiae*. Similem errorem sustulimus Herc. fur. v. 997.

647) *Variis columnae nobiles maculis)* Significat *Numidicas*, observante Mitscherlichio ad Horat. Od. II. 18. 3.

Arcana in imo regia secessu patet,
Alta vetustum valle compescens nemus,
Penetrale regni, nulla qua lactos solet
Praebere ramos arbor, aut ferro coli:
Sed taxus, et cupressus, et nigra ilice
Obscura nutat silva; quam supra eminens
Despectat alte quercus, et vincit nemus.
Hinc auspicari regna Tantalidae solent,
Hinc petere lapsis rebus et dubiis opem.
Affixa inhaerent dona, vocales tubae,
Fractique currus, spolia Myrtoi maris,

---

650) *regia secessu patet)* *patet* refer ad amplitudinem regiae istius, omnia similis regiae Pici, descriptae Virgilio VII. Aen. 170:

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere, et primos adtollere fascis
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hae sacris sedes epulis: hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro; Italusque, paterque Sabinus,
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant: aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique ereptaque rostra carinis.

Victaeque falsis axibus pendent rotae,
Et omne gentis facinus: hoc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis; hic praeda hostium,
Et de triumpho picta barbarico chlamys.
Fons stat sub umbra tristis, et nigra piger
Haeret palude. talis est dirae Stygis
Deformis unda, quae facit coelo fidem.
Hic nocte coeca gemerò ferales Deos,
Fama est: catenis lucus excussis sonat,
Ululantque Manes. Quidquid audire est metus,
Illic videtur. errat antiquis vetus
Emissa bustis turba, et insultant loco
Majora notis monstra. Quin tota solet

---

661) *Victaeque falsis axibus)* *Junctaeque* corrigebam olim; sed cum in Florentino sit *vitaeque*, opinor *fultaeque*. Heinsius.

Neutrum cadit in rotas, axibus currentes talibus, non sinceris. *Victae falsis axibus*, id est, per falsos axes. Claudianus XXIX. v. 168:

nam perfidus objice regis
Prodidit Oenomai deceptum Myrtilus axem.

668) *nocte coeca)* Sic meliores libri, non *tota*. Noster in Oedipo v. 1049:

Coecam tremente dextera noctem rege.

Cicero pro Milone §. 50: *dum neque muta solitudo indicasset, neque coeca nox ostendisset Milonem.*

673) *Majora notis)* Hoc ita variavit in Oedipo v. 175:

Vaga per lucos simulacra virum
Majora viris.

Ibid.) *tota solet Micare flamma)* Heinsius augeri miraculum existimat, si pro *tota* scribatur *tuta*, quod sit,

Micare flamma silva, et excelsae trabes
Ardent sine igne. saepe latratu nemus
Trino remugit: saepe simulacris domus
Attonita magnis. nec dies sedat metum.
Nox propria luco est, et superstitio inferûm
In luce media regnat. Hinc orantibus
Responsa dantur certa, cum ingenti sono
Laxantur adyto fata, et immugit specus
Vocem Deo solvente. Quo postquam furens
Intravit Atreus, liberos fratris trahens,
Ornantur arae. quis queat digne eloqui?
Post terga juvenum nobiles revocat manus,
Et moesta vitta capita purpurea ligat:
Non tura desunt, non sacer Bacchi liquor
Tangensve salsa victimam culter mola.
Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. CHOR. Quis manum ferro admovet?
NUNT. Ipse est sacerdos. ipse funesta prece
Letale carmen ore violento canit.
Stat ipse ad aras. ipse devotos neci
Contrectat, et componit, et ferro admovet.
Attendit ipse. nulla pars sacri perit.
Lucus tremiscit. tota succusso solo
Nutavit aula, dubia, quo pondus daret,

---

innoxia et parcenti, per quam non aduratur silva. Ego minui potius crediderim. Arboribus enim sine igne ardentibus, haud sane periculum est, ne aduratur silva. Commode vero comparat Lucani III. v. 420:

Et non ardentis fulgere incendia silvae.

Ac fluctuanti similis. e laevo aethere
Atrum cucurrit limitem sidus trahens.
Libata in ignes vina mutato fluunt
Cruenta Baccho. regium capiti decus
Bis terque lapsum est. flevit in templis ebur.
Movere cunctos monstra: sed solus sibi
Immotus Atreus constat, atque ultro Deos
Terret minantes. jamque dimissa mora
Assiluit aris, torvum et obliquum intuens.
Jejuna silvis qualis in Gangeticis
Inter juvencos tigris erravit duos,
Utriusque praedae cupida, quo primos ferat
Incerta morsus, flectit huc rictus suos,
Illo reflectit, et famem dubiam tenet;
Sic dirus Atreus capita devota impiae
Speculatur irae. quem prius mactet sibi,
Dubitat; secunda deinde quem caede immolet.

---

713) *quem prius mactet sibi)* Heinsius corrigere tentat: *quem prius mactet Stygi,* laudans pro eo Virg. Aen. IV. v. 638:

Sacra Jovi Stygio, quae rite incepta paravi.

Sed vulgata praeclare se habet. *sibi,* id est, ad saturandum odium suum, non ad placandos deos, quos praetenderat falsus ille supra v. 545:

Ego destinatas victimas superis dabo.

Similiter Medea v. 280:

Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.

v. 276:

illi Pelia, non nobis jacet.

v. 950:

pereant patri, periere matri.

Nec interest: sed dubitat. et saevum scelus
Juvat ordinare. CHOR. Quem tamen ferro occupat?
NUNT. Primus locus (ne deesse pietatem putes)
Avo dicatur; Tantalus prima hostia est.
CHOR. Quo juvenis animo, quo tulit vultu necem?
NUNT. Stetit sui securus, et non est preces
Perire frustra passus: ast illi ferus
In vulnere ensem abscondit, et penitus premens
Jugulo manum commisit. educto stetit
Ferro cadaver: cumque dubitasset diu
Hac parte, an illa caderet, in patruum cadit.
Tunc ille ad aras Plisthenem saevus trahit,
Adicitque fratri: colla percussa amputat.
Cervice caesa truncus in pronum ruit:
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
CHOR. Quid deinde gemina caede perfunctus facit?
Puerone parcit? an scelus sceleri ingerit?

---

727) *colla percussa amputat)* Pleonasmus est Accusativi cognati, de quo vide Perizonium ad Sanct. Minerv. p. 302. Festinabat Heinsius, cum scriberet: *colla percusso amputans.*

729) *murmure incerto)* Pro eo dixit Apuleius Miles. I. p. 10: *cum ille impetu tali praesecata gula vocem, immo incertum stridorem per vulnus effunderet.*

731) *scelus sceleri ingerit)* Heinsius malebat: *scelus sceleri aggerit,* quia in Florentino est *scelere ingerit.* Sed nulla opus mutatione. Ovidius Amor. II. 1. 13:

NUNT. Silva jubatus qualis Armenia leo
In caede multa victor armento incubat,
Cruore rictus madidus, et pulsa fame
Non ponit iras; hinc et hinc tauros premens
Vitulis minatur, dente jam lasso piger:
Non aliter Atreus saevit, atque ira tumet,
Ferrumque gemina caede perfusum tenens,
Oblitus in quem rueret, infesta manu
Exegit ultra corpus. at pueri statim
Pectore receptus ensis, in tergo exstitit.
Cadit ille, et aras sanguine exstinguens suo,

---

ingestaque Olympo
Ardua devexum Pelion Ossa tulit.
ubi vide Burmannum.

739) *in quem)* Hoc vult, intensiorem fuisse impetum, quam requireretur ad conficiendum puerulum, adeoque *vulnus ultra mortem patuisse,* quemadmodum loquitur Florus II. 7, 9. ubi Dukerum vide.

740) *infesta manu Exegit ultra corpus)* Lessingius in Theatral. Biblioth. II. p. 87. praepositionem *ultra* inscienter pro adverbio capiens, jungensque *Exegit corpus*, emendat: *infestam manum Exegit ultra corpus*, et interpretatur: und hohlt weit von dem Körper aus. Gestus hic ferientium est. Virgilius Aen. XI. v. 605:

hastasque reductis
Protendunt longe dextris.

At *manum exigere* pro reducere quis unquam dixit? *Ferrum exigere* pro trajicere passim est obvium.

741) *in tergo exstitit)* Sic princeps liber, quod probat contra *exiit* aliorum et illustrat Heinsius ad Silium I. v. 527.

Per utrumque vulnus moritur. CHOR. O saevum scelus!
NUNT. Exhorruistis? hactenus si stat nefas,
Pius est. CHOR. An ultra majus aut atrocius
Natura recipit? NUNT. Sceleris hunc finem putas?
Gradus est. CHOR. Quid ultra potuit? objecit feris
Lanianda forsan corpora, atque igne arcuit.
NUNT. Utinam arcuisset, ne tegat functos humus,
Ne solvat ignis! avibus epulandos licet
Ferisque triste pabulum saevis trahat;
Votum est sub hoc, quod esse supplicium solet.
Pater insepultos spectet. o nullo scelus
Credibile in aevo, quodque posteritas neget!

---

744) *hactenus sistat nefas, Pius est)* Recte monuit Heinsius ad Sil. II. v. 639. *Pius sit* dicendum fuisse, si *sistat* vellemus tueri, et emendavit: *hactenus si stat, nefas, Pius est,* id est, subsistit. Auctor Octaviae, ipso laudante, (v. 514):

Nec finis heic cruoris aut caedis stetit.

Statius Thebaid. III. v. 96:

ducis infandi rabidae non hactenus irae
Stare queant. vetat igne rapi.

Tacitus Hist. IV. 45: *nec finem injuriae hic stetisse.*

747) *abjecit feris)* *objecit* constanter libri veteres, et recte. Cicero Verr. V. 45: *Multi et graves dolores inventi parentibus, et propinquis multi. Verumtamen mors sit extrema. Non erit. Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit? Reperietur. Nam illorum liberi cum erunt securi percussi ac necati, corpora feris objicientur. Hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem.*

Erepta vivis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venae, corque adhuc pavidum salit.
At ille fibras tractat, ac fata inspicit;
Et adhuc calentes viscerum venas notat.
Postquam hostiae placuere, securus vacat
Jam fratris epulis. ipse divisum secat
In membra corpus: amputat trunco tenus
Humeros patentes, et lacertorum moras;
Denudat artus durus, atque ossa amputat;

Quinctilianus Declam. XII. 14. *Mors certe finis est, nec saevitia ultra fata procedit. Aut etiam si quis adeo hominem exuit, ut ibi poenam quaerat, ubi sensus doloris non inveniat, nempe tamen cadavera feris objiciet.*

760) *ipse divisum secat*) Heinsius malebat: *vixque divisum.* Sed haec lentitudo vereor ne nimia sit.

761) *amputat trunco tenus Humeros*) *lancinat* frustra malebat Heinsius. Nam *amputat* dicitur pro abscindit. Ita apud Statium Theb. IX. v. 268:

insignis humeros ferus ense Menoeceus
Amputat; ille cadens, nondum conamine ademto,
Truncus in excelsis spectat sua brachia ramis.

763) *Denudat artus dirus*) Mss. consensu *durus*, id est, truculentus, ut supra v. 547. audiit, vel saevus, ut Septimium vocat Lucan., hunc locum imitatus VIII. 667:

nam saevus in ipso
Septimius sceleris majus scelus invenit actu:
Ac retegit sacros, scisso velamine, vultus
Semianimis Magni, spirantiaque occupat ora,
Collaque in obliquo ponit languentia transtro.
Tunc nervos venasque secat, nodosaque frangit
Ossa diu.

Ibid.) *ossa amputat*) id est, circumcidit. De hac significatione verbi conf. Duker. ad Flor. II. 18. 10.

Tantum ora servat, et datas fidei manus.
Haec verubus haerent viscera, et lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex,
Querente aheno, jactat: impositas dapes
Transiluit ignis, inque trepidantes focos
Bis ter regestus, et pati jussus moram,

---

765) *et lentis)* *haec lentis* in libro ms. esse memorat Barthius X. Advers. 15. Sed inter assum et elixum nihil medium; cumque Nuntio congruit Atreus, eadem iterans fratri v. 1060:

et haec ferventibus
Demersi ahenis, illa lentis ignibus
Stillare jussi.

Similiter Attius in Atreo:

concoquit partem vapor
Flammae, lacerta tribuit verubus in foco.

767) *Querente aheno)* Gronovio bellum videtur. Heinsius vero, nisi, inquit, Florentinus exhiberet, *candente aheno*, vix dubitarem ab Annaei manu esse *Furente aheno*, vel *fervente*. Neuter vidit, *ahenum* positum esse pro visceribus, quae in aheno sunt; continens pro contento. Sic Homerus Il. XXI. v. 362:

ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον, ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ,
κνίσσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο
πάντοθεν ἀμβολάδην, ὑπὸ δὲ ξύλα κάγκανα κεῖται.

ex eoque Virgilius Georg. I. v. 296:

foliis undam trepidi despumat aheni.

Est autem hoc prodigium simillimum illi, quod in Solis bubus accidisse refert Homerus Odys. XII. v. 395:

κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει
ὀπταλέα τε καὶ ὠμά· βοῶν δ' ὣς γίνετο φωνή.

Invitus ardet. stridet in verubus jecur.
Nec facile dicam, corpora an flammae magis
Gemuere. piceus ignis in fumos abit:
Et ipse fumus tristis, ac nebula gravis,
Non rectus exit, seque in excelsum levans,

---

771) *an flammae magis gemuere*) Nihil opus, ut cum Gronovio rescribamus: *corpora an flammas magis gemuisse*. Terentius Adelph. IV. 5. 33:

Qui infelix haud scio, an illum misere nunc amat.

et in eadem fabula simili constructione, II. 1. 41:

Nunc vide, utrum vis, argentum accipere, an (scilicet *vis*) *causam meditari tuam.*

772) *piceus ignis in fumos abit*) In Florentino est *piceos*. At sic oratio tribus oneratur epithetis, cum sufficiat *fumum* proximo versu *tristem* ac *nebula gravem* vocari. Lucanus VI. v. 135:

Tum piceos volvunt immissae lampades ignes.

Ob oculos nostro fuit haud dubie locus ille Sophoclis ex Antigone v. 1006:

ἐκ δὲ θυμάτων
ἥφαιστος οὐκ ἔλαμπεν, ἀλλ' ἐπὶ σποδῷ
μυδῶσα κηκὶς μηρίων ἐτήκετο,
κἄτυφε, κἀνέπτυε.

774) *seque in excelsum levans*) *que* positum est pro, *et non*, ut in hoc Lucani II. v. 373:

Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Caesariem, duroque admisit gaudia vultu.

ubi plura Oudendorpius. Eodem vero omine sacrificatur apud Val. Flaccum VIII. v. 247:

neque se pingues tum candida flamma per auras
Explicuit.

Ipsos penates nube deformi obsidet.
O Phoebe patiens, fugeris retro licet,
Medioque ruptum merseris coelo diem,
Sero occidisti. lancinat natos pater,
Artusque mandit ore funesto suos.
Nitet fluente madidus unguento comam,
Gravisque vino: saepe praeclusae cibum
Tenuere fauces. in malis unum hoc tuis
Bonum est, Thyesta, quod mala ignoras tua.
Sed et hoc peribit. verterit currus licet,
Sibi ipse Titan obvium ducens iter;

---

775) *Ipsos penates nube deformi)* Sententiam adjectione tumida perdit Heinsius, dum *Ipsos* mutat in *Spissus*.

777) *ruptum merseris coelo diem)* Cod. Thos. et alii duo *raptum* habent. Sed male. *ruptum diem* posuit pro, abruptum. Sic Horatius Od. III. 27. 5:

Rumpat et serpens iter institutum.

ubi vide Mitscherlichium.

782) *Tenuere fauces)* Pro *Tenuere* legendum *Renuere* suspicabatur Gronovius, huc trahens illud Silii XIV. (v. 606):

descendere fauces
Abnuerant siccae jussorum alimenta ciborum.

Sed res diversa, sed *abnuerant* vitiatae, minus integrae. Nunc fauces anguntur praefocabili cibo. Apuleius Met. I. p. 14: *ut mihi prae metu — frustulum panis, quod primum sumseram — mediis faucibus inhaereret, ac neque deorsum demeare, neque sursum remeare posset.*

783) *quod mala ignoras tua)* Apposite Terentius in Hecyra III. 1. 7:

Tenebrisque facinus obruat tetrum novis
Nox missa ab ortu tempore alieno gravis;
Tamen videndum est. tota patefient mala.

CHORUS.

Quo terrarum superûmque parens,
Cujus ad ortus noctis opacae
Decus omne fugit, quo vertis iter,
Medioque diem perdis Olympo?

Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos,
Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est.

789) *terrarum superûmque parens*) Heinsius *potens*, inquit, scribendum: non enim Sol terrarum ac superûm pater, sed Jupiter. Quid? isne *parens*, quem *θεῶν πανάριστον* invocat Proclus Hymno in Solem v. 33. et v. 34. *εἰκόνα παγγενέταο θεοῦ*. Orpheus autem Hymno in eundem v. 13. *ἀθάνατον Δία*. Etiam hoc amplius dicit Plutarchus Quaest. Rom. LXXVII: *δεῖ δὲ μὴ νομίζειν ἁπλῶς εἰκόνας ἐκείνων τούτους, ἀλλ' αὐτὸν ἐν ὕλῃ Δία, τὸν ἥλιον, καὶ αὐτὴν τὴν Ἥραν ἐν ὕλῃ, τὴν σελήνην.*

792) *diem perdis*) *prodis* conjicit Heinsius, et interpretatur, destitutis, in hunc sensum advocans illud ex Oedipo v. 144:

Sonipes prono dominum p r o d i d i t armo.

Sed gravius est *perdis*, et sic Annaeum scripsisse, aliis ejus locis intelligitur. Supra v. 88:

p e r d i d i m u s solem miseri.

inferius v. 1085:

Cur, Phoebe, tuos rapis aspectus?
Nondum serae nuntius horae
Nocturna vocat lumina vesper:
Nondum Hesperiae flexura rotae
Jubet emeritos solvere currus:
Nondum in noctem vergente die
Tertia misit buccina signum:
Stupet ad subitae tempora coenae
Nondum fessis bubus arator:
Quid te aetherio pepulit cursu?
Quae causa tuos limite certo
Dejecit equos? numquid aperto
Carcere Ditis victi tentant
Bella gigantes? numquid Tityos
Pectore fesso renovat veteres

---

vindica amissum diem.

Hercule Octaeo v. 1110:

Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.

807) *Pectore fesso*) Gronovius *fisso*, cui favere videri possint Attii cuiusdam apud Gellium VII. 9. verba: *Non ergo aquila ita, uti praedicant, scesciderat pectus.* et auctoris illud Herc. fur. v. 977. de eodem Tityo:

lacerum gerens
Et inane pectus.

Sed vulgata lectio verior est. Claudianus, hunc locum imitatus, XXXV. v. 341:

laterisque piger sulcator opaci
Invitus trahitur lasso de pectore vultur.

Pro *renovat* nonnullis in scriptis *revocat* habetur, solemni errore. Silius XII. v. 151. de Iapeto:

Saucius iras? num rejecto
Latus explicuit monte Typhoeus?
Numquid struitur via Phlegraeos
Alta per hostes? et Thessalicum
Thressa premitur Pelion Ossa?
Solitae mundi periere vices:
Nihil Occasus, nihil Ortus erit.
Stupet, Eoos assueta Deo
Tradere frenos, genitrix primae
Roscida lucis, perversa sui
Limina regni. nescit fessos
Tingere currus, nec fumantes
Sudore jubas mergere ponto.
Ipse insueto novus hospitio
Sol auroram videt occiduus,
Tenebrasque jubet surgere, nondum

---

si quando evadere detur,
Bella Jovi rursus Superisque iterare volentem.

818) *perversa sui Lumina regni*) Florentiae, ut in ed. Venet. an. 1522. *Limina*, quod recte probat Heinsius, et interpretatur, terminos et fines, laudato Silii loco XVI. v. 230:

Jamque novum terris pariebat limine primo
Egrediens Aurora diem.

ubi plura Drakenborchius, quem vide.

Ibid.) *nescit fessos Tingere currus*) *Aurora* nescit *Deum* Phoebum tingere currus, ceu modo fessos, ut recte Schroederum accepisse video. Virgilius Aen. XI. v. 914:

Ni roseis fessos jam gurgite Phoebus Hibero
Tinguat equos.

Nocte parata, non succedunt
Astra, nec ullo micat igne polus:
Nec Luna graves digerit umbras.
Sed quidquid id est, utinam nox sit!
Trepidant, trepidant pectora magno
Perculsa metu, ne fatali
Cuncta ruina quassata labent:
Iterumque Deos hominesque premat
Deforme chaos: iterum terras,

---

829) *Percussa metu)* Scripti fere *Perculsa*, quod tanquam fortius et tempestivius recte tuetur Wakefieldus ad Lucret. I. v. 13. contra Delrium, qui *Percussa* substituit.

832) *Iterum terras Et mare et ignes)* Quia triplex rerum machina a poetis constituitur, Heinsius rescribit:

iterum terras
Et mare segnis et vaga picti
Sidera mundi Natura tegat.

laudato Manilio III. v. 657.

Viribus in tantum segnis natura movetur.

Sed retinuimus vulgatam lectionem, quae recta est. *ignes et sidera* accipe pro, siderum ignes, quomodo loquitur Virgilius Aen. III. v. 585. et VIII. v. 590. id est, stellas. Figura est Senecae familiaris, ut subjectis exemplis patebit. Hippolyto v. 509.

Ramique ventis lene percussi tremunt,
Veteresque fagi.

pro, rami veterum fagorum. v. 640:

pectus insanum vapor
Amorque torret.

pro, incendium amoris. v. 657:

In te magis refulget incomtus decor
Et genitor.

Et mare et ignes, et vaga picti
Sidera mundi Natura tegat.
Non aeternae facis exortu

---

pro, decor genitoris. v. 1179:

per undas perque Tartareos lacus.

pro, per undas Tartarei lacus. Oedipo v. 339:

Trepidusque vultum solis et radios fugit.

pro, vultum radiantem solis. Hercule Oetaeo v. 1490:

in vultu genus
Regnumque referens.

pro, genus regium.

835) *aeternae facis exortu)* Heinsius conjicit *alternae*, vel *aetheriae facis.* Utrumque bonum esset, neutrum tamen melius vulgato. Nam ita noster Med. v. 599. de eodem:

Ausus aeternos agitare currus.

Quaest. Nat. II. 10: *Summa pars ejus* (aëris) *est siccissima calidissimaque, et ob hoc etiam tenuissima, propter viciniam aeternorum ignium.* hoc est, Solis et Lunae. Ibid. VII. 23: *Illis dico divinis ignibus, quos habet mundus aeternos, quia partes ejus sunt et opera.* Et similiter alii poëtae. Virgilius Aen. II. v. 154:

Vos, aeterni ignes.

id est, Sol et Luna. Manilius I. v. 190:

circumque feratur
Aeterna cum luce dies.

Valerius Flaccus V. v. 410:

non aliter, quam si radiantis adirent
Ora dei, verasque aeterni luminis arces.

Auctor Octaviae v. 233:

plaustra tardus noctis aeterna vice
Regit Bootes.

Dux astrorum secula ducens
Dabit aestatis brumaeque notas.
Non Phoebeis obvia flammis
Demet Nocti Luna timores,
Vincetque sui fratris habenas,
Curvo brevius limite currens.
Ibit in unum congesta sinum
Turba Deorum.
Hic, qui sacris pervius astris
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens longos Signifer annos,
Lapsa videbit sidera labens.
Hic qui nondum vere benigno

---

et, qui omnibus praeivit, Lucretius V. v. 403:

solque, cadenti
Obvius, aeternam subscepit lampada mundi.

836) *Dux astrorum*) id est, Sol, quem *ἄστρον ὑπέρτατον* vocat Pindarus Carm. in Defectum Solis v. 3.

838) *Phoebis obvia flammis*) Noster in Consolat. ad Marc. 18: *Videbis nocturnam lunae successionem, a fraternis occursibus lene remissumque lumen mutuantem, et modo occultam, modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mutabilem, semper proximae dissimilem.*

846) *Flectens longos Signifer annos*) *longus annus* dicitur, ut *magnus annus* Virgilio Aen. III. v. 284:

Interea magnum sol circumvolvitur annum.

ubi vide Heynium.

847) *Lapsa videbit sidera labens*) *tabens* malit Wakefieldus, hunc locum citans ad Lucret. V. v. 642. Sed melius ultimum respondet primo, quia de jungentibus fata pariterque casuris agitur.

Reddit Zephyro vela tepenti,
Aries praeceps ibit in undas,
Per quas pavidam vexerat Hellen.
Hic, qui nitido Taurus cornu
Praefert Hyadas, secum Geminos
Trahet, et curvi brachia Cancri.
Leo flammiferis aestibus ardens
Iterum e coelo cadet Herculeus.
Cadet in terras Virgo relictas;
Justaeque cadent pondera Librae;
Secumque trahent Scorpion acrem.
Et, qui nervo tenet Aemonio
Pennata senex spicula Chiron,
Rupto perdet spicula nervo.
Pigram referens hiemem gelidus
Cadet Aegoceros; frangesque tuam,
Quisquis es, Urnam. tecum excedent
Ultima coeli sidera Pisces.

---

864) *Cadet Aegoceros; frangesque tuam, Quisquis es, urnam)* Sic legendum e verissima correctione Wakefieldi ad Lucretium V. v. 614. pro eo, quod vulgo circumfertur: *Cadet Aegoceros, frangetque tuam, Quisquis es, urnam.* Aquarii enim superioris urnam nullo modo frangere potest Aegoceros inferior. Manilius I. v. 271:

Tum venit angusto Capricornus sidere flexus.
Post hunc inflexam defundit Aquarius urnam.

Hyginus Poëtic. Astronom. XXVII: *Capricornus — suppositus Aquarii manui sinistrae.* Ibid. XXVIII: *Aquarius — manum — sinistram usque ad Capricorni porrigens tergus.*

Monstraque nunquam perfusa mari
Merget condens omnia Gurges.
Et qui medias dividit Ursas,
Fluminis instar, lubricus Anguis:
Magnoque minor juncta Draconi
Frigida duro Cynosura gelu:
Custosque sui tardus plaustri
Jam non stabilis ruet Arctophylax.
Nos e tanto visi populo
Digni, premeret quos everso
Cardine mundus.

---

867) *Monstraque)* Inscite nonnemo *Plaustra* refingit. *Monstra* sunt Arcti, quae sic vocantur ob miraculum versae figurae. Ovidius Met. II. v. 481:

laudataque quondam
Ora Jovi, lato fieri deformia rictu.

872) *duro Cynosura gelu)* *crudo* rescribit Heinsius, de more, quo solet hanc vocem pro *duro* obtrudere. vid. Burmann. ad Val. Flacc. VI. v. 545. Nam et *saevum gelu* Virgilius dixit Aen. IX. v. 604:

saevoque gelu duramus et undis.

*ursae*que *rigor* est apud Valerium Flaccum V. v. 724:

Utque vel immotos Ursae rigor invenit amnes.

877) *Cardine mundus)* Gruterus haec per modum interrogationis proferenda esse censet. Sed confirmat vulgarem interpunctionem, qui Senecam ob oculos habuit, Auctor Octaviae v. 392:

Lateque fulgens aetheris magni decus!
Qui si senescit, tantus in caecum chaos
Casurus iterum, nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Coeli ruina.

In nos aetas ultima venit.
O nos dura sorte creatos,
Seu perdidimus solem miseri,
Sive expulimus! Abeant questus.
Discede, timor. Vitae est avidus,
Quisquis non vult, multo secum
Pereunte, mori.

---

882) *Vitae est avidus*) Simile illud Lucani II. v. 289:

Sidera quis mundumque velit spectare cadentem,
Expers ipse metus?

ACTUS QUINTUS.

ATREUS.

Aequalis astris gradior, et cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
Dimitto superos: summa votorum attigi.
Bene est; abunde est; jam sat est etiam mihi.
Sed cur satis sit? pergam, et implebo patrem
Funere suorum: ne quid obstaret pudor,
Dies recessit. perge, dum coelum vacat.
Utinam quidem tenere fugientes Deos
Possem, et coactos trahere, ut ultricem dapem

---

886) *attingens polum*) *Jovem* pars librorum, quod ex interpretatione provenit. De loquendi formula *vertice attingere polum*, et similibus, conf. Mitscherlich. ad Horat. Od. I. 1. 36.

891) *ne quid obstaret pudor, Dies recessit*) Ovidius Amor. I. 6. 60:

Nox et Amor, vinumque nihil moderabile suadent.
Illa pudore vacat.

Omnes viderent! quod sat est, videat pater.
Etiam die nolente discutiam tibi
Tenebras, miseriae sub quibus latitant tuae.
Nimis diu conviva securo jacet
Hilarique vultu. jam satis mensis datum est,
Satisque Baccho. sobrio tanta ad mala
Opus est Thyeste. turba famularis fores
Templi relaxa; festa patefiat domus.
Libet videre, capita natorum intuens
Quos det colores, verba quae primus dolor
Effundat, aut ut spiritu expulso stupens
Corpus rigescat. fructus hic operis mei est.
Miserum videre nolo, sed dum fit miser.
Aperta multa tecta collucent face.
Resupinus ipse purpura atque auro incubat,
Vino gravatum fulciens laeva caput.
Eructat. o me coelitum excelsissimum,
Regumque regem! vota transcendi mea.
Satur est, capaci ducit argento merum.
Ne parce potu, restat etiamnum cruor

---

896) *Etiam die nolente*) Apuleius Met. V. p. 89: *parietes solidati massis aureis splendore proprio coruscant; ut diem suum sibi domus faciat, licet Sole nolente.*

909) *purpura atque auro*) Quod ex Florentino referunt, *purpurae*, correctoris est, non Senecae, qui verbum *incubare* cum Accusativo potius quam Dativo construxisset pro consuetudine poëtarum istius aevi, de qua confer Gronovium ad Phoenis. v. 499. et Heinsium Adversar. p. 44.

Tot hostiarum. veteris hunc Bacchi color
Abscondet. hoc haec mensa claudatur scypho.
Mixtum suorum sanguinem genitor bibat;
Meum bibisset. ecce jam cantus ciet,
Festasque voces, nec satis menti imperat.

THYESTES.

Pectora longis hebetata malis,
Jam sollicitas ponite curas.
Fugiat moeror, fugiatque pavor.
Fugiat trepidi comes exsilii
Tristis egestas, rebusque gravis
Pudor afflictis. magis unde cadas,
Quam quo, refert. magnum, ex alto
Culmine lapsum, stabilem in plano
Figere gressum: magnum, ingenti
Strage malorum pressum, fracti
Pondera regni non inflexa
Cervice pati; nec degenerem
Victumque malis, rectum impositas
Ferre ruinas. sed jam saevi
Nubila fati pelle, ac miseri
Temporis omnes dimitte notas:
Redeant vultus ad laeta boni.
Veterem ex animo mitte Thyesten.
Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Nunquam rebus credere laetis.
Redeat felix Fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.

Quid me revocas, festumque vetas
Celebrare diem? quid flere jubes
Nulla surgens dolor ex causa?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? prohibet, prohibet.
Vernae capiti fluxere rosae;
Pingui madidus crinis amomo
Inter subitos stetit horrores;
Imber vultu nolente cadit.
Venit in medias voces gemitus;
Moeror lacrimas amat assuetas.
Flendi miseris dira cupido est.
Libet infaustos mittere questus.
Libet et Tyrio saturas ostro
Rumpere vestes. ululare libet.
Mittit luctus signa futuri

---

945) *Quis me prohibet*) Ut haec a superioribus dependeant, atque referantur ad dolorem, Heinsius opinatur scribi oportere:

Quid me prohibes flore recenti
Vincire comam? prohibes, prohibes.

Ego vero teneo vulgatam lectionem, a viris doctis optime sic explicatam: Nescio quis dolor, aliquis certe prohibet. Affine est illud ex Herculo Oetaeo v. 833:

Nec causa dirae cladis in medio patet:
Sed causa tamen est.

Ibid.) *flore recenti*) Legitur et *decente*, sed perperam. vid. Heins. ad Ov. Fast. V. v. 123.

957) *Mittit luctus signa*) *Mittit* pro, dat. Sic et in Hippolyto v. 82:

Mens, ante sui praesaga mali.
Instat nautis fera tempestas,
Cum sine vento tranquilla tument.
Quos tibi luctus, quosve tumultus
Fingis demens? credula praesta
Pectora fratri. jam quidquid id est,
Vel sine causa, vel sero times.
Nolo infelix; sed vagus intra
Terror oberrat; subitos fundunt
Oculi fletus, nec causa subest.
Dolor, an metus est? an habet lacrimas
Magna voluptas?

ATREUS, THYESTES.

ATR. Festum diem, germane, consensu pari
Celebremus: hic est, sceptra qui firmet mea,
Solidamque pacis alliget certae fidem.—
THY. Satias dapis me, nec minus Bacchi tenet.

En Diva favet. signum arguti
Misere canes.

968) *an habet lacrimas*) Heinsius malebat: *an amat lacrimas*, vel *alit*, vel *capit.* Verum languent omnia prae *habet*, quod est, continet in se. Petronius Trojae Halosi v. 17:

fletibus manant genae,
Mentisque pavidae gaudium lacrimas habet,
Quas metus abegit.

'Υπερβολὴ γὰρ ἡδονῆς καὶ θρῆνον ποτὲ ἀποτίκτειν φιλεῖ, ut ait Heliodorus Aethiop. X. c. 16.

973) *Satias dapis*) Alii *Saties* legunt. Minus recte vid. Drakenborch. ad Sil. IV. v. 110.

Augere cumulus hic voluptatem potest,
Si cum meis gaudere felici datur.
ATR. Heic esse natos crede in amplexu patris.
Heic sunt: eruntque; nulla pars prolis tuae
Tibi subtrahetur: ora, quae exoptas, dabo,
Totumque turba jam sua implebo patrem.
Satiaberis, ne metue: nunc mixti meis,
Jucunda mensae sacra juvenilis colunt.
Sed accientur. poculum infuso cape
Gentile Baccho. THY. Capio fraternae dapis
Donum. paternis vina libentur Deis,
Tunc hauriantur. Sed quid hoc? nolunt manus
Parere: crescit pondus, et dextram gravat.
Admotus ipsis Bacchus a labris fugit,
Circaque rictus ore decepto effluit.
En, ipsa trepido mensa subsiluit solo.
Vix lucet ignis. ipse quin aether gravis
Inter diem noctemque desertus stupet.
Quid hoc? magis magisque concussi labant
Convexa coeli: spissior densis coit
Caligo tenebris, noxque se in noctem abdidit.
Fugit omne sidus. quidquid est, fratri, precor,
Natisque parcat; omnis in vile hoc caput
Abeat procella. redde jam natos mihi.

---

985) *non vult manus Parere*) Optimus liber: *nolunt manus Parere*, numeri variatione poëtis admodum familiari. vid. Vossium ad Val. Flac. I. v. 9.

994) *noxque se in noctem abdidit*) Gronovius conjicit: *noxque se in noctem addidit*, quod sit, conduplicavit tenebras. Alii *noctem* intelligunt naturali et

ATR. Reddam, et tibi illos nullus eripiet dies.
THY. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?
Quid tremuit intus? sentio impatiens onus,
Meumque gemitu non meo pectus gemit.
Adeste, nati, genitor infelix vocat:
Adeste; visis fugiet hic vobis dolor.
Unde obloquuntur? ATR. Expedi amplexus, pater.
Venere. natos ecquid agnoscis tuos?
THY. Agnosco fratrem. sustines tantum nefas
Gestare, tellus? non ad infernam Styga
Te nosque mergis? rupta et ingenti via
Ad chaos inane regna cum rege abripis?
Non tota ab imo tecta convellens solo
Vertis Mycenas? stare circa Tantalum

---

usitata tenebricosiorem. Rectius. Variata enim imagine dicitur in Agamemnone v. 472:

densa tenebras obruit
Caligo.

1011) *stare circa Tantalum, Avosque nostros, si quis intra Tartara est, Uterque jam debuimus. hinc compagibus Et hinc revulsis huc tuam immani sinu Demitte vallem)* Optimus liber: *stare circa Tantalum Uterque jam debuimus. hinc compagibus Et hinc revulsis, si quid infra Tartara est Avosque nostros, hoc tua immani sinu Demitte valles.* Lege:

stare circa Tantalum
Uterque jam debuimus. hinc compagibus
Et hinc revulsis, si q u i d i n f r a *Tartara est*
Avosque nostros, huc tuam immani sinu
Demitte vallem.

Uterque jam debuimus. hinc compagibus
Et hinc revulsis, si quid infra Tartara est
Avosque nostros, huc tuam immani sinu
Demitte vallem, nosque defossos tege
Acheronte toto: noxiae supra caput
Animae vagentur nostrum, et ardenti freto
Phlegethon arenas igneus tortas agens,

Apud Claudianum II. in Rufin. v. 53. Rhadamantus ad Furias:

vacuo mandate Barathro
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumque Chaos, qua noctis opacae
Fundamenta latent, penitusque immersus anhelet.

Demitte vallem, pro, dehisce. Virgilius Aen. XII. v. 883:

O quae satis alta dehiscat
Terra mihi, manisque deam demittat ad imos?

sinus autem *vallis* est recessus, cavitas, ut et apud Florum I. 17. 7. occurrit.

1018) *arenas igneus tortas*) Raphelengius conjecit *arenas tostas*, quod Gronovio confirmari videbatur ex Silio. XIII. (v. 837):

atque ustas sub gurgite cautes
Egerit, et scopulis pulsat flagrantibus ora.

Sed praecesserunt *igneus* et *ardenti;* quibus quidquid adjeceris igniti, nimium est. *tortas* Mss. consensu; nec errarunt, qui de fluvii vorticibus intellexerunt. Claudianus XXXIII. v. 24:

quos fumantia torquens
Aequora vorticibus Phlegethon perlustrat anhelis.

Hinc a Quinctiliano Declam. X. 8. *multum celebrati curvato igne torrentes* loco Phlegethontis dicuntur.

Exitia supra nostra violentus fluat.
Immota tellus pondus ignavum jaces?
Fugere Superi. ATR. At accipe hos potius libens
Diu expetitos, nulla per fratrem est mora,
Fruere: osculare: divide amplexus tribus.
THY. Hoc foedus? haec est gratia? haec fratris fides?
Sic odia ponis? non peto, incolumes pater
Natos ut habeam: scelere quod salvo dari
Odioque possit, frater hoc fratrem rogo,
Sepelire liceat. redde, quod cernas statim
Uri. nihil te genitor habiturus rogo,
Sed perditurus. ATR. Quidquid e natis tuis
Superest, habebis: quodque non superest, habes.
THY. Utrumne saevis pabulum alitibus jacent?
An belluis servantur? an pascunt feras?
ATR. Epulatus ipse es impia natos dape.
THY. Hoc est Deos quod puduit! hoc egit diem
Aversum in ortus! quas miser voces dabo,
Questusque quos? quae verba sufficient mihi?

1019) *Exitia supra nostra*) pro, nos exitiosos, perniciosos. Quae causa Gronovio fuerit, cur *Exsilia* quam *Exitia* mallet, equidem assequi non possum.

1031) *Superest, habebis*) id est, retinebis, non amittes. conf. v. 1021.

Ibid.) *quodque non superest, habes*) Sumsit ab Ovidio, apud quem Met. VI. v. 655. Procne,

Intus habes, quod poscis, ait.

Abscissa cerno capita, et avulsas manus,
Et rupta fractis cruribus vestigia.
Hoc est, quod avidus capere non potuit pater.
Volvuntur intus viscera, et clausum nefas
Sine exitu luctatur, et quaerit viam.
Da, frater, ensem, sanguinis multum mei
Habet ille. ferro liberis demus fugam.
Negatur ensis? pectora illiso sonent
Contusa planctu. sustine, infelix, manum;
Parcamus umbris. tale quis vidit nefas?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans? quisve Cecropiis metus
Terris Procrustes? genitor en natos premo,
Premorque natis. sceleris est aliquis modus?
ATR. Sceleri modus debetur, ubi facias scelus,
Non ubi reponas. hoc quoque exiguum est mihi.
Ex vulnere ipso sanguinem calidum in tua
Defundere ora debui, ut viventium

1040) *capere non potuit pater)* Gronovius „forte“ inquit, „*potui*. Ipse enim loquitur.“ Sed insolitum non est, ut de se loquentes tertia persona utantur. Exempla suppeditat Burmannus ad Lucan. VII. v. 232.

1046) *Concussa planctu)* Florentinus, Eguianus, aliique duo cum editione principe *Contusa*, quod bonis rationibus confirmat Heinsius ad Claudian. XV. v. 135.

1053) *ubi reponas)* hoc est, rependas. Idem de Ira I. 3: *iram esse cupiditatem doloris reponendi.* et II. 28: *Cogitemus, alios non facere injuriam, sed reponere.*

1055) *Diffundere ora debui)* Praestat, quod ex Florentino codice notavit Heinsius ad Ov. Heroid. VIII. v. 61.

Biberes cruorem. verba sunt irae data;
Dum propero, ferro vulnera impresso dedi.
Cecidi ad aras, caede votiva focos
Placavi: et artus, corpora exanima amputans,
In parva carpsi frusta: et haec ferventibus
Demersi ahenis: illa lentis ignibus
Stillare jussi. membra, nervosque abscidi
Viventibus: gracilique trajectas veru
Mugire fibras vidi, et aggessi manu
Mea ipse flammas. omnia haec melius pater
Fecisse potuit. cecidit incassum dolor.
Scidit ore natos impio, sed nesciens,
Sed nescientes. THY. Clusa litoribus vagis
Audite maria. vos quoque audite hoc scelus,
Quocunque, Dii, fugistis. audite, Inferi.

Defundere. Nam diffusus cruor aegre bibitur. Discrimina horum verborum constituit Wakefieldus ad Lucret. IV. v. 88.

1059) *corpore exanimo amputans)* Meliores et numero plures codices exhibent: *corpora exanima amputans*, id est, circumcidens, ut supra v. 763:

Denudat artus durus, atque ossa amputat.

ubi vide.

1063) *Viventibus*) id est, palpitantibus. conf. supr. v. 755.

1064) *Mugire fibras vidi*) hoc est, sensi. Terentius Eunuch. III. 2. 1:

Audire vocem visa sum modo militis.

ubi confer Donatum.

1070) *Quocunque, Dii, fugistis*) ut supra v. 1021:

Fugere superi.

Audite, Terrae. Noxque Tartarea gravis
Et atra nube, vocibus nostris vaca.
Tibi sum relictus. sola tu miserum vides,
Tu quoque sine astris. vota non faciam improba
Pro me nihil precabor. ecquid jam potest
Pro me esse? vobis vota prospicient mea.
Tu, summe coeli rector, aetheriae potens
Dominator aulae, nubibus totum horridis
Convolve mundum, bella ventorum undique
Committe; et omni parte violentum intona:
Manuque, non qua tecta et immeritas domos
Telo petis minore, sed qua montium
Tergemina moles cecidit, et qui montibus
Stabant pares gigantes, haec arma expedi,
Ignesque torque. vindica amissum diem.

1081) *qua tecta et immeritas domos Telo petis*) Gronovio visum ita rescribere: *non quae tecta et immeritas domos Telo petit minore.* Sed nihil opus est mutatione; nec ipse multum conjecturae tribuit, cum soleant duos istiusmodi diversos ablativos adhibere veteres, ut Ovidius Met. XIII. v. 216:

Ecce Jovis monitu, deceptus imagine somni.

ubi Burmannum vide. Locum hunc vero Seneca transtulit ab Lucretio, II. v. 1103:

et, in deserta recedens
Saeviat, exercens telum; quod saepe nocenteis
Praeterit, exanimatque indignos, inque merenteis.

1084) *haec arma expedi*) *haec* opponuntur *telo minori* v. 1082. *expedi,* emitte, jace.

Jaculare flammas; lumen ereptum polo
Fulminibus exple. causa, ne dubites diu,
Utriusque mala sit: si minus, mala sit mea.
Me pete. trisulco flammeam telo facem
Per pectus hoc transmitte. si natos pater
Humare, et igni tradere extremo volo,
Ego sum cremandus. si nihil superos movet,
Nullumque telis impios numen petit;
Aeterna nox permaneat, et tenebris tegat
Immensa longis scelera. nil, Titan, queror,
Si perseveras. ATR. Nunc meas laudo manus,
Nunc parta vera est palma. perdideram scelus,

1086) *lumen ereptum polo)* Editio Veneta anni 1522. habet *exemptum*, hoc est, ademtum. Sed melius *ereptum* de re tam subita dicitur. Chorus, ad prodigiosum illum solis defectum stupens v. 793:

quo vertis iter,
Medioque diem perdis Olympo?
Cur, Phoebe, tuos rapis aspectus?

1095) *tenebris tegat Immensa longis)* Heinsius conjicit: *tenebris immersa scelera*, quod frigidiusculum videtur. *immensa* sunt modum excedentia. Supr. v. 1051:

sceleris est aliquis modus?

1097) *perdideram scelus)* hoc est, frustra admisissem tantum scelus. Idem Consolat. ad Helv. 3: *perdidisti enim tot mala, si nondum misera esse didicisti.* et de Ira III. 23: *Timagenes historiarum scriptor quaedam in ipsum, quaedam in uxorem ejus et in totam domum dixerat, nec perdiderat dicta.*

Nisi sic doleres. liberos nasci mihi
Nunc credo, castis nunc fidem reddi toris.
THY. Quid liberi meruere? ATR. Quod fuerant tui.
THY. Natos parenti? ATR. Fateor, et, quod me juvat,
Certos. THY. Piorum praesides testor Deos.
ATR. Quin conjugales. THY. Scelere quis pensat scelus?
ATR. Scio, quid queraris. scelere praerepto doles:
Nec, quod nefandas hauseris, angit, dapes:
Quod non pararis. fuerat hic animus tibi
Instruere similes inscio fratri cibos,
Et adjuvante liberos matre aggredi,

1103) *Quid conjugales*) Pro *Quid* edidi *Quin*, ex Heinsii Gronoviique judicio. Quin tu Deos conjugales obtestaris, quos nequiter violasti; acerbae exprobrationis est.

1104) *scelere praerepto doles*) *praerepto* acrius, quam quod Heinsio placuit, *praecepto*. Tacitus Ann. XIII. 9: *querento Ummidio, praerepta, quae suis consiliis patravisset.* Idem Hist. I. 35: *ruere intus, ac se Galbae ostentare, praereptam sibi ultionem querentes.*

1105) *Nec, quod nefandas hauseris, tangit, dapes*) Efficacius liber optimus,

Nec, quod nefandas hauseris, angit, dapes.

tangit a metro metuentibus ortum est. Sed in *hauseris* et similibus ultimam syllabam communem esse, docuit Heinsius ad Ov. Heroid. VII. v. 53.

Similique leto sternere. hoc unum obstitit,
Tuos putasti. THY. Vindices aderunt Dei:
His puniendum vota te tradunt mea.
ATR. Te puniendum liberis trado tuis.

1112) *Te puniendum*) Refer ad curam et angorem ex dapibus nefandis.

PHOENISSAE.

DRAMATIS PERSONAE.

OEDIPUS.
ANTIGONE.
NUNTIUS.
JOCASTA.
POLYNICES.

ACTUS PRIMUS.

OEDIPUS, ANTIGONE.

OEDIP. Coeci parentis regimen, ac fessi unicum
Lateris levamen, nata, quam tanti est mihi
Genuisse vel sic, desere infaustum patrem.
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi. melius inveniam viam,
Quam quaero solus, quae me ab hac vita extrahat,

---

1) *Coeci parentis regimen*) Hoc suum fecit Statius Theb. IV. v. 536. ubi Tiresias ad Mantum:

o nostrae regimen viresque senectae.

2) *fessi unicum Patris levamen*) Quam pulcre *coecus parens* et *fessus pater,* quasi diversi essent, in tanta vicinia appellantur? Merito fassus est Florens Christianus, hanc repetitionem sibi non placere. Aliis elegans videtur, et impingere in limine, quibus haec culpata. Fruantur judicio suo. Sed scripsit auctor: *et fessi unicum Lateris levamen.* Sic apud Sophoclem idem Oedipus ἐπὶ Κολωνῷ ad filiam (v. 1112):

ἐρείσατ', ὦ παῖ, πλευρὸν ἀμφιδέξιον.

Gronovius.

Et hoc nefandi capitis aspectu levet
Coelum atque terras. quantulum hac egi manu?
Non video noxae conscium nostrae diem:
Sed videor. hinc jam solve inhaerentem manum,
Et patere coecum, qua volet, ferri pedem.
Ibo, ibo, qua praerupta protendit juga
Meus Cithaeron; qua peragrato celer
Per saxa monte jacuit Actaeon, suis
Nova praeda canibus; qua per obscurum nemus,
Silvamque opacae vallis instinctas Deo
Egit sorores mater, et gaudens malo,
Vibrante fixum praetulit thyrso caput;
Vel qua cucurrit corpus invisum trahens
Zethi juvencus, qua per horrentes rubos
Tauro ferocis sanguis ostentat fugas;
Vel qua alta maria vertice immenso premit

Reposui scripturam concinniorem, et Valckenario ad Eurip. Phoenis. v. 88. probatam. Statius Theb. XI. v. 586. de eadem:

Virgo autem impositae sustentat pondera laevae.

10) *hinc jam solve*) id est, a meo corpore, ut loquitur Antigone v. 51:

Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum
Corpore resolvet.

17) *gaudens malo, Vibrante fixum*) Speciosior quam verior Heinsii conjectura: *gaudens mali;* cum duos ablativos jungi non sit novum. Diximus ad Thyest. v. 1081:

Manuque, non qua tecta et immeritas domos
Telo petis minore.

ubi vide.

Inoa rupes, qua scelus fugiens sui,
Novumque faciens, mater insiluit freto
Mersura natum, seque. felices, quibus
Fortuna melior tam bonas matres dedit!
Est alius istis noster in silvis locus,
Qui me reposcit; hunc petam cursu incito:
Non haesitabit gressus, huc omni duce
Spoliatus ibo. quid moror sedes meas?
Montem, Cithaeron, redde, et hospitium mihi
Illud meum restitue, ut exspirem senex,

---

23) *qua scelus fugiens suum*) Omnino legendum: *scelus fugiens viri.* Nam cum is Learchum per furorem interfecisset, jamque Melicertae immineret, eripuit eam mater fuga Athamanti. In Vossiano erat: *fugiens sui.* Gronovius.

Probo, quod habet Vossianus: *qua scelus fugiens sui*, hoc est, viri, mariti. Ovidius Remed. Amor. v. 492:

Frigidior glacie fac videare tuae.

Silius VIII. v. 122:

Terque suam Dido, ter cum clamore vocarat.

Utroque loco Criticos vide. Fabula vero narrata est ab Ovidio Met. IV. v. 509. seq.

31) *Mortem, Cithaeron, redde*) Sic e Florentino introductum est. Heinsius ad Silium XIV. v. 630. emendat: *Sortem, Cithaeron, redde*, et explicat: Redde mihi, Cithaeron, veterem fortunam, quam in monte tuo expositus exegi. Sed vera scriptura est veterum editionum: *Montem, Cithaeron, redde.* Nam id hospitium illius fuerat infantis. Ante oculos autem habet Seneca locum Sophoclis ex Oedipo Tyranno v. 1451. ubi sic ait idem Oedipus:

Ubi debui infans. recipe supplicium vetus
Semper cruente, saeve, crudelis, ferox,
Cum occidis, et cum parcis. olim jam tuum
Est hoc cadaver. perage mandatum patris,
Jam et matris. animus gestit antiqua exsequi
Supplicia. quid me, nata, pestifero tenes
Amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.
Sequor, sequor. jam parce. sanguineum gerens
Insigne regni Laïus rapti furit.
Et ecce inanes manibus infestis petit

ἀλλ' ἐᾶ με ναίειν ὄρεσιν, ἔνθα κλῄζεται
οὑμὸς Κιθαιρὼν οὗτος, ὃν μήτηρ τ' ἐμοὶ
πατήρ τ' ἐθέσθην ζῶντι, κύριον τάφον,
ἵν' ἐξ ἐκείνων, οἵ μ' ἀπωλλύτην, θάνω.

Nec mutasset Gronovius, si meminisset similiter locutos Papinium Theb. I. v. 331:

qua molle sedens in plana Cithaeron
Porrigitur, lassumque inclinat ad aequora montem.

et Priscianum Perieges. v. 74:

Coeliferasque tenet stans Atlas monte *columnas.*

De hac Prosopopoeia conferatur Burmannus ad Lucan. II. v. 403.

40) *sanguineum gerens*) Heinsius legit: *sanguineum ingerens Insigne regni,* et interpretatur: intentans in ora atque ita exprobrans sibi a me ereptum. Quasi vero nihil, aut non vehementer satis exprobret, cum furit. Diadematum vindicat Statius Theb. I. v. 82. ubi Oedipus ad Tisiphonem:

Indue quod madidum tabo diadema cruentis
Unguibus arripui.

Foditque vultus. nata, genitorem vides?
Ego video. tandem spiritum inimicum exspue,
Desertor anime, fortis in partem tui:
Omitte poenas languidas longae morae,

---

43) *genitorem vides? Ego video)* Imitatur Aeschylum Choephor. v. 1058. ubi Orestes, Furiis conspectis, ad Chorum:

ὑμεῖς μὲν οὐχ ὁρᾶτε τάσδ᾽, ἐγὼ δ᾽ ὁρῶ.

45) *Desertor animi)* Restitue omnium impressorum olim et scriptorum *Desertor anime,* hoc est, qui deficis ad audendum, ut recte interpretatur Heinsius, laudato, tanquam ejus contrario, quod infra v. 154. habemus:

dextra noster et nuda solet
Bene animus uti.

Sic *animus contemtor, animus victor, animus liberator,* et similia, de quibus egregie Bentleius ad Horat. Od. IV. 9. 39. Defendit etiam hanc scripturam Burmannus ad T. I. Anthol. Lat. p. 80. Ad sententiam versuum proxime accedunt illa Luciani Tyrannicid. cap. extr. *καὶ ταῦθ᾽ ἅμα λέγων, ἐπῆγε τὴν σφαγὴν, τρέμων, οὐ δυνάμενος, ἐπιθυμῶν μὲν, ἀσθενῶν δὲ πρὸς τὴν ὑπηρεσίαν τοῦ τολμήματος.* et Heliodori Aethiopic. IV. c. 21. *εἶδες ἂν καὶ πρεσβύτου πρὸς τὸ γῆρας μάχην, καὶ ὥσπερ ἕλκουσαν τὸ σῶμα τὴν διάνοιαν, καὶ ὀνειδιζομένην τὴν ἀσθένειαν ὑπὸ τῆς προθυμίας.*

46) *poenas languidas longae morae)* „Putabam," inquit Heinsius, „uti ex parte Grotius:

„Remitte poenae languidas longae moras."

Sed vulgata bene habet. *poenae languidae* sunt molles, indignae viro. Cicero de Orat. I. 52: *quis hoc philosophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis, dolorem-*

Mortemque totam recipe. quid segnis traho,
Quod vivo? nullum facere jam possum scelus.
Possum miser. praedico, discede a patre;
Discede, virgo. timeo post matrem omnia.

---

que referens, probare posset? Idem Tusc. Disp. V. 9: *Vexatur idem Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam:*

Vitam regit fortuna, non sapientia.

Negant ab ullo philosopho quidquam dictum esse languidius. Mollem poenam dixerat Ovidius Trist. V. 11. 10:

Mollior est culpam poena secuta meam.

47) *Mortemque totam recipe)* Aliquot codices *admitte*, quod est glossema.

48) *quid segnis traho? Quid vivo?)* Scribe una litera et distinctione mutata: *quid segnis traho, quod vivo?* hoc est, quam partem aut illud quatenus vivo. Quid, parte mei praemortua, reliquam partem vivam segnis traho? Sic infra (v. 113.):

et in cineres dabo
Hoc quidquid in me vivit.

Et infra (v. 170.):

Nec me redemi parte, membratim tibi
Volui perire.

Eodem sensu placuerat Nic. Heinsio: *Quo vivo.* Gronovius.

Recepi correctionem Gronovii. Sic Plautus dixit Merc. III. 2. 11:

Demum igitur, cum senex sis, tunc in otium
Te colloces, dum potestur: id jam lucro est
Quod vivis.

Et similiter Persius V. v. 152:

ANT. Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum
Corpore resolvet. nemo me comitem tibi
Eripiet unquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant;
Pars summa magni patris e regno mea est

Indulge genio, carpamus dulcia; nostrum est
Quod vivis; cinis et manes et fabula fies.

Eandem vero sententiam pluribus versibus explicat Lucretius III. v. 408:

manet in vita, quoi mens animusque remansit,
Quamvis est curtum caesis, lacer undique membris:
Truncus, adempta anima, circum, membrisque remotus,
Vivit, et aetherias vitaleis subscipit auras;
Si non omnimodis, at magna parte animaï,
Privatus, tamen in vita contatur et haeret.

55) *Pars summa magni patris e regno mea est)* Sic Florentinus. Alii, *Pars magna patris optimo e regno mea est.* Sed aut fallor vehementer, aut voluerat Annaeus,

Pars magna opimo patris e regno mea est
Pater ipse.

Opulenta regna Thebana nuncupat. Et sane Thebanum solum fertile in primis habitum, Atticum sterilius. Hercule Furente v. 332:

Urbis regens opulenta Thebanae loca,
Et omne quidquid uberi cingit solo
Obliqua Phocis.

Infra Phoenissis v. 130:

qui Boeotios
Colonus agros uberis tondes soli.

Oedipo v. 845:

Pater ipse. non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui regno tenet;
Non hunc catervas alter Argolicas agens.
Non si revulso Jupiter mundo tonet,
Mediumque nostros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam. prohibeas, genitor, licet;

Laetus Cithaeron pabulo semper novo.
Heinsius.

Ego recepta lectione standum censeo. *summa pars* est major, ut loquitur Nat. Quaest. VII. 30: *Deus majorque est pars operis sui et melior. magni patris* firmator Statius Theb. XII. v. 260:

Oedipodis magni venio nurus.

Magnus vocatur a victa Sphinge. Euripides Phoenis. v. 1682. ex Antigones persona:

ὁ δ' Οἰδίπους ποῦ, καὶ τὰ κλεῖν' αἰνίγματα;

ibidem v. 1720. Oedipodes:

ὅδ' εἰμὶ, μοῦσαν ὃς ἐπὶ
καλλίνικόν τ' οὐράνιόν τ' ἔβαν,
παρθένου κόρας αἴνιγμ' ἀσύνετον εὑρών.

Colorem vero duxit Annaeus ex his Oedipi verbis apud Sophoclem Oed. Colon. v. 448:

τὼ δ' ἀντὶ τοῦ φύσαντος εἱλέσθην θρόνους
καὶ σκῆπτρα κραίνειν, καὶ τυραννεύειν χθονός.

57) *Thebana rapto)* Gronovius malit: *Thebana rapto regna qui sceptro tenet*, ingratiis poëtae, qui aurium causa voces invertit.

58) *Non hunc)* Actuose dicit *hunc*, id est, tantum et talem. Supra v. 55:

Pars summa magni patris e regno mea est
Pater ipse.

Quare cave audias rescribentem Heinsium:

Non hic catervas frater Argolicas agens.

Regam abnuentem, dirigam inviti gradum.
In plana tendis? vado. praerupta appetis?
Non obsto, sed praecedo. quovis utere
Duce me: duobus omnis eligitur via.

---

62) *Regam abnuentem*) *Regam* et *dirigam* non asperius, meo quidem judicio, concurrunt, quam *recedit* et *cessit* in Herc. Oet. v. 307:

Quid hoc? recedit animus, et ponit minas.
Jam cessit ira.

Sin tua secus est sententia, lege, quod saepe cum altero permutari docet Burmannus ad T. I. Anthol. Lat. p. 685. *Tegam*, id est, comitabor. Virgilius Aen. XI. v. 12:

omnis eum stipata tegebat
Turba ducum.

Statius V. Silv. I. 26:

licet ipse levandos
Ad gemitus silvis comitatus et amnibus Orpheus
Afforet, atque omnis pariter matertera vatem,
Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos.

Idem Thebaid. II. v. 219:

Hunc tegit Iasiusque senex, placidusque Phoroneus.

Notum et illud Horatii Serm. II. 5. 18:

Utne tegam spurco Damae latus?

abnuentem, qui me comitem abnuis, quomodo loquitur Silius III. v. 110. Promisso *dirigam inviti gradum* utitur Oedipus, cum dicit infr. v. 120:

dirige huc gressus pedum.

63) *praerupta expetis*) Florentinus *appetis*, quod caecam caeci temeritatem magis exprimit. Inter *appetere* et *expetere* quid distet, vide Ernest. Lat. Synonym. P. I. p. 98.

65) *duobus omnis eligitur via*) Heinsius conjecit *eligitor*. Sed *eligitur* positum videtur pro, eligetur. Ita apud Terentium Phorm. III. 2. 47:

Perire sine me non potes; mecum potes.
Heis alta rupes arduo surgit jugo,
Spectatque longe spatia subjecti maris.
Vis hanc petamus? nudus heic pendet silex;
Heic scissa tellus faucibus ruptis hiat.
Vis hanc petamus? heic rapax torrens cadit,
Partesque lapsi montis exesas rotat.
In hunc ruamus. dum prior, quo vis, eo;
Non deprecor, non hortor. exstingui cupis,
Votumque, genitor, maximum mors est tibi?
Si moreris, antecedo; si vivis, sequor.

---

cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit.

pro, daturum esse. Et Horatium Epist. I. 5. 9:

cras nato Caesare festus
Dat veniam somnumque dies.

pro, dabit. Pluribus hanc Praesentis vim illustrarunt Drakenborch. ad Liv. III. 56. et Hoogeveen. ad Viger. de Graec. Dict. Idiotism. p. 207.

72) *lapsi montis*) Codices quidam *lassi montis*, probante Heinsio T. IV. Syllog. Epist. 73. Sed editiones bene se habent. *lapsus* enim dicitur pro lapsurus, casurus. Eodem sensu verbum adfuit Herc. fur. v. 1250:

unicum lapsae domus
Firmamen.

ubi vide nos, et Gronov. Diatrib. in Stat. Silv. c. 38. Eandem rem noster aliis etiam modis extulit. Quaest. Nat. III. 27: *devolutus torrens altissimis montibus rapit silvas male haerentes, et saxa resolutis remissa compagibus rotat.* Et ibidem post nonnulla: *Danubius juga ipsa sollicitat, ferens secum madefacta montium latera.*

Sed flecte mentem; pectus antiquum advoca;
Victasque magno robore aerumnas doma.
Resiste, tantis in malis vinci mori est.
OEDIP. Unde in nefanda specimen egregium domo?
Unde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis? aliquis est ex me pius?
Non esset unquam (fata bene novi mea)
Nisi ut noceret. Ipsa se in leges novas
Natura vertet; regeret in fontem citas
Revolutus undas amnis; et noctem afferet
Phoebea lampas; Hesperus faciet diem.
Ut ad miserias aliquid accedat meas,
Pii quoque erimus. unica Oedipodae est salus,
Non esse salvum. liceat ulcisci patrem
Adhuc inultum. dextra quid cessas iners
Exigere poenas? quidquid exactum est adhuc,
Matri dedisti. mitte genitoris manum,
Animosa virgo. funus extendis meum,
Longasque vivi ducis exsequias patris.
Aliquando terra corpus invisum tege.
Peccas honesta mente. pietatem vocas,

---

86) *noctem afferet*) *efferet* legi malit Heinsius. Quasi vero nox ostendi, tenebraeve cerni possent.

90) *Non esse salvum*) Heinsius ad Ov. Her. XIV. v. 64. *salvo* malebat. Sed inter *salus* et *non esse salvum* vel perire luculentior est oppositio. Plutarchus de Virt. Mor. VI. e Poëta:

ἔα μ' ἀπολέσθαι· τοῦτο γάρ μοι συμφέρει.

Apuleius Met. IV. p. 64: *Talibus fatis implicitus, etiam ipsam Salutem recusans.*

Patrem insepultum trahere. qui cogit mori
Nolentem, in aequo est, quique properantem impedit.
Occidere est, vetare cupientem mori.
Nec tamen in aequo est. alterum gravius reor.
Malo imperari, quam eripi mortem mihi.
Desiste coepto, virgo. jus vitae ac necis
Meae penes me est. regna deserui libens,
Regnum mei retineo. si fida es comes,
Ensem parenti trade; sed notum nece
Ensem paterna. tradis? an nati tenent
Cum regno et illum? faciet, ubicunque est, opus.
Ibi sit. relinquo. natus hunc habeat meus,
Sed uterque. flammas potius et vastum aggerem
Compone. in altos ipse me immittam rogos.
Erectam ad ignes funebrem escendam struem,

---

108) *faciet, ubicunque est, opus)* id est, quod ejus est, quod facere eum decet, oportet. Lucanus VI. v. 187:

mucro
Perdidit *ensis* *opus*, *frangit sine vulnere membra*,

et VIII. v. 345:

Extremum *ferri* *superest* *opus*, *unaque gentes*
Hora trahit.

Ovidius Met. I. v. 469:

Eque sagittifera promsit duo *tela* *pharetra*
Diversorum *operum*. *fugat hoc*, *facit illud amorem*.

et ibid. XII. v. 112:

opusque meae bis sensit Telephus *hastae*.

112) *Erectam ad ignes funebrem escendam struem)* Florentinus: *Haerebo ad ignes. funebrem escendam*

Pectusque solvam durum, et in cineres dabo
Hoc quidquid in me vivit. ubi saevum est mare?
Duc, ubi sit altis prorutum saxis jugum,
Ubi curva rapidus ducat Ismenos vada:
Duc, ubi ferae sint, ubi fretum, ubi praeceps locus,
Si dux es: illuc ire morituro placet,
Ubi sedit alta rupe semifero dolos
Sphinx ore nectens. dirige huc gressus pedum,

---

struem. Turbabat hic praepositio. *ad* finem notat; *ignes* autem rogos, quibus destinata strues. Tacitus Germ. 27. *struem rogi* dixit. *Struem* absolute pro rogo poni, non memini. *escendam*, enitar.

116) *Ubi torta rapidus*) Omnes libri, praeter unum, exhibent, *torva.* Unus ille Vossianus habet, *corva.* Haud dubius lege:

Ubi curva rapidus ducat Ismenos vada.

Ovidius Fast. III. v. 520:

Quem Thybris curvis in latus urguet aquis.

Martialis IX. 91. 3:

Qua gemmantibus hinc et inde rivis
Curva calculus excitatur unda.

καμπύλον ὕδωρ Nonnus dixit p. 1024. v. 28. Inprimis tamen haec emendatio confirmatur Horatii verbis Od. II. 3. 11:

obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.

quibus ex asse respondent nostri, *curva rapidus,* id est, celer, ut Ismenos audit Ovidio Met. II. v. 244.

Ibid.) *ducat Ismenos vada*) Heinsius conjicit: *sulcat Ismenos vada,* sine idonea causa. Infr. v. 604:

trahens opulenta Pactolus vada.

Heic siste patrem. dira ne sedes vacet,
Monstrum repone majus. hoc saxum insidens
Obscura nostrae verba fortunae loquar,
Quae nemo solvat. quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, et Cadmi nemus
Serpente notum, sacra quo Dirce latet,
Supplex adoras, quisquis Eurotam bibis,
Spartenque fratre nobilem gemino colis,
Quique Elin et Parnason, et Boeotios
Colonus agros uberis tondes soli;
Adverte mentem: saeva Thebarum lues
Luctifica caecis verba committens modis,
Quid simile posuit? quid tam inextricabile?
Avi gener, patrisque rivalis sui,
Frater suorum liberûm, et fratrum parens;
Uno avia partu liberos peperit viro,
Sibi et nepotes. monstra quis tanta explicet?
Ego ipse, victae spolia qui Sphingis tuli,
Haerebo, fati tardus interpres mei.

---

134) *patrisque rivalis sui*) Ob oculos Annaeo haud dubie fuit illud Sophoclis Oed. Tyr. v. 460:

ἀδελφὸς αὐτὸς καὶ πατὴρ, κἀξ ἧς ἔφυ
γυναικὸς υἱὸς καὶ πόσις, καὶ τοῦ πατρὸς
ὁμόσπορός τε καὶ φονεύς.

137) *Ac sibi nepotes*) *At sibi nepotes* tentavit Burmannus ad T. II. Anthol. Lat. p. 16. Sed verum est in Florentino: *Sibi et nepotes*, id est, sibi etiam nepotes, non tantum liberos, ut quos aeque sibi ac viro peperisset.

139) *Haerebo fati*) Nihil opus est Heinsii conjecturis, *En haereo* vel *Haereone*. Futurum enim ponitur loco Praesentis, ut apud Horatium Epist. I. 18:

Quid perdis ultra verba? quid pectus ferum
Mollire tentas precibus? hoc animo sedet,
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, et tenebras petere. nam sceleri haec meo
Parum alta nox est. Tartaro condi juvat,
Et si quid ultra Tartarum est. tandem libet,
Quod olim oportet. morte prohiberi haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapso vias
Cludes? et arctis colla laqueis inseri
Prohibebis? herbas, quae ferunt letum, auferes?

Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.

147) *noxias lapso vias cludes*) Heinsius conjiciebat: *sat lapsuro invia cludes*, quia post lapsum Oedipi sero intercluderentur viae. Sed nihil mutari necesse est, si *lapso* eo sensu accipias, ut supra v. 72. vidimus:

heic rapax torrens cadit,
Partesque lapsi montis exesas rotat.

et Herc. fur. v. 1250:

unicum lapsae domus
Firmamen.

149) *quae ferunt letum*) Heinsius ad Ov. Rem. Am. v. 17. scribi vult *ferant*, quod non est necesse. Latini enim, sicut Graeci, crebro indicativum pro subjunctivo usurpant. Noster infra v. 600. simili constructione:

multa, quae possunt peti
In orbe toto, quaelibet tellus dabit.

Lucanus I. v. 126:

quis justius induit arma,
Scire nefas.

ubi vide Burmannum, et Hoogeveenum ad Viger. de Graec. Dict. Idiotismis p. 192.

Quid ista tandem cura perficiet tua?
Ubique mors est. optime hoc cavit Deus.
Eripere vitam nemo non homini potest;
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.
Nil quaero. dextra noster et nuda solet
Bene animus uti. dextra nunc toto impetu,
Toto dolore, viribus totis veni.
Non destino unum vulneri nostro locum.
Totus nocens sum. qua voles, mortem exige.
Effringe corpus; corque tot scelerum capax
Evelle; totos viscerum nuda sinus.
Fractum incitatis ictibus guttur sonet;
Laceraevae fixis unguibus venae fluant.
Aut dirige iras, quo soles. haec vulnera
Rescissa multo sanguine ac tabe irriga.

---

150) *Quid ista tandem cura perficiet tua*) Pars codicum *proficiet*, solenni errore. *perficiet* pro efficiet ponitur, ut apud Tacitum Hist. III. 60: *victoriam consiliis et ratione p e r f i c i.* ubi vide criticos.

153) *nemo mortem*) Ipse Deus apud Senecam de Provid. 6: *Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos. patet exitus. Si pugnare non vultis, licet fugere. Ideoque ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius, quam mori.*

157) *Non destino*) Heinsio scribendum videtur *destina.* Verum *destinare* Oedipum decet, non dextram, alieni propositi ministram et famulam.

159) *Effringe corpus*) δεινῶς pro, pectus, totum pro parte, ut saepe. Monendum hoc erat Heinsii causa, qui minus considerate scribebat: *Effringe costas.*

164) *sanguine ac tabe irriga*) Heinsius malebat *tabo.* Pa-

Hac extrahe animam, duram, inexpugnabilem.
Et tu, parens, ubicunque poenarum arbiter
Adstas mearum (non ego hoc tantum scelus
Ulla expiari credidi poena satis
Unquam, nec ista morte contentus fui,

---

rum interesse puto. Statius de Tydeo, artus Menalippi dilacerante, Thebaid. VIII. v. 761:

illum effracti perfusum tabe cerebri
Aspicit, et vivo scelerantem sanguine fauces.

et iterum IX. v. 19:

Ore tenens hostile caput, dulcique nefandus
Immoritur tabo.

169) *ista morte contentus*) Sane potest explicari, quia passim de se, ut funere, ut vivo cadavere, ut partim mortuo loquitur. Suspicor tamen scripsisse: *nec ista nocte contentus fui* i. e. caecitate. Supra (v. 144):

nam sceleri haec meo
Parum alta nox est.

Gronovius.

Eadem vis in *morte.* Statius Thebaid. I. v. 47:

Impia jam merita scrutatus lumina dextra,
Merserat aeterna damnatum nocte pudorem
Oedipodes, longaque animam sub morte tenebat.

caecitas enim altera mors. Idem Statius ibid. IV. v. 614:

jacet ille in funere longo
Quem premis, et junctae sentit confinia mortis,
Obsitus exhaustos pedore et sanguine vultus,
Ejectusque die.

XI. v. 582:

At genitor, sceleris comperto fine, profundis
Erepsit tenebris, saevoque e limine profert
Mortem imperfectam.

Nec me redemi parte: membratim tibi
Volui perire) debitum tandem exige:
Nunc solvo poenas; tunc tibi inferias dedi:
Ades, atque inertem dexteram introrsus preme,
Magisque merge. timida tum parvo caput
Libavit haustu, vixque cupientes sequi
Eduxit oculos. haeret etiam nunc mihi
Ille animus, haeret; cum recusantem manum
Pressere vultus. audies verum, Oedipe:
Minus eruisti lumina audacter tua,
Quam praestitisti. nunc manum cerebro indue.
Hac parte mortem perage, qua coepit mori.

---

et v. 696:

an refert, quo funera longa, measque
Transportem tenebras?

170) *membratim tibi volui perire*) Sic etiam loquitur Epist. 101: *Invenitur aliquis, qui malit inter supplicia tabescere, et perire membratim, et toties per stillicidia amittere animam, quam semel exhalare.*

181) *qua coepit mori*) Sic uno consensu scripti. Male Gronovius edidit: *quae coepit mori.* Nam oculi non coepere mori, sed plane atque omnino mortui sunt. Apuleius Met. VIII. p. 161.: *Vivo tibi morientur oculi.* ubi vide Pricaeum. *coepit* autem impersonaliter dictum accipe pro, coeptum est, ut in hoc Nepotis Epaminonda 10: *Idem, postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedaemoniis coepit, in primis stetit.* qua et sensu comprobatur, et loco Maximiani Eleg. I. v. 257:

Vincimur infirmi defectu corporis, et qua
Noluerim, infelix hac ego parte trahor.

ANT. Pauca, o parens magnanime, miserandae precor
Ut verba natae mente placata audias.
Non te ut reducam veteris ad specimen domus,
Habitumque regni flore pollentem inclito,
Peto; ast ut iras, tempore aut ipsa mora
Fractas, remisso pectore ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga. non est, ut putas, virtus, pater,
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.
Qui fata proculcavit, ac vitae bona
Projecit, atque abcidit, et casus suos
Oneravit ipse, cui Deo nullo est opus,
Quare ille mortem cupiat, aut quare petat?
Utrumque timidi est. nemo contemsit mori,
Qui concupivit. cujus haud ultra mala
Exire possunt, in loco tuto est situs.
Quis jam Deorum (velle fac) quidquam potest
Malis tuis adjicere? jam nec tu potes,

---

194) *Projecit, atque abcidit)* Ita praestantiores libri, non *abscidit*. Praeter Gronovium ad h. l. vide Drakenborch. ad Sil. XV. v. 473.

197) *nemo contempsit mori)* Scilicet huic non jam indifferens est mori, quod debebat perfecte sapienti, ut verissime exponit Gesnerus in Thes. L. L. v. *Contemno.* Sententia gemina dixit P. Syrus:

Rebus in adversis facile est contemnere mortem.
Fortius ille facit, qui miser esse potest.

Nisi hoc, ut esse te putes dignum nece.
Non es; nec ulla pectus hoc culpa attigit.
Et hoc magis te, genitor, insontem voca,
Quod innocens es, Diis quoque invitis. quid est
Quod te efferarit; quod novos suffixerit
Stimulos dolori? quid te ad infernas agit
Sedes? quid ex his pellit? ut careas die?
Cares. ut altis nobilem muris domum,
Patriamque fugias? patria tibi vivo periit.
Natos fugis, matremque? ab aspectu omnium
Fortuna te submovit: et quidquid potest
Auferre cuiquam mors, tibi haec vita abstulit.
Regni tumultus, turba fortunae prior.
Abscessit a te jussa. quem, genitor, fugis?
OEDIP. Me fugio; fugio conscium scelerum omnium
Pectus, manumque hanc fugio, et hoc coelum, et Deos:

---

206) *suffixerit stimulos*) Efficacius hoc, quam quod Heinsio placuit, *suffecerit stimulos*. Verbi *suffigere* vim illustravit Barthius ad Script. Venatic. p. 133.

213) *tibi hoc vita abstulit*) Pro *hoc*, quod superfluit, omnino cum Avantio legendum *haec*, id est, talis, tam misera vita. Idem Seneca Epist. 77: *Mori times? quid porro ista vita? non mors est?* Cicero Tusc. Disp. I. §. 75: *Nam haec quidem vita mors est: quam lamentari possem, si liberet.*

214) *Regni tumultus, turba fortunae*) hoc est, gregi aulicorum, cultui regio sponte valedixisti. Tacitus An. XI. 30: *nec domum, servitia, et caeteros fortunae paratus reposcere.* et XV. 52: *creber eo ventitabat Caesar, omissis excubiis, et fortunae suae mole.*

Et dira fugio scelera, quae feci innocens.
Ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres,
Premo? has ego auras ore pestifero traho?
Ego laticis haustu satior? aut ullo fruor
Almae parentis munere? ego castam manum
Nefandus, incestificus, exsecrabilis
Attrecto? ego ullos aure concipio sonos,
Per quos parentis nomen, aut nati audiam?
Utinam quidem rescindere has quirem meas,

---

218) *quae feci innocens*) Lucanus VIII. v. 407:

Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
Oedipodionias infelix fabula Thebas.

221) *Ego laticis haustu*) Gronovius malit cum Raphelengio: *Et laticis haustu.* Sed vide ad Thyest. v. 289.

226) *rescindere has quirem vias*) Non est de nihilo, sed plenum elegantiae, quod in Florentino exhibetur, *has quirem meas*, aures videlicet, quibus admovebat manum haec profatus Oedipus. Et sequentia satis evincunt, quorsum spectet oratio, quae ex gestu actoris plenius intelligenda venit. Sic apud Plautum Mostellaria Act. II. Sc. II. (v. 23.) Theuropides senex, *Pultando pedibus paene confregi hasce ambas*, subintelliguntur fores. Dum enim haec Theuropides eloquitur, digitum intendit in valvas aedium suarum. Ajax apud Nasonem, ense arrepto, XIII. Met. 387:

Et meus hic certe est, an et hunc sibi poscet
Ulixes?
Hoc, ait, utendum est in me mihi.

Heinsius.

Pariter Caligula apud Suetonium in ejus vita c. 49: *Veniam, inquit, et hic mecum, capulum gladii crebro verberans, quo cinctus erat.* Eadem

Manibusque adactis omne, qua voces meant,
Aditusque verbis tramite angusto patet,
Eruere possem, nata: jam sensum tui,
Quae pars meorum es criminum; infelix pater
Fugissem. inhaeret ac recrudescit nefas
Subinde; et aures ingerunt, quidquid mihi
Donastis oculi. cur caput tenebris grave

---

porro figura dicit Plautus Mostel. IV. 2. 72. in persona Phanisci:

Heus vos, ecquis hasce aperit.

intellige, fores. Et apud Phaedrum I. 1. 6. Lupus:

Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Istam bibenti?

aquam scilicet. Itidem Senecae Troasin v. 707. Andromacha:

Hic est, hic est terror, Ulysse,
Mille carinis.

hic, puerum ostendens, dicit. Nihil igitur ea lectione verius esse potest. *vias* hic inculcatum ex illo Lucretii II. v. 406:

Propterea que solere vias rescindere nostris
Sensibus.

In his autem optandis ante oculos erat Sophocles Oed. Tyr. v. 1386:

ἀλλ᾽ εἰ τῆς ἀκουούσης ἔτ᾽ ἦν
πηγῆς δι᾽ ὤτων φραγμὸς, οὐκ ἂν ἐσχόμην
τὸ μὴ ᾽ποκλεῖσαι τοὐμὸν ἄθλιον δέμας,
ἵν᾽ ἦν τυφλός τε καὶ κλύων μηδέν· τὸ γὰρ
τὴν φροντίδ᾽ ἔξω τῶν κακῶν οἰκεῖν γλυκύ.

233) *quidquid mihi Donastis oculi*) Hoc est, cujus mihi gratiam fecistis. Praeter Gronovium ad h. l. vide Heinsium ad Ov. Art. Am. III. v. 85.

Non mitto ad umbras Ditis aeternas? quid heic
Manes meos detineo? quid terram gravo?
Mixtusque superis erro? quid restat mali?
Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingenii sollertis eximium decus
Periere. cuncta sors mihi infesta abstulit.
Lacrimae supererant. has quoque eripuit mihi.
Absiste. nullas animus admittit preces,
Novamque poenam sceleribus quaerit parem.
Et esse par quae poterit? infanti quoque
Decreta mors est. fata quis tam tristia
Sortitus unquam? videram nondum diem,
Uterique nondum solveram clusi moras;
Et jam timebar. protinus quosdam editos
Nox occupavit, et novae luci abstulit.
Mors me antecessit. aliquis intra viscera
Materna letum praecoquis fati tulit:
Sed numquid et peccavit? abstrusum, abditum,
Dubiumque an essem, sceleris infandi reum
Deus egit. illo teste damnavit parens,
Calidoque teneros transuit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum misit feris,
Avibusque saevis, quas Cithaeron noxius
Cruore saepe regio tinctas alit.
Sed quem Deus damnavit, abjecit pater,

257) *tinctas alit)* Turba librorum *attractas*, ex quo scribebat Heinsius, *instinctas agit*, minime probabili conjectura. *cruore tingere* frequens est apud poëtas, ut ostendit Burmannus ad Ov. Trist. IV. 2. 5.

Mors quoque refugit. praestiti Delphis fidem.
Genitorem adortus impia stravi nece.
Hoc alia pietas redimet. occidi patrem,
Sed matrem amavi. proloqui hymenaeum pudet,
Taedasque nostras. has quoque invitum pati
Te coge poenas. facinus ignotum, efferum,
Inusitatum effare, quod populi horreant,
Quod esse factum nulla non aetas neget,
Quod patricidam pudeat. in patrios toros
Tuli paterno sanguine aspersas manus;
Scelerisque pretium majus accepi scelus.
Leve est paternum facinus. in thalamos meos
Deducta mater, ne parum sceleris foret,
Foecunda. nullum crimen hoc majus potest
Natura ferre. si quod etiamnum est tamen;
Quid facere possent, dedimus. abjeci necis
Pretium paternae sceptrum, et hoc iterum manus

---

261) *alia pietas*) Ironice dictum puta. Oed. v. 796:

Sen: Metuis parentem, quae tuum reditum expetens
Sollicita pendet. *Oed. Ipsa me pietas fugat.*

Apud Statium Theb. I. v. 690. Adrastus Oedipodi:

nostro quoque sanguine multum
Erravit pietas.

271) *ne parum scelerum foret*) Princeps codicum *sceleris*, idque praetuli, ut magis poëticum. vide Broukhus. ad Propert. I. 11. 9. Commode Gronovius comparavit Ovid. Met. II. (v. 471):

Scilicet hoc unum restabat, adultera, dixit,
Ut foecunda fores.

Armavit alias. optime regni mei
Fatum ipse novi: nemo sine sacro feret
Illud cruore. magna praesagit mala
Paternus animus. jacta jam sunt semina
Cladis futurae. spernitur pacti fides.
Hic occupato cedere imperio negat:
Jus ille, et icti foederis testes Deos
Invocat, et Argos exsul atque urbes movet
Grajas in arma. non levis fessis venit
Ruina Thebis. tela, flammae, vulnera
Instant, et istis si quod est majus malum;
Ut esse genitos nemo non ex me sciat.
ANT. Si nulla, genitor, causa vivendi tibi est,
Haec una abunde est, ut pater natos regas
Graviter furentes. tu impii belli minas

---

277) *sine sacro feret Illud cruore*) Vulgatam scripturam ab Heinsii correctione: *nemo sine caro auferet Illud cruore*, jam vindicavimus ad Thyest. v. 93. Pro *feret* in Mediceo legitur *efferet*. Sed est vitium librarii.

289) *Haec una abunde est*) Heinsius malebat: *Hoc unum abunde est*, subaudito causae. Sed rei, de qua agitur, magnitudo rectum postulat casum. Tale et illud ex Hercule Octaeo v. 860:

quidquid ad mortem trahit,
Telum est abunde.

Adde quae notavimus ad Thyest. v. 633.

290) *Graviter furentes*) In Etrusco *ferentes* legitur. Heinsius conjiciebat *rabide frementes*. Id vero tumidum est. *furere* bellicum ardorem exprimit. Sic et infra v. 484:

Avertere unus, tuque vecordes potes
Inhibere juvenes, civibus pacem dare,
Patriae quietem, foederi laeso fidem.
Vitam tibi ipse si negas, multis negas.
OEDIP. Illis parentis ullus aut aequi est amor,
Avidis cruoris, imperii, armorum, doli,
Diris, scelestis; breviter ut dicam, meis?
Certant in omne facinus, et pensi nihil
Ducunt, ubi illos ira praecipites agat:
Nefasque nullum, per nefas nati putant.
Non patris illos tangit afflicti pudor,
Non patria. regno pectus attonitum furit.
Scio, quo ferantur, quanta moliri parent:
Ideoque leti quaero maturi viam,
Morique propero, dum in domo nemo est meà
Nocentior me. nata, quid genubus meis
Fles advoluta? quid prece indomitum domas?
Unum hoc habet fortuna, quo possim capi,
Invictus aliis. sola tu affectus potes

Si pacis odium est, f u r e r e si bello placet.

Troad. v. 185:

cum inter acies Marte violento f u r e n s,
Corporibus amnes clusit,

Sil. X. v. 67:

Quippe f u r i t Poenus, qui nunc contraria bella
Ipsi ferre Jovi valeat!

ubi plura Drakenborchius. De permutatione vocum *furens* et *ferens* vide eundem ib. ad XII. v. 267.

297) *breviter ut dicam, meis*) Apud Statium Theb. XI. v. 611. Oedipus ad filios:

Crudeles, nimiumque mei.

Mollire duros, sola pietatem in domo
Docere nostra. nil grave aut miserum est mihi,
Quod te sciam voluisse. tu tantum impera.
Hic Oedipus Aegaea tranabit freta,
Jubente te; flammasque, quas Siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos,
Excipiet ore, seque serpenti offeret,
Quae saeva furto nemoris Herculeo furit;
Jubente te praebebit alitibus jecur;
Jubente te vel vivet.....

---

315) *volvens globos*) Quidam *solvens* legunt. Sed male. Pindarus I. Pyth. 45. de Aetna:

πέτρας
φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖ —
αν φέρει πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ.

ex eoque Virgilius I. Georg. 471:

Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa.

ACTUS SECUNDUS.

NUNTIUS, OEDIPUS, ANTIGONE.

NUNT. Exemplum in ingens regia stirpe edite,
Thebae paventes arma fraterna invocant,
Rogantque tectis arceas patriis faces.
Non sunt minae. jam propius accessit malum.
Nam regna repetens frater, et pactas vices,
In bella cunctos Graeciae populos agit;
Septena muros castra Thebanos premunt.
Succurre; prohibe pariter et bellum et nefas.
OEDIP. Ego ille sum, qui scelera committi vetem
Et abstinere sanguine a caro manus

---

320) *Exemplum in ingens*) Habet ab Euripide, Phoenis. v. 878:

> *αἵ θ' αἱματωποὶ δεργμάτων διαφθοραὶ*
> *θεῶν σόφισμα κἀπίδειξις Ἑλλάδι.*

329) *Et abstinere sanguine*) Pars codicum atque editionum *abstineri*, quod librarii putabant melius convenire praecedenti *committi*. Sed millies duo verba diversa forma activa et passiva jungi, Critici prope ad fasti-

Doceam? magister juris et amoris pii
Ego sum? meorum facinorum exempla appetunt.
Me nunc sequuntur. laudo, et agnosco libens.
Exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
Agite, o propago clara, generosam indolem
Probate factis; gloriam ac laudes meas
Superate; et aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc juvet vixisse. facietis, scio.
Sic estis orti. scelere defungi haud levi,
Haud usitato, tanta nobilitas potest.
Ferte arma. facibus petite penetrales Deos,
Frugemque flamma metite natalis soli.
Miscete cuncta. rapite in exitium omnia.
Disjicite passim moenia, in planum date.
Templis Deos obruite, maculatos lares
Conflate. ab imo tota considat domus.

---

dum docuerunt. vide quos laudat Burmannus ad Virg. Georg. I. v. 130.

330) *amoris pii Ego*) Impium et incestum suum ipse notat amorem, de quo v. 26:

Hoc alia pietas redimet. occidi patrem,
Sed matrem amavi.

341) *Frugemque flamma metite*) Heinsius rescribit *petite.* Sed *metere frugem* dictum videtur, ut κείρειν τὴν γῆν apud Thucydidem I. 64. pro vastare, populari, quod etiam ignis esse, non ferri tantum, omnibus probatur lexicis.

343) *Dejicite passim moenia)* Florentinus *Dissicite.* Id corrigendum in *Disjicite*, recte monuit Gronovius, quem vide ad h. l. et Burmannum ad Ov. Met. XII. v. 109.

Urbs concremetur. primus a thalamis meis
Incipiat ignis. ANT. Mitte violentum impetum
Doloris, ac te publica exorent mala,
Auctorque placidae liberis pacis veni.
OEDIP. Vides modestae deditum menti senem?
Placidaeque amantem pacis ad partes vocas?
Tumet animus ira, fervet immensum dolor,
Majusque, quam quod casus et juvenum furor
Conatur, aliquid cupio. non satis est adhuc
Civile bellum. frater in fratrem ruat.

---

354) *aliquid cupio*) Scribendum, inquit Heinsius,

Majusque, quam quod c a s s u s h i c juvenum furor
Conatur, aliquid c a p i o.

ac si nihil hactenus egissent odiis alternis Eteocles et Polynices prae eo scelere, quod ipse Oedipus animo concipiebat. Utrumque argutius est, quam verius. *casum* dicit pro fortuna vel fato, et respicit ad v. 277. ubi idem Oedipus:

optime regni mei
Fatum ipse novi: nemo sine sacro feret
Illud cruore.

Eodem sensu vox adfuit in Hercule Furente v. 328:

Quem saepe transit c a s u s, aliquando invenit.

Verbo *cupere* favent sequentia, quae voti sunt omnia.

355) *frater in fratrem ruat)* id est, congrediantur, manus conserant fratres. De gemina caede hic non magis agitur, quam infra v. 549. ubi Jocasta ad Polynicem:

vidit hostili grege
Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis catervas: vidit equitatu levi

Nec hoc sat est. quod debet, ut fiat nefas
De more nostro, quod meos deceat toros;
Date arma patri. nemo me ex his eruat
Silvis: latebo rupis exesae cavo,
Aut sepe densa corpus abstrusum tegam.
Hinc aucupabor verba rumoris vagi,
Et saeva fratrum bella, quod possum, audiam.

* * *

Cadmea frangi prata, et excelsos rotis
Volitare proceres, igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quae petunt nostras domos,
Fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit)
In se ruentes.

356) *quod debet, ut fiat)* Puto,

Nec hoc sat est. quid debet? ut fiat nefas etc.

quid debet? nimirum, satis esse. est exigentis sectum, quid imprecetur filiis suo sceleri par. Heinsius.

Ego, codicum lectionem tuitus, post *debet* subaudio *fieri*, quae ellipsis non est sine exemplo. Seneca Epist. 58: *Quidni oporteat educere animum laborantem? Et fortasse paulo ante, quam debet, faciendum est, ne, cum fieri debeat, facere non possis.* Cicero de Orat. I. §. 196: *si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat.*

358) *Date arma patri)* Statius Theb. XI. v. 627. de eodem:

paulatim sumserat iras
Mortis, et occulte telum, ni nata vetaret,
Quaerebat; sed casta manu subtraxerat enses
Antigone.

ACTUS TERTIUS.

Ἀκέφαλος.

JOCASTA, ANTIGONE, NUNTIUS.

JOC. Felix Agave, facinus horrendum, manu
Qua fecerat, gestavit; et spolium tulit
Cruenta nati Maenas in partes dati.
Fecit scelus, sed misera non ultro suo

366) *sed misera non ultra suum Scelus hoc cucurrit*) *Suo sceleri occurrit* Florentinus. Scribo, *non ultro suo Sceleri occucurrit.* non ultro, sed fatis iniquis agitata et Junonis odiis. Diximus ad Herculis Oetaei v. 884. lib. III. cap. II. hujus Operis. Hippolyto v. 441 :

Quem fata cogunt, ille cum venia est miser.
At si quis ultro se malis offert volens,
Quis nescit uti, perdere est dignus bona.

Tale et illud Lucani lib. VIII. v. 407. de incesto,

Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
Oedipodionias infelix fabula Thebas.

Oedipo v. 964 :

Ultro insequuntur, vulneri occurrunt suo.

Valer. Flaccus lib. I. v. 638 :

Sceleri occucurrit. hoc leve est, quod sum nocens;
Feci nocentes. hoc quoque etiamnum leve est;
Peperi nocentes. deerat aerumnis meis,
Ut et hostem amarem. Bruma ter posuit nives,
Et tertia jam falce decubuit Ceres,
Ut exsul errat natus, et patria caret,
Profugusque regum auxilia Grajorum rogat.
Gener est Adrasti, cujus imperio mare,

---

segnique solent occurrere leto.

sic vetusti codices. Seneca Epist. XIII: *Quid juvat dolori suo occurrere? satis cito dolebis, cum venerit.* Heinsius Adversar. I. V. p. 55.

Felix et palmaris emendatio; quam in textum recipere non dubitavi. Ovidius Met. III. v. 256:

Sola Jovis conjux non tam culpetne probetne
Eloquitur, quam clade domus ab Agenore ductae
Gaudet: et a Tyria collectum pellice transfert
In generis socios odium.

Huc enim respicit negans, Agaven ultro sceleri suo occurrisse.

368) *Feci nocentes*) Lipsius reponebat *nocentem.* Nimirum quia de solo Oedipo sermo. Atqui in ista mutatione vis quaedam inest ac *ἐνέργεια.* Quod etiam monuit vir Cl. Janus Gruterus. Ita in Troadibus legas vers. 981:

Quis tam impotens, ac dirus et inique ferus
Sortitor urnae regibus reges dedit?

cum Hecuba de se et Ulysse solis loquatur. Vossius ad Valer. Flac. I. v. 9.

Magis acuta brevitate dixit Statius in ejusdem persona Theb. VII. v. 514:

Nupsi equidem, peperique nefas.

Quod cingit Isthmon, regitur. hic gentes suas,
Septemque secum regna ad auxilium trahit
Generi. quid optem, quidve decernam, haud scio.
Regnum reposcit. causa repetentis bona est;
Mala, sic petentis. vota quae faciam parens?
Utrumque natum video. nil possum pie
Pietate salva facere. quodcunque alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed utrumque quamvis diligam affectu pari;
Quod causa melior, sorsque deterior trahit,
Inclinat animus, semper infirmo favens.

---

375) *Quod cingit Isthmon*) In Florentino est *Isthmos*, unde Gronovius conjicit: *Quod scindit Isthmus*, vel *findit*. Heinsius malle ait: *mare, Quod stringit Isthmon*. Sed nihil melius vulgato *cingit*. Pindarus Isthm. I. v. 10:

τὰν ἁλιερκέα Ἰσθμοῦ
δειράδ᾽.

Nonnus Dionys. p. 926. v. 22:

εἰ ναέτης βλάστησεν ἁλιζώνοιο Κορίνθου.

Idem p. 1248. v. 29:

ἄλλος ἁλιζώνοιο διαῤῥήξας ῥάχιν Ἰσθμοῦ.

385) *semper infirmo favens*) In eandem rationem loquitur Epist. 66: *Quoniam quidem etiam parentum amor magis in ea, quorum miseretur, inclinatur.* et Consolat. ad Helv. sub finem: *Ceterum quia necesse est, cum omnia feceris, cogitationes tamen tuas subinde ad me recurrere, nec quenquam nunc ex liberis tuis frequentius tibi obversari: non quia illi minus cari sint, sed quia naturale est, manum saepius ad id referre quod doleat: qualem me cogites, accipe.* Nostrum Senecae locum ob oculos ha-

Miseros magis fortuna conciliat suis.
NUNT. Regina, dum tu flebiles questus cies,
Terisque tempus, tota nudatis stetit
Acies in armis. aera jam bellum cient,
Aquilaque pugnam signifer mota vocat.
Septena reges bella dispositi parant.
Animo pari Cadmea progenies subit.
Cursu citato miles hinc illinc ruit.
Vide, ut atra nubes pulvere abscondat diem,
Fumoque similes campus in coelum erigat
Nebulas, equestri fracta quas tellus pede
Submittit: et, si vera metuentes vident,

---

bet Statius Theb. VIII. v. 614. ubi de sororibus dicitur:

Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum,
Quem vicisse velint. tacite praeponderat exul.

388) *tota nudatis stetit*) Florentinus: *salva nudatis adest aciens in armis.* Videtur monstrare *saeva.* Gronovius.

Nimio melius *tota,* quod respectu tantarum virium dicitur. Supra v. 325:

In bella cunctos Graeciae populos agit:
Septena muros castra Thebanos premunt.

et v. 376:

hic gentes suas
Septemque secum regna ad auxilium trahit
Generi.

395) *in coelum erigat*) Efficacius hoc et tempestivius, quam *egerat,* quod Burmannus ad T. I. Anthol. Lat. p. 350. legi malit. Homer. Il. III. v. 13:

ὣς ἄρα τῶν ὑπὸ ποσσὶ κονίσσαλος ὤρνυτ' ἀελλής.

Infesta fulgent signa: subrectis adest
Frons prima telis: aurea clarum nota
Nomen ducum vexilla praescriptum ferunt.
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus;
Et impia arma mater opposita impedi.
ANT. Perge, o parens, et concita celerem gradum;
Compesce tela, fratribus ferrum excute.
Nudum inter enses pectus infestos tene.

Virgil. Aen. IX. v. 240:

aterque ad sidera fumus
Erigitur.

401) *I, redde amorem fratribus)* Opinor *I, redde morem.* apud Maronem Aen. VIII. v. 316:

Quis neque mos, neque cultus erat.

Sine more furentes passim apud Poëtas occurrunt. Symmachus lib. V. Ep. 36: *Miratus sum inter conjunctissimos fortuitam subito emersisse discordiam: dominum et fratrem meum obsecravi, ne a suo more dissentiret.* et mox: *caeteris morum tuorum bonis similem patientiam praesta.* Heinsius.

Tamen supra v. 330. Oedipus, ab eodem Nuntio de eadem re adpellatus:

magister juris et amoris pii
Ego sum.

402) *mater opposita)* Codices Gruteri *matris opposita.* Nugatorium hoc ignorantia peperit librarii, qui nesciret, quoties participium loco substantivi poneretur.

405) *infestos tene)* Heinsius malebat:

Nudum inter enses pectus infestum tenens,
Aut solve bellum mater, aut prima excipe.

Sed Dissolutum instantiae plus habet.

Aut solve bellum, mater, aut prima excipe.
JOC. Ibo, ibo, et armis obvium opponam caput.
Stabo inter arma. petere qui fratrem volet,
Petat ante matrem. tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre: qui non est pius,

---

408) *Stabo inter arma*) Haec frigidiuscula sunt mehercules: minus enim est, *Stabo inter arma*, quam *armis obvium opponam caput*, cum augeri vis orationis debuerit. Quid si dederit Annaeus,

Ibo, ibo: et armis obvium exponens caput
Resistam inermis.

Posset et legi *exponam.* Sic Troasin v. 671. Andromache,

Resistam: inermes offeram armatis manus.
Dabit ira vires.

De exponendi verbo dicemus libro III. hujus Operis cap. 2. ad v. 878. Herculis Oetaei. Heinsius Adversar. I. 5. p. 56.

Vereor ut et alii sentiant id frigus. Stabo, inquit Jocasta, inter arma, tanquam pugnae nodus et mora. Apud Statium Theb. XI. v. 340. eadem:

Stabo ipsa in limine portae
Auspicium infelix, scelerumque immanis imago.
Haec tibi canities, haec sunt calcanda, nefande,
Ubera, perque uterum sonipes hic matris agendus.

opponam, id est, objiciam. Sic Virgilius Aen. XI. v. 115:

Aequius huic Turnum fuerat se opponere morti.

Noster Agam. v. 946:

tuta jam opperiar meos
Hostes, et ultro vulneri opponam caput.

et Herc. Oet. v. 879:

Ego vos tyrannis, regibus, monstris, feris,
Saevisque rapto vindice opposui deis.

Incipiat a me. fervidos juvenes anus
Tenebo. nullum teste me fiet nefas.
Aut si aliquod et me teste committi potest,
Non fiet unum. ANT. Signa collatis micant
Vicina signis: clamor hostilis fremit;
Scelus in propinquo est: occupa, mater, preces.
Et ecce motos fletibus credas meis;
Sic agmen armis segne compositis venit.
Procedit acies tarda, sed properant duces.
JOC. Quis me procellae turbine insanae vehens
Volucer per auras ventus aetherias aget?
Quae Sphinx, vel atra nube subtexens diem
Stymphalis, avidis praepetem pennis feret?
Aut quae per altas aeris rapiet vias
Harpyia, saevi regis observans famem?
Et inter acies projiciet raptam duas?
NUNT. Vadit furenti similis, aut etiam furit;
Sagitta qualis Parthica velox manu
Excussa fertur; qualis insano ratis
Premente vento rapitur; aut qualis cadit
Delapsa coelo stella, cum stringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam;
Attonita cursu fugit, et binas statim
Diduxit acies. victa materna prece
Haesere bella, jamque in alternam necem
Illinc et hinc miscere cupientes manum,
Librata dextra tela suspensa tenent.

---

437) *Vibrata dextra tela suspensa tenent)* Pulchre vidit Marklandus ad Stat. V. Silv. 2. 102. *Vibrata* pro-

Paci favetur. omnium ferrum latet
Cessatque tectum, vibrat in fratrum manu.
Laniata canas mater ostendit comas;
Rogat abnuentes: irrigat fletu genas.
Negare matri, qui diu dubitat, potest.

---

pter sequens *vibrat* ferri non posse, et emendavit *Librata tela*, quod plus est, jam jam dextris excutienda, ut infra v. 467. loquitur:

Clude vagina impium
Ensem, et trementem jamque cupientem excuti
Hastam solo defige.

Imitatur hoc nostri Lucanus VII. v. 469:

gelidusque in viscera sanguis
Percussa pietate coit, totaeque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.

Pressius utroque dicit Statius, eandem cum Seneca rem describens, Theb. VII. v. 505:

dum castra silent, suspensaque bellum
Horrescit pietas.

Juvat etiam comparare Silium IV. v. 471:

Attonitae tanta ad spectacula turmae
Tela tenent, ceditque loco Libys asper, et omnis
Late cedit Hiber; pietasque insignis et aetas
Belligeris fecit miranda silentia campis.

ACTUS QUARTUS.

JOCASTA, POLYNICES, ETEOCLES.

JOC. In me arma et ignes vertite. in me omnis ruat
Unam juventus; quaeque ab Inachio venit
Animosa muro; quaeque Thebana ferox
Descendit arce. civis atque hostis simul
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
Haec membra passim spargite, ac divellite:
Ego utrumque peperi. ponitis ferrum ocius?
An dico, et ex quo? dexteras matri date.
Date, dum piae sunt. error invitos adhuc
Fecit nocentes. omne Fortunae fuit
Peccantis in nos crimen. hoc primum nefas
Inter scientes geritur. in vestra manu est,
Utrum velitis. sancta si pietas placet,
Donate matrem pace. si placuit scelus,

456) *Donate matrem pace)* Retinuisse ait hoc Gruterus versus causa, exploso illo, *Donate matri pacem,* quod tamen occupet omnes membranas, injucundiore etiam vocum sonitu. At illud Scaligero ineptum, et

Majus paratum est. media se opponit parens.
Proinde bellum tollite, aut belli moram.

---

hoc postulat sententia et libri Mss. Sed lex carminis repugnat, inquit ipse. Certe repugnat, nec unquam credam, ita impegisse vatem aut dedita opera violasse legem iamborum. Attamen omnes ita scripti, omnes. Quid exspectas? Prodigiose corrupta haec tragoedia, et in primis ultima pars, quae ἕλκεσι βρύει. Venit in mentem hic fuisse: *si pietas placet, Donate matri bella:* eodem sensu verbi *donare*, de quo ad v. 232. monuimus: quem non assequutus corrector, cogitans matrem intervenire pacificatricem, *pacem* ingessit ἀντὶ τοῦ *bella:* ut superius *Negastis* pro *Donastis*. Nimis quam verisimilis haec mihi conjectura videtur, utcunque sit audacior. Gronovius.

Ego, si quid mutandum sit, haud paulo faciliori emendatione scribam:

Donate matri — *parce! si placuit scelus* etc.

Donate, condonate, remittite *matri* — Reticetur hic *bellum*, aposiopesi personae convenientissima. Matribus enim bella nomine tenus detestata. Veneri Diomedes apud Homerum Il. V. v. 351:

εἰ δὲ σύ γ' ἐς πόλεμον πωλήσεαι, ἦτέ σ' ὀΐω
ῥιγήσειν πόλεμόν γε, καὶ εἴ χ' ἑτέρωθι πύθηαι.

parce, sinistri ominis verbo abstine, sibi ipsa dicit. Sic et in Hercule Oetaeo v. 1447. Hercules:

tam bene excideras, dolor.
Cogis fateri. parce, et hanc vocem occupa.

ubi vide Gronovium, et, qui similia poëtarum laudavit, Drakenborchium ad Sil. IX. v. 55. Eadem figura Ciceroni restituenda est IV. ad Attic. 15: *ne diutius pendeas, palmam tulit. sed nihil tam pusillum, nihil tam sine voce, nihil tam verum. haec tu tecum*

Sollicita nunc cui mater alterna prece
Verba admovebo? misera quem amplectar prius?
In utramque partem ducor affectu pari.
Hic abfuit. sed pacta si fratrum valent,
Nunc alter aberit. ergo jam nunquam duos,
Nisi sic, videbo? junge complexus prior,
Qui tot labores totque perpessus mala,
Longo parentem fessus exsilio vides.
Accede propius. clude vagina impium
Ensem; et trementem jamque cupientem excuti
Hastam solo defige. maternum tuo
Coire pectus pectori clypeus vetat.
Hunc quoque repone. vinculo frontem exue,
Tegimenque capitis triste belligeri leva,
Et ora matri redde. quo vultus refers,
Acieque pavida fratris observas manum?
Affusa totum corpus amplexu tegam.
Tuo cruori per meum fiet via.
Quid dubius haeres? an times matris fidem?
POL. Timeo: nihil jam jura naturae valent.

---

habeto. ubi veritas ipsa distingui jubet: *nihil tam. Verum haec tu tecum habeto.* Scribens enim asperiori verbo pepercit.

473) *ora matri redde*) Heinsius *crede.* Invidiosum hoc, minimeque parentis.

Ibid.) *quo vultus refers*) Hoc suum fecit Statius Thebaid. VIII. v. 508:

I mecum, patriosque deos, arsuraque saltem
Tecta vide, fratremque (quid aufers lumina?) fratrem
Alloquere, et regnum jam me sub judice posce.

Post ista fratrum exempla, ne matri quidem
Fides habenda est. JOC. Redde jam capulo manum,
Adstringe galeam, laeva se clypeo inserat;
Dum frater exarmatur, armatus mane.
Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior.
Si pacis odium est, furere si bello placet,
Inducias te mater exiguas rogat,
Ferat ut reverso post fugam nato oscula,
Vel prima, vel suprema. dum pacem peto,
Audite inermes: ille te, tu illum times;
Ego utrumque: sed pro utroque. quid strictum abnuis
Recondere ensem? qualibet gaude mora.
Id gerere bellum cupitis, in quo est optimum
Vinci. vereris fratris infesti dolos?
Quoties necesse est fallere, aut falli a suis,
Patiare potius ipse, quam facias, scelus.
Sed ne verere: mater insidias et hinc,
Et rursus illinc abiget. exoro, an patri
Invideo vestro? veni, ut arcerem nefas,
An ut viderem propius? hic ferrum abdidit

---

481) *laeva se clypeo ingerat*) Lege cum Florentino, *inserat.* Virgilius Aen. II. v. 672:

Hinc ferro adcingor rursus, clipeoque sinistram
Insertabam aptans.

Statius Thebaid. VI. v. 356:

citharaeque manus insertus Apollo.

493) *a suis*) Mallet Heinsius, *a tuis.* Haud minus destinatum ferit alterum, quod et venustius existimo. Nam de singulis verum est, quod de omnibus.

Reclinis hastae, et arma defixa incubant.
Ad te preces nunc, nate, maternas feram,
Sed ante lacrimas. teneo longo tempore
Petita votis ora. te, profugum solo
Patrio, penates regis externi tegunt:
Te maria tot diversa, tot casus vagum
Egere: non te duxit in thalamos parens

---

499) *Reclinis hastae, et arma defixa incubant)* Huic loco nihil ad integritatem deest. *Reclinis hastae* translatum ex Homer. Il. XXII. v. 225. ubi de Achille dicitur:

στῆ δ' ἄρ' ἐπὶ μελίης χαλκογλώχινος ἐρεισθείς.

Indidem sumsit Virgilius Aen. IX. v. 229:

Stant longis adnixi hastis, et scuta tenentes.

arma defixa incubant, puta *solo.* Virgilius Aen. XII. v. 130:

Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant.

Neque enim insolens est, *incubandi* verbum absolute poni. Val. Flaccus I. v. 684:

Calabri populator Sirius arvi
Incubuit.

ubi Burmannum vide. Senecam aemulatur Statius Theb. VII. v. 801:

exciderunt irae, nutantia figunt
Tela solo, dubiasque vagi nituntur in hastas
Cominus.

504) *maria tot diversa)* Florentinus duplicem scripturam repraesentat: *maria tot tam diversa.* Posterior ab emendatore est. *tot* enim *ὑπερβολικῶς* dicitur; quanquam de duobus etiam usus est Calpurnius Flaccus Declam. 28: *Per tot innocentium capita.*

505) *non te duxit in thalamos parens)* Idem Agave queritur apud Nonnum Dionys. p. 1198. v. 4:

οὔπω σοῖς θαλάμοισιν ἐκούφισα νυμφοκόμον πῦρ,
οὐ ζυγίων ἤκουσα τεῶν ὑμέναιον ἐρώτων.

Comitata primos, nec sua festas manu
Ornavit aedes, nec sua laetas faces
Vitta revinxit. dona non auro graves
Gazas socer, non arva, non urbes dedit.
Dotale bellum est. hostium es factus gener,
Patria remotus, hospes alieni laris,
Externa consecutus, expulsus tuis,
Sine crimine exsul. ne quid e fatis tibi
Deesset paternis, hoc quoque ex illis habes,
Errasse thalamis. nate, post multos mihi
Remisse soles; nate, suspensae metus

Uterque poëta colorem duxit ex Jocastae verbis in Eurip. Phoenis. v. 346:

> ἐγὼ δ' οὔτέ σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς
> νόμιμον ἐν γάμοις,
> ὡς πρέπει ματρὶ μακαρίᾳ.
> ἀνυμέναια δ' Ἰσμηνὸς ἐκηδεύθη
> λουτροφόρου χλιδᾶς.

508) *dona non auri et graves Gazas socer*) Locus haud dubie mendosus. In Florentino, *non auro graves galeas*, aliquanto rectius. nisi quod praestare opinor, *auro graves phaleras*, vel *pallas*. Papinius lib. VII. Theb. v. 39. *crepat aurea grandine multa palla.* Heinsius.

Legendum est: *auro graves gazas.* Val. Maximus I. 6. ext. 2: *infantiaeque incunabula utili deorum munere donata, onustis auro atque argento gazis pensavit.* Claudianus Epithalam. in Nupt. Honor. v. 226:

> *Nobilibus gazis opibusque cubilia surgant*
> *Barbaricis,*

dona scilicet nuptialia, dotem. apud Homerum Il. IX. v. 147. Agamemnon:

> ἐγὼ δ' ἐπὶ μείλια δώσω

Et spes parentis, cujus aspectum Deos
Semper rogavi; cum tuus reditus mihi
Tantum esset erepturus adventu tuo,
Quantum daturus; quando pro te desinam,
Dixi, timere? dixit irridens Deus,
Ipsum timebis. nempe, nisi bellum foret,
Ego te carerem: nempe, si tu non fores,
Bello carerem. triste conspectus datur
Pretium tui, durumque; sed matri placet.
Hinc modo recedant arma, dum nullum nefas
Mars saevus audet. hoc quoque est magnum nefas,
Tam prope fuisse. stupeo, et exsanguis tremo,
Cum stare fratres hinc et hinc video duos
Sceleris sub ictu. membra quassantur metu.
Quam paene mater majus aspexi nefas,
Quam quod miser videre non potuit pater!
Licet timore facinoris tanti vacem,
Videamque jam nil tale, sum infelix tamen,
Quod paene vidi. per decem mensium graves

πολλὰ μάλ', ὅσσ' οὔπω τις ἑῇ ἐπέδωκε θυγατρί.
ἑπτὰ δέ οἱ δώσω εὖ ναιόμενα πτολίεθρα.

525) *sed matri placet)* Annaeum imitatur, ut solet, Papinius, in ejusdem Jocastae persona dicens Theb. VII. v. 515:

sed diligo tales,
Ah dolor, et vestros etiamnum excuso furores.

535) *Quod paene vidi)* Colorem duxit ex verbis Medeae Nasonianae Met. VII. v. 35:

Cur non et specto pereuntem, oculosque videndo
Conscelero?

Ibid.) *graves Uteri labores)* Perperam Heinsius refingit: *gravis Uteri labores;* quod idem est, ac si diceretur: meam gravidae graviditatem.

Uteri labores, perque pietatem inclitae
Precor sororis, et per irati sibi
Genas parentis; scelere quas nullo nocens,
Erroris a se dira supplicia exigens,
Hausit; nefandas moenibus patriis faces
Averte; signa bellici retro agminis
Flecte. ut recedas, magna pars sceleris tamen
Vestri peracta est. vidit hostili grege
Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis catervas: vidit equitatu levi
Cadmea frangi prata, et excelsos rotis
Volitare proceres; igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quae petunt nostras domos;
Fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit)
In se ruentes. totus hoc exercitus,
Hoc utrinque populus omnis, hoc vidit soror,
Genitrixque vidit: nam pater debet sibi,
Quod ista non spectavit. occurrat tibi
Nunc Oedipus: quo judice, erroris quoque
Poenae petuntur. ne, precor, ferro erue

---

537) *perque pietatem inclitae Precor sororis)* Alii legunt: *perque pietate inclitas Precor sorores*, ne sua laude fraudetur Ismene. Sed et Statius una sorore contentus est. Thebaid. XI. v. 349:

Sed pulsat muros germanus, et impia contra
Bella ciet? non mater enim, non obstat eunti
Ulla soror.

Ibid. v. 461:

fraterna — bella
Ceu soror infelix pugnantum, aut anxia mater
Deflebat.

Patriam, ac penates; neve, quas regere expetis,
Everte Thebas. quis tenet mentem furor?
Patriam petendo perdis. ut fiat tua,
Vis esse nullam? quin tuae causae nocet
Ipsum hoc, quod armis uris infestis solum,
Segetesque adultas sternis, et totos fugam
Edis per agros. nemo sic vastat sua.
Quae corripi igne, quae meti gladio jubes,
Aliena credis? rex sit e vobis uter,
Manente regno, quaerite. haec telis petes
Flammisque tecta? poteris has Amphionis
Quassare moles? nulla quas struxit manus,
Stridente tardum machina ducens onus;
Sed convocatus vocis et citharae sono
Per se ipse turres venit in summas lapis.
Haec saxa franges victor? hinc spolia auferes,
Vinctosque duces patris aequales tui?
Matres ab ipso conjugum raptas sinu
Saevus catena miles imposita trahet?
Ut adulta virgo mixta captivo gregi
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
An et ipsa palmas vincta post tergum datas
Mater triumphi praeda fraterni vehar?

---

570) *Per se ipse turres venit*) Hoc ipsum miraculum celebrat Silius XI. v. 445:

chelys, lapidem testudine felix
Ducere, et in muros posuisse volentia saxa.
Haec Amphionio vallavit pectine Thebas,
Ac, silice aggeribus per se scandente vocatis,
Jussit in immensum cantatas surgere turres.

Potesne cives laetus exitio datos
Videre passim? moenibus caris potes
Hostem admovere? sanguine et flamma potes
Implere Thebas? tam ferum et durum geris
Saevumque in iras pectus, et nondum imperas?
Quid sceptra facient? pone vesanos, precor,
Animi tumores, teque pietati refer.
POL. Ut profugus errem semper? ut patria arcear,
Opemque gentis hospes externae sequar?
Quid paterer aliud, si fefellissem fidem,
Si pejerassem? fraudis alienae dabo
Poenas; at ille praemium scelerum feret?
Jubes abire. matris imperio obsequor.
Da, quo revertar. regia frater mea
Habitet superbus; parva me abscondat casa:
Hanc da repulso. liceat exiguo lare
Pensare regnum. conjugi donum datus
Arbitria thalami dura felicis feram,
Humilisque socerum lixa dominantem sequar?
In servitutem cadere de regno, grave est.
JOC. Si regna quaeris, nec potest sceptro manus
Vacare saevo; multa, quae possunt peti

---

587) *gentis hospes externae sequar*) id est, expetam. Supra v. 512:

hostium es factus gener,
Patria remotus, hospes alieni laris,
Externa consecutus, expulsus tuis.

600) *sceptro manus Vacare saevo*) Heinsius, vim epitheti non assequutus, varie tentavit *manus laeva*, *sceptro avito*, *servo*. Nequidquam omnia. *saevum sceptrum* dicitur, ut *saevus tridens* Virgilio Aen. I. v. 138:

In orbe toto, quaelibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolus attollit juga,
Qua lata terris spatia frugiferis jacent,
Et qua trahens opulenta Pactolus vada
Inundat auro rura. nec laetis minus
Maeandros arvis flectit errantes aquas,
Rapidusque campos fertiles Hebrus secat.
Hinc grata Cereri Gargara, et dives solum

Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum.

Scilicet cum *saevus* proprie ad iram, furorem ac vehementiam spectet, pro communi epitheto, saepe tantum in ornatum, adhibetur in omnibus rebus, quae ad bella, pugnas, virtutem; ad imperia, regna, jussa; ad mare, ventos, tempestates pertinent. Quod pulchre animadvertit Heynius ad v. 1. ejusdem libri.

Ibid.) *quae possunt peti*) *possint* Heinsius malit ex Florentino. Sed vide ad v. 149. hujus Tragoediae.

607) *campos fertiles Hebrus secat*) Quum loca, quae describit, omnia Phrygiae, Hellesponti, Lydiae, Lyciae in Asia sint, mirum est hic interponi *Hebrum* Thraciae et Europae. Fortassis *Hermus*. Hunc enim ex monte Dindymenae sacro per Catacaumenen in Sardiniam ferri κατὰ τὰ συνεχῆ πεδία μέχρι τῆς θαλάττης testis Strabo l. 13. Gronovius.

Scilicet hoc Senecam decebat, sed erat doctius quam pro persona Jocastae: qualia plura in his tragoediis, ipso observante Gronovio ad Hipp. v. 70. *Rapidum* vero dicens fluvium, natura placidum ac lenem, poetico jure defenditur. vid. Burmann. ad Valer. Flac. V. v. 180.

608) *grata Cereri Gargara*) Virg. Georg. I. v. 103:
ipsa suas mirantur Gargara messes.

Quod Xanthus ambit nivibus Idaeis tumens:
Hinc, qua relinquit nomen, Ionii maris
Fauces Abydo Sestos oppositâ premit:
Aut, qua latus jam propius Orienti dedit,
Tutamque crebris portubus Lyciam videt:

---

610) *Relinquit)* Et Hellespontus dici coepit: in cujus faucibus Abydus a latere Asiatico opposita est Sesto a latere Europaeo.

Gronovius.

Ibid.) *qua relinquit nomen Ionii maris, Fauces Abydi Sestos oppositae premit)* Sestos non magis urget fauces Abydi, quam Messana Siciliae premit fauces Rhegii Italici, aut Abyla urget fauces Calpes. Delrius e Mogunt. et aliis notat, *Fauces Abydos*, ex Lugd. *Abydos Sestosque oppositae premunt.* Commelinus e Pal. *Abydos.* Florentinus: *Faucesque Abydo Sestos opposita.* Scribe: *qua relinquit nomen Ionii, maris Fauces Abydo Sestos oppositâ premit.* Utraque enim premunt fauces maris, Sestos oppositam habens Abydon, Abydos Seston. Thyeste 628. *et maris gemini premens fauces Corinthos.*

Gronovius.

Ego Gronovii emendationem recepi, nisi quod post *nomen* incidi jussi. Nam *relinquere* est mutare, vertere, ut usitatius loquuntur.

612) *qua latus jam propior Orienti)* Ridicule ad Xanthum referunt, quasi non intervenerit Sestos, et tamen sensu nullo. Lege, *propius*, et refer ad *Mare.* Qua illud se flexit in latus circa Cnidum Rhodumque jam propius Orienti soli, et Lyciam alluit.

Gronovius.

Hanc quoque correctionem recepi.

Haec regna ferro quaere. in hos populos ferat
Socer arma fortis: has paret sceptro tuo
Tradatque gentes. hoc adhuc regnum puta
Tenere patrem. melius exsilium est tibi,
Quam reditus iste. crimine alieno exsulas,
Tuo redibis. melius istis viribus
Nova regna nullo scelere maculata appetes.
Quin ipse frater, arma comitatus tua,
Tibi militabit. vade, et id bellum gere,
In quo pater materque pugnanti tibi
Favere possint. regna cum scelere, omnibus
Sunt exsiliis graviora. nunc belli mala
Propone, dubias Martis incerti vices.
Licet omne tecum Graeciae robur trahas;
Licet arma longe miles ac late explicet:
Fortuna belli semper ancipiti in loco est,
Quodcunque Mars decernit. exaequat duos,
Licet impares sint, gladius; et spes et metus

---

614) *Haec regna ferro quaere*) *Haec* nimirum e multis nominata. Supr. v. 600:

multa, quae possunt peti
In orbe toto, quaelibet tellus dabit.

quo non animadverso, Gronovius legit: *Hic regna ferro quaere.*

630) *exaequat duos*) Respicit illud Homeri Il. XVIII. v. 309:

ξυνὸς Ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.

quod ipsum sic extulit Livius XXVIII. 19: *ubi Mars communis et victum saepe erigeret, et affligeret victorem.*

Fors coeca versat. praemium incertum petis,
Certum scelus. Favisse fac votis Deos
Omnes tuis: cessere, et aversi fugam
Petiere cives. clade funesta jacent.
Obtexit agros miles. Exsultes licet,
Victorque fratris spolia dejecti geras;
Frangenda palma est. Quale tu id bellum putas,
In quo exsecrandum victor admittit nefas,
Si gaudet? hunc, quem vincere infelix cupis,
Cum viceris, lugebis. infaustas, age,
Dimitte pugnas. libera patriam metu,
Luctu parentes. POL. Sceleris et fraudis suae
Poenas nefandus frater ut nullas ferat?
JOC. Ne metue; poenas, et quidem solvet graves.
Regnabit. POL. Haecne est poena? JOC. Si dubitas, avo
Patrique crede. Cadmus hoc dicet tibi,

---

632) *Sors coeca versat*) Scribendum cum Heinsio *Fors*. Virgilius Ecl. IX. v. 5:

quoniam Fors omnia versat.

ubi vide Heynium.

638) *Frangenda palma est*) In eandem sententiam loquuntur Claudianus XXVIII. v. 401:

Namque inter socias acies cognataque signa
Ut vinci miserum, nunquam vicisse decorum.

et Aristaenetus Epist. II. 6. sub finem: φανερὸν γὰρ ὡς ἐν πονηραῖς ἁμίλλαις ἀθλιώτερος ὁ νικήσας.

646) *Haecne est poena*) In Florentino: *Est haec poena.* Heinsius opinatur, *Est hoc poena. hoc*, videlicet regnare. Sed vide Burmannum ad Ov. Her. II v. 56.

Cadmique proles. sceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere; nec quisquam fide
Rupta tenebit illa. jam numeres, licet,
Fratrem inter istos. POL. Numero: et est tanti mihi
Cum regibus jacere. IOC. Te turbae exsulum
Adscribo. regna, dummodo invisus tuis.
POL. Regnare non vult, esse qui invisus timet.
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium atque regnum. regis hoc magni reor,
Odia ipsa premere. multa dominantem vetat

---

648) *sceptra Thebarum fuit*) Quidam *Thebano* legunt. Sed perperam. Herculis furentis v. 386:

Thebana novi regna.

650) *Rupta tenebit illa*) *tenebit* ex Florentino rescripsi pro vulgato *tenebat*. Nam ad Eteoclem foedifragum spectat oratio, perjuriique poena divina, exitium. vid. Cicero de Legib. II. §. 22.

653) *regna dummodo*) Haud absimili modo Lycum dimittit Megara in Herc. fur. v. 396:

dominare, ut lubet:
Dum solita regni fata te nostri vocent.

657) *Odia ipsa premere*) Ita optime Florentinus, non *Odia ista premere*, quod vulgo circumfertur. *odia ipsa*, quibus obsistere difficillimum est. Cicero de Off. II. §. 23: *Omnium autem rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi: nec alienius, quam timeri. Praeclare enim Ennius: Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit. Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Nec vero hujus tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas, paretque cum*

Amor suorum. plus in iratos licet.
Qui vult amari, languida regnet manu.
JOC. Invisa nunquam imperia retinentur diu.
POL. Praecepta melius imperii reges dabunt;

---

maxime mortuo, interitus declarat; quantum odium hominum valeat ad pestem; sed reliquorum similes exitus tyrannorum: quorum haud fere quisquam interitum talem effugit. Malus enim custos diuturnitatis metus. et §. 25: *Nec vero ulla vis imperii tanta est, quae, premente metu, possit esse diuturna.*

660) *Invisa nunquam imperia retinentur diu)* Hunc versum *Jocastae* tribuendum esse, liquet ex simili Neronem inter ac Senecam contentione, Octav. v. 455:

> *Ner. Calcat jacentem vulgus. Sen. invisum opprimet.*

ubi *jacere* dixit, quod hic *languida regnare manu.* Tunc enim jacet princeps, cum eius auctoritas languet. Plinius Epist. I. 5. 15: *Nec me praeterit, esse Regulum δυσκαθαίρετον. Est enim locuples, factiosus; curatur a multis, timetur a pluribus, quod plerumque fortius amore est. Potest tamen fieri, ut haec concussa labantur. Nam gratia malorum tam infida est, quam ipsi.* Sallustius de Rep. Ord. 3: *cuncta imperia crudelia magis acerba, quam diuturna.* Adde quae adtulimus ad v. 657.

661) *Joc. Praecepta melius imperii reges dabunt)* Transfer in *Polynicem.* qui, cum dicit: *Exsilia tu dispone,* deridet illud matris verbum v. 652: *Te turbae exsulum adscribo,* quod significat: te in numero infelicium et aerumnosorum duco, repono. Nam, ut ipsa ait v. 623

Exsilia tu dispone. Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare.
Imperia pretio quolibet constant bene.

* * *

Deest, et magna pars hujus Tragoediae intercidit.

---

regna cum scelere, omnibus
Sunt exsiliis graviora.

Cicero pro Domo §. 72: *Hunc tu etiam, portentosa pestis, exsulem appellare ausus es, cum tantis sceleribus esses et factis notatus, ut omnem locum, quo adisses, exsilii simillimum redderes? Quid est enim exsul? Ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis. Quando igitur est turpe? Re vera, quum est poena peccati; opinione autem hominum, etiam si est poena damnati.* Idem Paradox. II: *Te miseriae, te aerumnae premunt, qui te beatum, qui florentem putas.* et IV: *Omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem profiteris, quos leges exsilio affici volunt, exsules sunt, etiam si solum non mutarunt.* Eodem acumine noster iterum Consolat. ad Helv. c. 9: *Quantus vir ille fuit, qui effecit, ut aliquis exsul sibi videretur, quod ab exsule recederet? — Illi quidem reditum impetravit senatus, publicis precibus tam sollicitus ac moestus, ut omnes — viderentur — non pro Marcello, sed pro se deprecari, ne exsules essent, si sine illo fuissent.*

HIPPOLYTUS.

DRAMATIS PERSONAE.

HIPPOLYTUS.
PHAEDRA.
THESEUS.
CHORUS CIVIUM ATHENIENSIUM.
NUNTIUS.
NUTRIX.
FAMULI.

ACTUS PRIMUS.

HIPPOLYTUS.

Ite, umbrosas cingite silvas,
Summaque montis juga Cecropii
Celeri planta lustrate vagi.
Quae saxoso loca Parnethi
Subjecta jacent; et quae Thriasiis
Vallibus amnis rapida currens
Verberat unda; scandite colles
Semper canos nive Riphaea.
Hac, hac alii, qua nemus alta
Texitur alno; qua prata jacent,
Quae rorifera mulcens aura

5) *Thriasiis Vallibus)* Codices fere *Thyasis* habent. Verum nomen, *Thriasiis,* restituit Joan. Scoppa Collectaneorum c. 35. In editione Veneta anni 1522. legitur *Thriasii,* subaudito *campi.* Minus recte. Sic enim bis deducimur in planum.

11) *mulcens aura Zephyrus)* *anima* e membrana, nescio qua, veteri praefert Zinzerlingius in Criticorum juvenilium Promulside. Sed mulcendis pratis aptior

Zephyrus vernas evocat herbas:
Ubi par glacie lenis Ilissos

---

est *aura*, notans lenem ventum, ut in hoc Nasonis Met. I. v. 107:

placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

et alibi passim.

13) *Ubi per glacies lenis Ilissus*) Convenit inter omnes, haec non ab auctore sic exiisse, ut vulgo leguntur. Lipsius cum Raphelengio, *per glareas.* Gruterus totum versum suspectum facit, utpote novem scriptis exsulem, magisque eum suo judicio premit Scaliger. Manus illustris aliique summi viri *par glacie:* et explicant, adeo lenis, ut stare veluti glaciatum putes, nullis fluctibus tumidum et inaequalem. Est cui vera scriptura in mentem venerit, sed talibus firmata exemplis, ut ludere videatur. Quid enim *gracile vadum* et *graciles viae petauri* ad agros Atticos? Tamen legendum est *graciles.* nam Flor. *per glaciles lenis Ilissos Labitur agros.* Hi non uberes, non pingues putresque et optimi terreni, sed sicci et macri et steriles. Columella lib. 5. 6. *hoc in solo pingui melius, illud in gracili.* Plin. 18, 19: *ubi siccae et graves aestates, terra cretosa aut gracilis.* 21, 6: *Gracili solo nec humido provenit.* 26, 8: *Nascitur in campestri et gracili solo.* Talis terra Attica *τραχεῖα καὶ δύσιππος*, ut eam vocat Plutarchus in Sulla. Livius lib. 43: *Primi Atheniensium introducti*, etc. *quanquam sterilem terram ararent, ipsosque etiam agrestes peregrino frumento alerent.* Scholia Aristophanis ad Plutum: *Οἱ τὴν Ἀττικὴν οἰκοῦντες πένητες μὴ εἶχον τὰς ἐκ τῶν σπερμάτων τροφάς· ἀνεπιτήδειος γὰρ ὁ τόπος ἦν εἰς γεωργίαν, κατάξηρος ὤν. Gracilis* ager *λεπτόγεως.* Thucydides lib. I. *τὴν γῆν Ἀτ-*

Uti Maeander per inaequales

τικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί.

Gronovius.

Recepi correctionem *par glacie.* Sic Homerus Il. XXII. v. 152. de fonte:

ἡ δ' ἑτέρη θέρεϊ προρέει, εἰκυῖα χαλάζῃ,
ἢ χιόνι ψυχρῇ, ἢ ἐξ ὕδατος κρυστάλλῳ.

et Quintus Smyrnaeus V. v. 477:

ψυχρὸν δὲ διὰ σπέος ἔρχεται ὕδωρ
κρυστάλλῳ ἀτάλαντον.

par vero cum ablativo construi, docet Burmannus ad Ov. Fast. IV. v. 306. *Ilissos* pro *Ilissus* jam Gronovius vindicavit ad Herc. fur. v. 334.

14) *Ubi Maeander super aequales)* Hunc potius obelis versum figere debebant. Quis enim Maeander in Attica? Nec ubi editi, ponit eum optimus codex, sed ante illum, quem vulgo sequitur, hoc modo: *lenis Ilissos Labitur agros piger et steriles Ubi Maeander super inaequales Amne.* Vide tamen an possit servari suo loco ita conceptus: *Uti Maeander inter aequales.* Ilissum confert cum Maeandro, quia prae caeteris fluminibus, ut ait Statius, *anfractu riparum incurvus Ilissus.* Quid quod et *errantes* eius *aquas* dicit in Oedipo, ut alibi Maeandri? Et videtur ab *εἰλίσσειν* nomen ejus ductum putasse. Inter *aequales* autem agros labi Maeandrum, confirmat Strabo l. 12. *τὸν Μαίανδρον, προειληφότα καὶ ἄλλον ποταμὸν Ὀργᾶν, δι' ὁμαλοῦ φερόμενον πρᾶον καὶ μαλακόν.* Cogitabam aliquando: *Tibi, Maeander, par et aequalis.* Cicero in Oratore: *nec satura jejune, nec grandia minute, nec item contra, sed erit ipsis rebus par et aequalis.* Lib. I. de Orat. *qui unam virtutem haberet, omneis habere, easque esse inter se aequales et pares.*

Labitur agros piger, et steriles
Amne maligno radit arenas.
Vos, qua Marathon tramite laevo
Saltus aperit; qua comitatae
Gregibus parvis nocturna petunt
Pabula foetae. vos, qua tepidis
Subditus austris, frigora mollit

Hoc magis placet. Meursius: *Uti Maeander, super aequales Labitur agros,* Athen. Att. 2, 5.

Gronovius.

Etiam duo codices Raphelengii duoque Pontani cum octo Palatinis et plerisque nostrorum habent *inaequales.* Legendum igitur: *Uti Maeander per inaequales Labitur agros.* Hypallage est pro, inaequaliter per agros. Eadem figura dixit Horatius Epist. I. 1. 94:

Si curtatus inaequali tonsore capillos
Occurro, rides.

cujus loci indicium debeo parenti meo τῷ μακαρίτῃ. *ut* in *ubi* sexcenties abiisse, nemo nescit.

15) *piger, et steriles Amne maligno*) *piger* audit ob flexuosas et in se remeabiles aquas. Claudianus I. v. 257:

tardatusque suis erroribus Ufens.

Amne maligno, quia, ut bene Gronovius, nullum limum, quo agri foecundi fiunt, adducit, sed steriles volvit arenas. In Maeandro contra est. vide Plinium Hist. Nat. V. 29. 10. et Senecam Phoenis. v. 605.

17) *tramite laevo*) Frustra est Germanus interpres, *laevo* mutans in *scaevo*. Virgilius Aen. V. v. 170:

Radit iter laevum.

Durus Acharneus. alius rupem
Dulcis Hymetti: patrias alius
Calcet Aphidnas. pars illa diu
Vacat immunis, qua curvati
Litora ponti Sunion urget.
Si quem tangit gloria silvae,
Vocat hunc Phlyeus. hic versatur
Metus agricolis, vulnere multo
Jam notus aper. At vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas:
Teneant acres lora Molossos.

---

22) *frigora mollit Durus Acharnan)* Acarnanes, inter Aetoliam et Epirum siti, hinc remoti. Scribe: *Durus Acharneus.* *ʼΑχάρναι, δῆμος τῆς ʼΑττικῆς* notissimus, unde *ʼΑχαρνεῖς*. *Durus,* id est, laboriosus. *ʼΑνθρακεῖς* ex illis producit Aristophanes et *ἀγροίκους* vocat. *Mollit frigora*, id est, mitiora habet et praebet. Gronovius.

Emendatio certissima. Theocrit. VII. v. 71:
αὐλησεῦντι δέ μοι δύο ποιμένες· εἷς μὲν, Ἀχαρνεύς.

Nonno Dionys. XIII. v. 194. in Atheniensium copiis: *γέρων Ἀχαρνεύς.*

23) *parvas alius Calcet Aphidnas)* Legendum e vera Danielis Heinsii correctione: *patrias* Aphidnas, hoc est, ab Aphidna indigena conditas. vide Meursii Populos Atticae. *Patrius* et *parvus* frequenter commutari, ostendit Burmannus ad T. I. Anthol. Lat. p. 497.

30) *laxas canibus tacitis)* Illustrant Apuleius Met. IX. p. 203: *canes laxari, atque in eorum exitium inhortatos immitti praecipit.* et Oppianus de Venat. I. v. 449:

Et pugnaces tendant Cretes
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos (genus est audax
Avidumque ferae) nodo cautus
Propiore liga. veniet tempus,
Cum latratu cava saxa sonent:
Nunc demissi nare sagaci

ἐπεὶ μάλα θηρευτῆρσι
σιγὴ τέθμιός ἐστι, πανέξοχα δ' ἰχνευτῆρσιν.

33) *Et pugnaces tendant Cressae*) Florentinus cum Vossiano, *Cretes*, quod confirmat Gratius Cyneget. v. 212:

At vestrum non vile genus, non patria vulgo,
Sparta suos et Creta suos promittit alumnos.

postulantque *Spartani*. Nam *Cressis* fere *Spartanae* copulari solent. Claudianus XXIV. v. 300:

Hirsutaeque fremunt Cressae tenuesque Lacaenae.

Plutarchus Amator. XXI. *καὶ θηρατικὸς οὐ τοῖς ἄῤῥεσι χαίρει μόνον, ἀλλὰ καὶ Κρήσσας τρέφει καὶ Λακαίνας σκύλακας.*

37) *nodo cautus Propiore liga*) Non sunt audiendi codices, in quibus *Probiore* est invenire. Spartanos jubet arctius, adstrictius teneri.

39) *Nunc demissi nare sagaci Captent auras*) Vlitius ad Gratii Cyneget. v. 239. „scribe“ inquit „*dimissi*. Non „possunt *demissi* auras captare; quod celsis naribus „fit.“ Verum noli turbari. *captare* auras est, ducere, olfacere, quod venatici canes etiam in somnis faciunt. Lucretius IV. v. 993:

Venantumque canes in molli saepe quiete
Jactant crura tamen subito, vocesque repente

Captent auras, lustraque presso
Quaerant rostro: dum lux dubia est;
Dum signa pedum roscida tellus
Impressa tenet; alius raras
Cervice gravi portare plagas,
Alius teretes properet laqueos.
Picta rubenti linea pinna
Vano cludat terrore feras.
Tibi libretur missile telum.
Tu grave dextra laevaque simul
Robur lato dirige ferro.
Tu praecipites clamore feras
Subsessor ages: tu jam victor

Mittunt, et crebras redducunt naribus auras.
Ut vestigia si teneant inventa ferarum.

41) *dum lux dubia est*) Facit huc locus Apollonii IV. Argon. 111:

ἀγρόται, οἵ τε κύνεσσι πεποιθότες οὔποτε νύκτα
ἄγχαυρον κνώσσουσιν, ἀλευάμενοι φάος ἠοῦς,
μὴ πρὶν ἀμαλδύνῃ θηρῶν στίβον ἠδὲ καὶ ὀδμὴν
θηρείην, λευκῇσιν ἐνισκίμψασα βολῇσι.

46) *pinna Vano cludat*) Recte *pinna* habent principes editiones, non *penna*, quomodo post ediderunt. Nihil autem opus, ut cum Heinsio scribamus *ludat* pro *cludat*. vide Burmannum ad Propert. II. 15. 19.

48) *Tibi libretur missile telum*) *vibretur* in codice Ultrajectino esse memorat Burmannus ad Propert. IV. 10. 13. Sed alterum elegantius; mirumque, ni poëta respexerit illud Maronis Aen. X. v. 773.

Curvo solves viscera cultro.
Ades en comiti, Diva virago,
Cujus regno pars terrarum
Secreta vacat: cujus certis
Petitur telis fera, quae gelidum
Potat Araxen, et quae stanti
Ludit in Istro: tua Gaetulos
Dextra leones, tua Cretaeas
Sequitur cervas: nunc veloces
Figis damas leviore manu.
Tibi dant variae pectora tigres,
Tibi villosi terga bisontes,
Latisque feri cornibus uri.
Quidquid solis pascitur arvis,
Sive illud inops novit Garamas,
Sive illud Arabs divite silva,
Sive ferocis juga Pyrenes,
Sive Hyrcani celant saltus,
Vacuisque vagus Sarmata campis,

---

telum, quod missile libro.
ubi liber scriptus, *vibro;* qua varietate nihil crebrius.

55) *pars terrarum Secreta vacat*) tanquam *dominae saltuum reconditorum,* ut eam vocat Catullus XXXIV. v. 11.

56) *certis Petitur telis*) *certis telis* pro, certis praedae telis, ut plenius loquitur in Hercule Oetaeo v. 1655.

60) *tua Cretaeas Sequitur cervas*) Erravit hic noster idem, quod Virgilius Aen. IV. v. 70:

Arcus metuit, Diana, tuos.
Tua si gratus numina cultor
Tulit in saltus; retia vinctas
Tenuere feras; nulli laqueum
Rupere pedes; fertur plaustro
Praeda gementi. tum rostra canes
Sanguine multo rubicunda gerunt;
Repetitque casas rustica longo
Turba triumpho.

---

qualis conjecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia
fixit
Pastor agens telis.

ubi Heynius: „Capra forte melius a poëta fuisset me„morata, quandoquidem ex Solino c. 17. constat, „*agrum Creticum silvestrium caprarum copiosum* „*fuisse, cervo eguisse.* Adde Plin. VIII. 58. I. 83. „Excusanda tamen talia in poëta, etsi non commen„danda.“

76) *Rupere pedes)* Ex Horatio I. Od. 1. 28:
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

77) *Praeda gementi) trementi* codices quidam, nota variatione. *gementi* pro stridenti ponitur, ut apud Virgilium Georg. III. v. 183:

tractuque gementem
Ferre rotam.

et Aen. VI. v. 138:

Nec plaustris cessant vectare gementibus
ornos.

En, diva favet. signum arguti
Misere canes. vocor in silvas.
Hac, hac pergam, qua via longum
Compensat iter.

PHAEDRA, NUTRIX.

PH. O magna vasti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne litus innumerae rates
Tenuere pontum, quidquid Assyria tenus
Tellure Nereus pervius rostris secat;

---

88) *Nereus pervium rostris secat*) Lege cum Florentino:

quidquid Assyria tenus
Tellure Nereus p e r v i u s *rostris secat.*

id est, quidquid spatii ab Syria usque ad contrarias partes dividit vel interluit Nereus pervius navibus, ut Gronovius exponit. Lucan. III. v. 294:

Q u i d q u i d *ab occiduis Libye patet arida Mauris.*

Claudian. XVIII. v. 196:

q u i d q u i d *se Tigris ab Aemo*
Dividit, hoc certa proponit merce locandum.

Idem XVII. v. 57:

q u o d c u n q u e *dies devexior ambit.*

ubi hoc genus loquendi pluribus illustravit Heinsius.

Cur me in penates obsidem invisos datam,
Hostique nuptam, degere aetatem in malis
Lacrimisque cogis? profugus en conjux abest,
Praestatque nuptae, quam solet, Theseus fidem.
Fortis per altas invii retro lacus
Vadit tenebras miles audacis proci;
Solio ut revulsam regis inferni abstrahat,
Pergit furoris socius. haud illum timor,
Pudorque tenuit. stupra et illicitos toros
Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.
Sed major alius incubat moestae dolor.
Non me quies nocturna, non altus sopor
Solvere curis: alitur et crescit malum,
Et ardet intus; qualis Aetnaeo vapor
Exundat antro. Palladis telae vacant,

Verbo *secare* vero similiter usus est Priscianus in Periegesi v. 34. de Ponto:

Qui secat Aegypti terras aequorque Sabaeum.

et v. 54. de Oceano:

Persecat Hesperiam primus.

Pro eo *scindere* dicit Seneca Consolat. ad Marc. c. 18: *vinculum terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici sinu scindens.*

93) *invii retro lacus*) Heinsius malit *specus*. Vulgata confirmatur epitheto, Stygis naturam exprimente. *irremeabilem undam* de eadem dixit Virgilius Aen. VI. v. 425. ubi vide Heynium.

103) *Palladis telae vacant*) Horat. Od. III. 12. 3:

Tibi qualum Cythereae
Puer ales, tibi telas, operosaeque Minervae
Studium aufert.

Et inter ipsas pensa labuntur manus.
Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Atthidum mixtam choris,
Jactare tacitis conscias sacris faces;
Nec adire castis precibus aut ritu pio
Adjudicatae praesidem terrae Deam.
Juvat excitatas consequi cursu feras,
Et rigida molli gaesa jaculari manu.
Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?
Fatale miserae matris agnosco malum.
Peccare noster novit in silvis amor.
Genitrix, tui me miseret: infando malo
Correpta, pecoris efferi saevum ducem
Audax amasti. torvus, impatiens jugi,
Adulter ille, ductor indomiti gregis.
Sed amabat aliquid. quis meas miserae Deus,
Aut quis juvare Daedalus flammas queat?
Non, si ille remeet arte Mopsopia potens,
Qui nostra caeca monstra conclusit domo,
Promittat ullam casibus nostris opem.

---

111) *gaesa jaculari*) Quidam libri *tela*. Manifestum glossema, ut bene judicat Vlitius ad Grat. Cyneget. v. 112.

120) *Aut quis juvare*) Heinsius mavult *levare*. Sed respondent invicem *juvare* et *opem* v. 123. Ovid. Am. II. 9. 8:

non Haemonius, quem cuspide perculit, heros
Confossum medica postmodo juvit ope?

121) *arte Mopsopia potens*) pro, ille Mopsopius (Atticus) arte potens, h. e. ipse Daedalus Atheniensis, ut bene Gronovius ad Phoenis. v. 119.

Stirpem perosa Solis invisi Venus,
Per nos catenas vindicat Martis sui,
Suasque probris omne Phoebeum genus
Onerat nefandis. nulla Minois levi
Defuncta amore est. jungitur semper nefas.
NUTR. Thesea conjux, clara progenies Jovis,
Nefanda casto pectore exturba ocius:
Exstingue flammas; neve te dirae spei
Praebe obsequentem. Quisquis in primo obstitit
Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit, jugum.
Nec me fugit, quam durus, et veri insolens,

---

133) *tutus ac victor fuit*) Nihil mutandum. *fuit* enim ἀο-ρίστως graeco more sumitur, ut toties. Infra v. 249:

Pars sanitatis, velle sanari, fuit.

Med. v. 200:

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, haud aequus fuit.

Plura Hoogeveen. ad Viger. de gr. dict. idiotism. p. 206. ed. Zeun.

135) *Sero recusat ferre*) Auctor sententiae Lucretius IV. v. 1140:

— — ut melius vigilare sit, ante
— — cavereque, ne inliniaris.
Nam vitare, plagas in Amoris ne jaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, et validos Veneris perrumpere nodos.

136) *veri insolens*) Quaedam exemplaria *vere insolens.* Perperam. Sallustius apud Donatum: *insolens vera accipiundi.* Tacitus Ann. XV. 67. de Nerone: *ut fa-*

Ad recta flecti regius nolit tumor.
Quemcunque dederit exitum casus, feram.
Fortem facit vicina libertas senem.
Non ista primum est velle, nec labi via:

---

ciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quae faceret, insolens erat.

138) *Quemcunque dederit exitum casus, feram*) Gemina sunt, illud nostri Medea v. 242:

Fortuna causam, quae volet, nostram premat.

et Ciceronis Epist. ad Attic. VIII. 1: *quemcunque fors tulerit casum, subeam.*

139) *vicina libertas*) Mors, quam *servitutis fugam* vocat in Consolat. ad Marc. 1. Hinc sumsit Papinius Theb. III. v. 102:

Tu tamen egregius fati, mentisque, nec unquam
Indignum passure situm, qui cominus ausus
Vadere contemtum regis, quaque ampla veniret
Libertas sancire viam.

fortem, id est, liberum, apertum, nihil dissimulantem. Cicero in Catone §. 75: *Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est, cum illi quaerenti, qua tandem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret, respondisse dicitur, Senectute.* Val. Maximus VI. 2. 12. de A. Cascellio: *cum multa de temporibus Caesaris liberius loqueretur, amicique, ne id faceret, monerent: duas res, quae hominibus amarissimae viderentur, magnam sibi licentiam praebere, senectutem et orbitatem.* Statius Theb. III. v. 216. de Alethe:

Unde ea libertas? Juxta illi finis et aetas
Tota retro.

140) *Obstare primum est velle*) Rectius elegantiusque multo Florentinus: *Non ista primum est velle.* Sic

Pudor est secundus, nosse peccandi modum.
Quo, misera, pergis? quid domum infamem aggravas,
Superasque matrem? majus est monstro nefas.
Nam monstra fato, moribus scelera imputes.
Si, quod maritus supera non cernit loca,

---

apud Heliodorum Aethiop. VII. 21. Chariclea: *εὐκτὸν μὲν ἦν, ἔφη, καὶ κάλλιστον, μηδὲν τοιοῦτον ὑποστῆναι τὴν πάντα ἀρίστην Ἀρσάκην· εἰ δὲ μὴ, δευτέρα γοῦν ἐγκράτεια φέρειν τὸ πάθος.* et Aristaenetus Epist. I. 6. ad puellam ante nuptias vitiatam: *πλὴν ἐπεὶ τὸ πραχθὲν οὐκ ἂν ἄλλως ἔχοι, τὰ δεύτερα παραινῶ· πέπαυσο τούτων, καὶ μηδὲ περαιτέρω ἐξαμάρτανε.*

141) *nosse peccandi modum)* Forte in animo habuit locum Propertii III. 17. 3:

Vos, ubi contemti rupistis frena pudoris,
Nescitis captae mentis habere modum.

quo etiam respexisse videtur Juvenalis XIII. v. 240:

nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem?

142) *domum infamem)* ut *Danai genus infame* Horat. Od. II. 14. 19. ubi conf. Mitscherlich.

143) *majus est monstro nefas)* Visum est Heinsio rescribere: *majus es monstro nefas.* Verum aliud est fortiter loqui, aliud maledicere, libertatique differt effrenatio. Infra v. 697:

Colchide noverca majus hoc, majus malum est.

Thyeste v. 259:

Majus hoc ira est malum.

monstrum pro belluino illo matris amore. Val. Maximus I. 8. ext. 3: *cum filii ac filiae suae stupro intervenisset, inopinato monstri perculsa conspectu.* Conf. Eundem IV. 3. 6.

Tutum esse facinus credis, et vacuum metu:
Erras. teneri crede Lethaeo abditum
Thesea profundo, et ferre perpetuam Styga.
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populisque reddit jura centenis pater,
Latere tantum facinus occultum sinet?
Sagax parentum est cura. credamus tamen
Astu doloque tegere nos tantum nefas.
Quid ille rebus lumen infundens suum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans corusca fulmen Aetnaeum manu,
Sator Deorum? credis hoc posse effici,
Inter videntes omnia ut lateas avos?
Sed, ut secundus numinum abscondat favor
Coitus nefandos, utque contingat stupro
Negata magnis sceleribus semper fides:
Quid poena praesens, conscius mentis pavor,
Animusque culpa plenus, et semet timens?

---

161) *Negata magnis sceleribus*) Ovid. Her. XVII. v. 130:
Tarda solet magnis rebus inesse fides.
Quinctilian. IV. 3. 6: *difficillima est enim gravissimi cujusque sceleris fides.*

162) *consciae mentis pavor*) Optimus liber, ut olim edebatur: *conscius mentis pavor.* Val. Flaccus II. v. 281:
ipsam sed conscius ausi
Nocte dieque pavor, fraudataque turbat Erinnys.
Prudentius Cathemer. IV. v. 23:
Taetrum flagrat enim vapore crasso
Horror conscius aestuante culpa.

Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.
Compesce amoris impii flammas, precor,
Nefasque, quod non ulla tellus barbara
Commisit unquam, non vagus campis Geta,
Nec inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes.
Expelle facinus mente castifica horridum;
Memorque matris, metue concubitus novos.
Miscere thalamos patris et nati apparas,
Uteroque prolem capere confusam impio?
Perge, et nefandis verte naturam ignibus.
Cur monstra cessant? aula cur fratris vacat?
Prodigia toties orbis insueta audiet,
Natura toties legibus cedet suis,
Quoties amabit Cressa? PH. Quae memoras, scio
Vera esse, nutrix: sed furor cogit sequi
Pejora. vadit animus in praeceps sciens,
Remeatque, frustra sana consilia appetens.
Sic cum gravatam navita adversa ratem
Propellit unda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quid ratio possit? vicit ac regnat furor,

---

164) *Scelus aliqua tutum*) Eodem acumine noster Ep. 97: *tuta scelera esse possunt, secura non possunt.* 105: *Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum.* ibid. *Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.*

167) *non vagus campis Geta*) Florentinus cum Vossiano: *vagi campis Getae,* quod durius est, videturque esse ab interpolatore.

184) *Quod ratio poscit, vicit ac regnat furor*) Legendum,

Potensque tota mente dominatur Deus.
Hic Volucer omni pollet in terra potens,
Ipsumque flammis torret indomitis Jovem.
Gradivus istas belliger sensit faces;
Opifex trisulci fulminis sensit Deus;
Et, qui furentes semper Aetnaeis jugis
Versat caminos, igne tam parvo calet.
Ipsumque Phoebum, tela qui nervo regit,

---

ut habet Florentinus, et locum adduxit Valckenaer. ad Euripid. Hipp. v. 380:

Quid ratio possit? vicit ac regnat furor.

Cicero pro Cluent. §. 15: *vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Vertit in argutam sententiam Crebillon Idom. II. 3:

la raison à son gré
Ne regle pas un coeur par l' amour égaré.

186) *Hic Volucer omni regnat in terra potens*) Pro *regnat*, quod modo praecessit, cum Florentino legendum *pollet*, quo etiam illud *dominatur* superiore versu repraesentatur luculentius. Nam hoc: *omni pollet in terra*, refertur illi: *tota mente dominatur*, atque primo verbo praecedentis versus respondet ultimum sequentis; de quo repetendi genere confer Quinctilianum IX. 3. 34 et 78.

187) *Ipsumque flammis*) Vossianus cum Florentino *Laesumque*; quod correctorem redolet. Ovidius Met. V. v. 369. ad eundem:

Tu superos, ipsumque Jovem, tu numina ponti
Victa domas, ipsumque regit qui numina ponti.

Atque ita poëtae frequenter. vid. Heins. ad Virg. Aen. VII. v. 110.

Figit sagitta certior missa Puer:
Volitatque coelo pariter et terrae gravis.
NUTR. Deum esse Amorem, turpis et vitio furens
Finxit libido: quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit.
Natum per omnes scilicet terras vagum
Erycina mittit. ille per coelum volans
Proterva tenera tela molitur manu;
Regnumque tantum minimus e superis habet.
Vana ista demens animus adscivit sibi,
Venerisque numen finxit, atque arcus Dei.
Quisquis secundis rebus exsultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetit.

---

195) *vitio favens Finxit libido*) Quasi esset, quae virtuti faveret, libido. Sed nec fortiori *turpis* recte subjicitur infirmius *vitio favens*. Cod. Florentinus, Cruserianus, aliique emendatiores: *vitio furens libido.* Nihil verius. Cicero pro Cluent. §. 182. de muliere libidinis effrenatae loquens: *mulier jam non morbo, sed scelere furiosa.*

197) *Titulum furori numinis falsi addidit*) Phocylides, si quidem auctor est, Poëmatis admonitorii v. 177:

οὐ γὰρ ἔρως θεός ἐστι, πάθος δ᾽ ἀΐδηλον ἁπάντων.

Euripides Antigona VII:

τὸ μαίνεσθαι δ᾽ ἄρ᾽ ἦν ἔρως βροτοῖς.

201) *Regnumque tantum*) *Regnique tantum* concinnius videtur Heinsio. Sed in locis communibus, qualis hic est de Cupidine, non tam concinnitatis ratio, quam amplitudinis ducitur. Atqui *regnum tantum* latius atque fusius, quam *regni tantum.* Itaque praetuli.

Tunc illa magnae dira fortunae comes
Subit libido: non placent suetae dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis sinus.

---

206) *Tunc illa magnae)* Nugas agit Heinsius, locum ita refingens:

Ut illa magnae dira fortunae comes
Subiit libido: non placent suetae dapes.

Hoc est enim dicere: quum subiit libido, tum libido venit illarum rerum, quas circa libido versatur. Quo quid insulsius et alsius?

208) *Non tecta sani moris, aut vilis cibus)* De menda in vocibus *aut vilis cibus* latente consentiunt omnes, nemo tamen ulceri manum admovet. Tu lege quantocius, *aut vilis scyphus*, v. c. fagineus, qui memoratur Tibullo I. 10. 8. *Faginus adstabat cum scyphus ante dapes*, in simili descriptione. Mitscherlichius ad Horat. Od. IV. 8. 10.

Irritum et hoc remedium. Naturalis enim ordo est, ut *dapes*, *scyphus*, *tecta* dicas potius, quam *dapes*, *tecta*, *scyphus*. At Withofius, ut minima mutatione, ita verissime scripsit: *aut vilis sinus*, hoc est, vestis. Idem Seneca in Oedipo v. 423:

Inde tam molles placuere cultus
Et sinus laxi.

et hac ipsa Tragoedia v. 390:

Brevis expeditos zona constringat sinus.

Livius Andronicus Inone:

Baltheus et revocet volucres in pectore sinus.

Tibullus I. 9. 70:

Tyrio prodeat apta sinu.

Incertus Elegia in obitum Maecenatis v. 26:

Invide, quid tandem tunicae nocuere solutae?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

Sed inanem operam sumimus in hac significatione vo-

Cur in penates rarius tenues subit
Haec delicatas eligens pestis domos?
Cur sancta parvis habitat in tectis Venus,
Mediumque sanos vulgus affectus tenet,
Et se coercent modica? contra divites,
Regnoque fulti, plura, quam fas est, petunt?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.
Quid deceat alto praeditam solio, vides.
Metue, ac verere sceptra remeantis viri.
PH. Amoris in me maximum regnum fero,

---

cis illustranda post Burmannum ad Petron. c. 122. *vilis* opponitur pretiosae. Seneca de Tranquil. 1: *domestica et vilis* (vestis), *nec servata, nec sumenda sollicite.* Parmenion II. Analect. vett. Poët. Graec. p. 203:

Ἀρκεῖ μοι χλαίνης λιτὸν σκέπας, οὐδὲ τραπέζαις
δουλεύσω, Μουσέων ἄνθεα βοσκόμενος.

210) *eligens pestis domos*) *exigens* multi ex scriptis. Nihil opus est. Seneca III. de Benef. 18: *Nulli praeclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit — non eligit domum, nec censum.* Plinius Hist. Nat. XXVI. III: *Quo mirabilius quid potest reperiri? aliqua gigni repente vitia terrarum in parte certa, membrisque hominum certis, vel aetatibus, aut etiam fortunis, tanquam malo eligente, haec in pueris grassari, illa in adultis: haec proceres sentire, illa pauperes.*

218) *maximum regnum fero*) Florentinus, *puto.* Sed est purum putum glossema. Ovidius XII. Heroid. 110:

Munus in exilio quolibet esse tuli.

ubi vide Burmannum.

Reditusque nullos metuo. non unquam amplius
Convexa tetigit supera, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum.
NUTR. Ne crede Diti. cluserit regnum licet,
Canisque diras Stygius observet fores:
Solus negatas invenit Theseus vias.
PH. Veniam ille amori forsitan nostro dabit.
NUTR. Immitis etiam conjugi castae fuit.
Experta saevam est barbara Antiope manum.
Sed posse flecti conjugem iratum puta:
Quis hujus animum flectet intractabilem?
Exosus omne feminae nomen fugit;
Immitis annos caelibi vitae dicat;

---

224) *Solus negatas invenit)* Non solus invenit profecto, sed comitatus Herculem. Quid si reponimus?

Soli negatas invenit Theseus vias.

Sol enim ab inferis exclusus. Hinc is ipse apud Nasonem de Styge lib. II. Met. v. 46:

Dis juranda palus, oculis incognita nostris.

Forte etiam, *iverit*, vel *inruet vias*. Heinsius.

Nihil mutandum. Hoc vult nutricula: Theseum sua eximia et singulari virtute inventurum vias negatas, id est, reditum ex inferis locis, paucis concessum, ut bene Mitscherlich. ad Horat. Od. III. 2. 22. Praesens pro futuro Gronovius vindicavit. Huic autem simillimus est locus Herc. fur. v. 276:

aderit, et poenas petet,
Subitusque ad astra emerget: inveniet viam,
Aut faciet.

230) *feminae nomen)* Heinsius conjecit *femineum nomen*, temerata lege metri.

Connubia vitat. genus Amazonium scias.
PH. Hunc in nivosi collis haerentem jugis,
Et aspera agili saxa calcantem pede,
Sequi per alta nemora, per montes, placet.
NUTR. Resistet ille, seque mulcendum dabit,
Castosque ritus Venere non casta exuet?
Tibi ponet odium, cujus odio forsitan
Persequitur omnes? PH. Precibus haud vinci potest?
NUTR. Ferus est. PH. Amore didicimus vinci feros.
NUTR. Fugiet. PH. Per ipsa maria, si fugiat, sequar.
NUTR. Patris memento. PH. Meminimus matris simul.
NUTR. Genus omne profugit. PH. Pellicis careo metu.
NUTR. Aderit maritus. PH. Nempe Pirithoi comes.
NUTR. Aderitque genitor. PH. Mitis Ariadnae pater.
NUTR. Per has senectae splendidas supplex comas,

---

236) *Resistet ille)* Frustra Scaliger malebat: *Se sistet.* Nam *resistet* eleganter positum est pro, consistet, subsistet. confer de hac notione Schwarz. ad Plin. Paneg. X. 4.

239) *precibus haud vinci potest?)* Gruterus cum Heinsio tentabant: *precibus at vinci potest.* Sed amori sollicito atque anxio Phaedrae rogatio magis quam affirmatio convenit.

Fessumque curis pectus, et cara ubera,
Precor, furorem siste, teque ipsam adjuva.
Pars sanitatis, velle sanari, fuit.
PH. Non omnis animo cessit ingenuo pudor.
Paremus, altrix. qui regi non vult, amor
Vincatur. haud te, fama, maculari sinam.
Haec sola ratio est, unicum effugium mali.
Virum sequamur. morte praevertam nefas.
NUTR. Moderare, alumna, mentis effrenae
impetus.
Animos coerce. dignam ob hoc vita reor,
Quod esse temet autumas dignam nece.
PH. Decreta mors est. quaeritur fati genus.
Laqueone vitam finiam, an ferro incubem?
An missa praeceps arce Palladia cadam?

---

252) *haud te, fama, maculari sinam*) Annaeus colorem duxit ex Phaedrae verbis apud Nasonem Heroid. IV. v. 18:

Non ego nequitia socialia foedera rumpam.
Fama (velim quaeras) crimine nostra vacat.

253) *Haec sola ratio*) id est, remedium.

258) *quaeritur fati genus. Laqueone vitam*) Heinsius malebat distinguere:

quaeritur fati genus,
Laqueone vitam finiam, an ferro incubem.

Sed nihil mutandum. Apud eundem Senecam Oedip. v. 231. Jocasta:

Mors placet. mortis via
Quaeratur.

Utrumque provenit ex imitatione Euripidis, ita dicere facientis Helenam in ejus nominis fabula v. 305:

Pro castitatis vindice armemus manum.
NUTR. Sic te senectus nostra praecipiti sinat
Perire leto? siste furibundum impetum.
PH. Haud quisquam ad auram facile revoca-
ri potest.

θανεῖν κράτιστον· πῶς θάνοιμ' ἂν οὖν καλῶς;

261) *Pró, castitatis vindicem)* Pulcre vidit Bothius, alienam esse interjectionem, et emendavit: *Pro castitatis vindice*, ut *pro* significet *tanquam*, qui frequens est hujus praepositionis usus.

Ibid.) *armemus manum*) scilicet gladio, tanquam nobiliori mortis instrumento. Euripides Helena v. 306:

ἀσχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι,
κἂν τοῖσι δούλοις δυσπρεπὲς νομίζεται,
σφαγαὶ δ' ἔχουσιν εὐγενές τι καὶ καλόν.

ubi Barnesium vide. Eadem illa formula repetitur Agamemnone v. 209:

Quem non Achilles ense violavit fero,
Quamvis procacem torvus armasset manum.

Unum ex tribus hisce fati generibus eligentium plura exempla congessit Pricaeus ad Apuleii Met. IV. p. 79.

264) *[Haud facile quisquam ad vitam revocari potest]* Hunc versum, tanquam πονηροῦ κόμματος, Scaliger ὀβελίζει, neque ad sententiam quicquam facere, neque a bono Poëta esse. Sane in metro peccatum agnosco. Sensu autem et phrasi, modo, ut oportet, Phaedrae detur, adeo aptus est et scitus, ut propemodum sequentem ei subjectum putem. Nam illud, *revocare ad vitam*, non est hominis Latine imperiti, quippe inter praecipua veterum officia. Suetonius Octavio cap. 53. *Gallum Terrinium senatorem, minus sibi familiarem, sed captum repente oculis, et ob id*

Prohibere ratio nulla periturum potest,
Ubi qui mori constituit, et debet mori.

---

inedia mori destinantem, praesens consolando revocavit ad vitam. Ubi miratus quidam, quomodo lumine tantummodo captum, nondum mortuum, ad vitam revocarit, *vivere* hic est, ait, sine ulla animi aut corporis laesione vivere. Immo *vita* simpliciter hic est aura vesci, et hoc officium praestitit Augusti humanitas, quod solebant amicissimis: ut inter alios Tiberius Cocceio Nervae apud Tacitum Annal. 6, 26. Cicero lib. 9. ad Attic. epist. 6. *Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me manus abstineam.* Idem lib. I. ad Quintum ep. 9. *Testor omnes deos, me hac una voce a morte revocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuae vitae repositam esse dicebant.* Nempe deterritum, ne me occiderem. Lib. I. Tuscul. *Hegesiae liber est Ἀποκαρτερῶν, quod a vita quidam per inediam discedens, revocatur ab amicis.* Plinius lib. I. epist. 12. *destinasse Corellium mori: nec aut suis aut filiae precibus flecti: solum superesse me, a quo revocari posset ad vitam.* Curtius lib. 8. de Callisthene et Alexandro: *a quo revocatus ad vitam erat, quum interfecto Clito mori perseveraret.* Seneca 3. Benef. 9. *Et quos desiderabat, volentem sequi, ad vitae consilium reduxisse.* His omnibus inducor, ut versum illum ab homine vulgari factum negem. Et sane exstat integer in Florentino, non minus quam alter, nonnihil tamen vocibus transpositis, ut et in Vossiano: *Haud quisquam ad vitam facile revocari potest.* Seneca nihilominus haud sic in metrum peccavit. An fuit: *Haud facile quisquam a morte revocari potest?* An, *Haud facile cuiquam vita rev.* Dispiciendum. Versu 266. liber optimus: *Ubi qui mori,* quod et suo exemplari adscripserat Grotius. Nolo

NUTR. Solamen annis unicum fessis, hera,
Si tam protervus incubat menti furor,

---

me esse temerarium, aut mea sensa pro sensis Senecae legi: sed si quis haberet liber vetus, valde probarem: *Ph. Ad vitam honesta facile revocari potest. Prohibere ratio nulla moriturum valet, Ubi, qui mori constituit, et debet mori. Proin castitatis vindicem armemus manum.* Matrona, inquit, cui constat suus pudor, si incidat causa, cur mori velit, facile admittit blandimenta vitae. Exemplo sunt Plancina Pisonis, et melior Senecae Paullina apud Tacitum. At si ille, vel si vir sit, qui constituit mori, ob susceptum facinus etiam dignus est morte, quae ratio possit eum retinere in vita? Sequitur commodissime: *Proin castitatis.* Talis cum ego sim meo ipsius judicio, quid restat, nisi ut manum adversus me armem. Gronovius.

Legendum, ut edidimus:

Phaed. Haud quisquam ad auram facile revocari potest.

pro *vitam,* quae est interpretatio exquisitioris vocis. *auram* intellige vitalem, aetheriam. Virgilius Aen. III. v. 339:

Quid puer Ascanius; superatne, et vescitur aura?

Loquitur autem *Phaedra,* cujus dicto finitimum est illud Dejanirae in Herc. Oet. v. 922:

Frustra tenetur ille, qui statuit mori.

Alterum, inquit, difficile potest, alterum nullo modo potest. Sic in Thyeste v. 200:

flecti non potest, frangi potest.

Quinctilianus Inst. Or. X. 5. 7. *contendere nobiscum possumus, cum aliis non possumus.* Idem

Contemne famam. fama vix vero favet,
Pejus merenti melior, et pejor bono.
Tentemus animum tristem et intractabilem.
Meus iste labor est, aggredi juvenem ferum,
Mentemque saevam flectere immitis viri.

CHORUS.

Diva, non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Impotens flammis simul et sagittis,
Iste lascivus puer et renidens
Tela quam certo moderatur arcu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.

Declam. 17. *pro patre mori possum, coram patre non possum.* Locutio *revocare ad vitam* fluxit a Lucretio III. v. 469:

neque exaudit voces, nec noscere vultus
Illorum potis est, ad vitam qui revocantes
Circumstant, lacrumis rorantes ora, genasque.

276) *Impotens*) refer ad vehementem Dei vim, quae felicem brevis quidem, sed venusti carminis materiam Auctori praebuit Octaviae v. 806 sqq.

277) *et renidens*) Recte *et* habent codices plerique Delriani, praeterea Vossianus et princeps omnium Florentinus; idque recepi pro *ac*, quod editionibus adhaesit ex illo nugatorio, per Lipsium expulso, *acre nitens*. Verbum *renidere* de arroganti risu dici, notum est.

280) *Igne furtivo populante venas*) Imitatur Virgilium Aen. IV. v. 2:

Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tacitas penitus medullas.
Nulla pax isti puero. per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.
Quaeque nascentem vidit ora Solem,

Vulnus alit venis, et coeco carpitur igni.

de quo non cogitabat Heinsius, *furtivo* mutans in *furtivas.*

281) *Non habet latam data plaga frontem)* Heinsius malebat *rata plaga;* quod verbum ei fuit in deliciis. *plaga* vulnus est. Atqui Virgilius Aen. X. v. 733:

fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta coecum dare cuspide vulnus.

latam frontem habet, conspicitur, advertit, sub oculos cadit.

282) *tectas penitus medullas)* Aut *coecas medullas* legendum, aut *tactas*, vel *tacitas.* et sane dactylum spondei loco hac sede Annaeus non insolens admittit in choris. sic paullo post Florentinus liber, *Quaeque ad Hesperias jacet ora metas.* Lucanus libro V. v. 812. ut meliores scripti, et eos secutus Grotius:

Nam quamvis flamma tacitas urguente medullas,
Non juvat in toto corpus jactare cubili.

ubi simili modo *tectas medullas* inculcarunt. sic *tacitae sub gurgite fraudes* lib. IV. vs. 465. Petronius cap. 119:

Veluti tabes tacitis concepta medullis.

Prudentius lib. I. contra Symmachum v. 538:

Consuerant tacitis pestem miscere medullis.

Heinsius.

Recepi correctionem *tacitas.*

Quaeque ad Hesperias jacet ora metas,
Si qua ferventi subjecta Cancro est,
Si qua Parrhasiae glacialis Ursae
Semper errantes patitur colonos,
Novit hos aestus. juvenum feroces
Concitat flammas: sensibusque fessis
Rursus exstinctos revocat calores:
Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et jubet coelo Superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phoebus pecoris magister
Egit armentum, positoque plectro
Impari tauros calamo vocavit.
Induit formas quoties minores
Ipse, qui coelum nebulasque ducit?
Candidas ales modo movit alas,
Dulcior vocem moriente cygno.
Fronte nunc torva petulans juvencus
Virginum stravit sua terga ludo,
Perque fraternos nova regna fluctus,
Ungula lentos imitante remos,
Pectore adverso domuit profundum;
Pro sua vector timidus rapina.
Arsit obscuri Dea clara mundi
Nocte deserta, nitidosque fratri
Tradidit currus aliter regendos.

---

300) *coelum nebulasque ducit*) id est, regit. In Florentino *coelum nebulasque fecit*, quod Monachi, de rerum opifice cogitantis, manum olet.

Ille nocturnas agitare bigas
Discit, et gyro breviore flecti.
Nec suum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeavit ortu,
Dum tremunt axes graviore curru.
Natus Alcmena posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis;
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu, clavam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso.

---

321) *distinctio religavit auro*) Heinsius legendum conjicit:

Crura distento religavit auro.

distendi periscelidas Omphales fuisse necesse, utpote non capientes Herculis crura immensa illa. Quorsum advocat illud ab Ovidio dictum Fast. II. v. 223. in eadem fabula:

Fregerat armillas non illa ad brachia factas;
Scindebant magni vincula parva pedes.

Hoc tamen socco quam cothurno dignius videtur. Utcunque sit, nihil mutandum est, cum Seneca per *distinctum aurum* intelligat purum, *ἄπεφθον, εἰλικρινῆ χρυσόν.* Nam, ut ait Pindarus Nem. IV. v. 133:

ὁ χρυσὸς ἑψόμενος
αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας.

Sed falsi sunt interpretes, qui ad cothurnos haec trahunt. De periscelidibus bene cepit unus Heinsius, quem vide sis ad Ov. Her. XXI. v. 89. et Ferrarium in Analect. de re vestiar. c. 21. p. 71.

Vidit Persis, ditique ferox
Lydia regno, dejecta feri
Terga leonis, humerisque, quibus
Sederat alti regia coeli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.
Sacer est ignis, (credite laesis)
Nimiumque potens. qua terra salo
Cingitur alto, quaque aetherio
Candida mundo sidera currunt;
Hic regna tenet puer immitis:

---

325) *ditisque ferax Lydia regni)* Florentinus: *ditique ferax Lydia regno.* Lege: *ditique ferox Lydia regno,* quod firmatur imitatione Claudiani XXIV. v. 61:

Quae sic aurifero Pactoli fonte tumescit
Lydia, cum domitis apparuit Evius Indis.

Accius apud Nonium IV. 192. *Neque vi tanta quisquam est, neque tam abundans fortunis ferox.* Ibidem: *Ferox sum illa re, ut illa re sum fretus, vel arrogans. ferax* est ex solenni librariorum aberratione, de qua vide Criticos ad Ov. Met. VI. v. 416. et ad Sil. VII. v. 211.

330) *Sacer est ignis)* Huc facit illud Plutarchi lib. Amator. XI. οὐδὲν οὖν ἄτοπον, εἰ καὶ ψυχῆς τὸ μανικώτατον πάθος καὶ μέγιστον ἱερὸν καὶ θεῖον ἔνιοι προσαγορεύουσιν.

332) *quaque aetherio Candida mundo)* In Florentino et Melisseo codice legitur: *quaque per ipsum Candida mundum.* Hoc vero fluxit ab iis, qui nesciebant *mundum* pro coelo dici. Tibullus III. 4. 17:

Jam nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum caeruleo laverat amne rotas.

ubi vide Interpretes.

334) *Hic regna)* Vulgo, *Haec;* id corrigendum monuit

Spicula cujus sentit in imis
Caerulus undis grex Nereidum,
Flammamque nequit relevare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instinctus suscipit audax

Valckenaer. ad Euripid. Hipp. v. 474. in *Hic*: et sic habent jam edd. princeps ac Lugdunensis anni 1491. inque libro Pintiano reperit Delrius. Quanquam res etiam sine libris patet.

336) *Caerulus undis grex*) Burmannus ad T. II. Anthol. Lat. p. 703. forte, inquit, emendandum: *Caerulus undis rex Nereidum*, ut Neptunus intelligatur; nam sequi mox *grege pro toto*. Sed pejus repetitione malum est epitheton ignavum et iners; quale foret *caerulus*, si pro *grex* legeretur *rex*. Nec semper mutandae voces, etsi brevi intervallo repetantur. Monuit hoc Burmannus major ad Val. Flac. II. v. 254.

339) *instincti quam magna gerunt*) Florentinus, Vossianus, Raphelengianus, tres ex Delriis, aliique complures:

Venere instinctus suscipit audax
Grege pro toto bella juvencus.

quod praestat. Sic enim fit, ut bellorum, quae geruntur, pericula quoque cogites. *Audacem* facit amor. Prae oculis nostro fuere bina Nasonis loca, Met. IX. v. 46:

Non aliter fortes vidi concurrere tauros,
Cum pretium pugnae toto nitidissima saltu
Expetitur conjux. Spectant armenta paventque
Nescia, quem maneat tanti victoria regni.

et Amor. II. 12. 26:

Vidi ego pro nivea pugnantes conjuge tauros:
Spectatrix animos ipsa juvenca dabat.

Grege pro toto bella juvencus.
Si conjugio timuere suo,
Poscunt timidi proelia cervi;
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, et toto est spumeus ore.
Poeni quatiunt colla leones,
Cum movit amor. tum silva gemit
Murmure saevo.
Amat insani bellua ponti
Lucaeque boves. vindicat omnes
Natura sibi. nihil immune est.
Odiumque perit, cum jussit amor:
Veteres cedunt ignibus irae.
Quid plura canam? vincit saevas
Cura novercas.

Caeterum veteres editiones non, quo decet, loco distinguunt, sed ante *Poscunt* v. 342. ut scias, quid occasionem interpolandi praebuerit.

ACTUS SECUNDUS.

CHORUS, NUTRIX, PHAEDRA.

CHOR. Altrix, profare, quid feras? quonam in loco est
Regina? saevis ecquis est flammis modus?
NUTR. Spes nulla, tantum posse leniri malum;
Finisque flammis nullus insanis erit:
Torretur aestu tacito, et inclusus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor,
Erumpit oculis ignis, et lapsae genae
Lucem recusant. nil idem dubiae placet;
Artusque varie jactat incertus dolor.

---

364) *lapsae genae*) id est, emaciatae. Praeter Gronovium ad h. l. vide Pricaeum ad Apuleii Met. X. p. 210.

366) *Artusque varie jactat incertus dolor*) Heinsius malebat: *Artusque varie jactat incertos dolor.* Sed tuetur vulgatam similis nostri de Dejanira locus in Herc. Oet. v. 253:

nunc inardescunt genae,
Pallor ruborem pellit, et formas dolor
Errat per omnes. queritur, implorat, gemit.

Nunc ut soluto labitur moriens gradu,
Et vix labante sustinet collo caput.
Nunc se quieti reddit; et somni immemor
Noctem querelis ducit; attolli jubet,
Iterumque poni corpus; et solvi comas;
Rursusque fingi. semper impatiens sui
Mutatur habitus. nulla jam Cereris subit

Artus varie jactatos nec omisit Apuleius in ejusdem ἀῤῥωστήματος descriptione Met. X. p. 210: *Jam cetera salutis vultusque detrimenta et aegris et amantibus ex amussim convenire, nemo est qui nesciat. pallor deformis, marcentes oculi, lapsa genua, quies turbida, et suspiritus cruciatus tarditate vehementior. Crederes et illam fluctuare tantum vapore febrium: nisi quod et flebat. Heu medicorum ignarae mentes! quid venae pulsus, quid caloris intemperantia, quid fatigatus anhelitus, et utrimque secus jactatae crebriter laterum mutuae vicissitudines?* Compares et Ov. Met. X. v. 370 sqq.

373) *Mutatur habitus)* Similis impatienter amantis descriptio occurrit apud Plautum Cistellar. II. i. 5:

Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nubilam mentem
Animi habeo. ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet, non lubet jam id continuo.
Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, lactat, largitur: quod dat, non dat: deludit:
Modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.

Cura, aut salutis. vadit incerto pede,
Jam viribus defecta. non idem vigor,
Non ora tingens nivea purpureus rubor.
Populatur artus cura. jam gressus tremunt;
Tenerque nitidi corporis cecidit decor.
Et qui ferebant signa Phoebeae facis,
Oculi nihil gentile nec patrium micant.
Lacrimae cadunt per ora, et assiduo genae
Rore irrigantur: qualiter Tauri jugis
Tepido madescunt imbre percussae nives:
Sed, en, patescunt regiae fastigia:
Reclinis ipsa sedis auratae toro,
Solitos amictus mente non sana abnuit.
PH. Removete, famulae, purpura atque auro illitas
Vestes: procul sit muricis Tyrii rubor,
Quae fila ramis ultimi Seres legunt:

---

376) *ora tingens nitida*) Ne *nitida* et *nitidi* sibi occurrant intra tres versus, scribe cum Marklando ad Stat. I. Silv. 2. 20:

Non ora tingens nivea purpureus rubor.

quod ipse confirmat ex loco nostri Med. v. 100. ubi de Creusa dicitur:

Ostro sic niveus puniceo color
Perfusus rubuit.

ut apud Ovidium Her. XX. v. 120. de Cydippe:

subest niveo laetus in ore rubor.

niveus et *nitidus* centies in Mss. confundi, satis constat.

389) *Quae fila ramis*) Ante oculos erat Virgilius Georg. II. v. 121:

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Brevis expeditos zona constringat sinus.
Cervix monili vacua; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis sparsus Assyrio vacet:
Sic temere jactae colla perfundant comae
Humerosque summos; cursibus motae citis
Ventos sequantur. laeva se pharetrae dabit;
Hastile vibret dextra Thessalicum manus.
Talis severi mater Hippolyti fuit.
Qualis, relictis frigidi ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Tanaitis, aut Maeotis, et nodo comas
Coegit emisitque, luna talatus
Protecta pelta; talis in silvas ferar.
NUTR. Sepone questus. non levat miseros dolor,
Agreste placa virginis numen Deae.

---

392) *Deducat aures*) A quibusdam *Diducat* legitur, sed male. Idem Herc. Oet. v. 661:

Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda.

398) *Talis severi mater*) Heinsius versum hunc existimat spurium, ac proinde tollendum. Sed retinendus est, quippe monstrans, quae sit intelligenda *Tanaitis aut Maeotis* v. 401. Tuetur etiam Valckenaer ad Eurip. Hipp. v. 220. contentus mutare *Talis* in *Qualis*. Hoc facilius probaverim. Scenae tamen aptior Grotii Gronoviique ratio, sequenti versu pro *Qualis* reponentium *Talis*. Atque ita legerem, si quid novandum putarem.

405) *Agreste placa virginis numen*) Simillimus est locus Apuleii Met. V. p. 105. ubi Pan his Psychen monet

Regina nemorum, sola quae montes colis,
Et una solis montibus coleris Dea,
Converte tristes ominum in melius minas.
O magna silvas inter et lucos Dea,
Clarumque coeli sidus, et noctis decus,
Cujus relucet mundus alterna face,
Hecate triformis, en ades coeptis favens,
Animum rigentem tristis Hippolyti doma.
Amare discat, mutuos ignes ferat.
Det facilis aures. mitiga pectus ferum.
Innecte mentem. torvus, aversus, ferox,
In jura Veneris redeat. huc vires tuas
Intende. sic te lucidi vultus ferant,

---

verbis: *Ergo mihi ausculta: nec te rursus praecipitio, vel ullo mortis accersito genere perimas. Luctum desine, et pone moerorem, precibusque potius Cupidinem Deorum maximum percole; et, utpote adolescentem delicatum luxuriosumque, blandis obsequiis promerere. Sic locuto Deo pastore, nulloque sermone reddito, sed adorato tantum numine salutari, Psyche pergit ire.*

408) *tristes ominum*) Primae editiones *omnium*, quod emendavit Canterus Var. Lect. II. 22.

411) *mundus alterna face*) Florentinus *alterna vice*, cui quo jure faveat Drakenborch. ad Sil. XV. v. 812. videant alii. Nam *vice* nihil *relucet*. Frequens autem est, *facere relucere*, vel *igni*. Vide modo Virg. Aen. II. v. 312. et Claudian. XXXVI. v. 325.

412) *en ades*) Pro *en* Florentinus habet *an*, quod librarii vitium est. Heinsii *eia ades*, et temerarium videtur, et agitatius, quam pro persona vetulae.

Et nube rupta cornibus puris eas.
Sic te, regentem frena nocturni aetheris,
Detrahere nunquam Thessali cantus queant;
Nullusque de te gloriam pastor ferat.
Ades invocata. jam faves votis, Dea.
Ipsum intuor solemne venerantem sacrum,
Nullo latus comitante. quid dubitas? dedit
Tempus locumque casus. utendum artibus.
Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
Audere. verum justa, qui reges timet,
Deponat; omne pellat ex animo decus.

---

426) *utendum artibus)* Intelligit artes magicas. Eadem apud Euripidem Hipp. v. 481:

ἦ τ᾽ ἄρα γ᾽ ὀψέ γ᾽ ἄνδρες ἐξεύροιεν ἄν,
εἰ μὴ γυναῖκες μηχανὰς εὑρήσομεν.

Ibidem v. 680. Chorus:

φεῦ, φεῦ· πέπρακται, κοὐ κατώρθωνται τέχναι,
δέσποινα, τῆς σῆς προσπόλου.

Itaque frustra est Heinsius, qui emendat: *utendum datis*, nempe tempore et loco.

428) *justa, qui reges timet, Deponat)* Heinsius conjicit:

jussu qui regis timet,
Deponat omne et pellat ex animo decus.

praeter necessitatem. *justa deponat*, id est, non ullum habeat justi respectum et aequi. Auctor Octaviae v. 759:

Ner. Jussisque nostris pareant. Sen. Justa impera.
Ner. Statuam ipse.

Copulam *et* inserenti liber quidem unus alterque favet. Sed *ἀσύνδετον* efficacius.

Malus est minister regii imperii pudor.

HIPPOLYTUS, NUTRIX.

HIPP. Quid huc seniles fessa moliris gradus,
O fida nutrix, turbidam frontem gerens,
Et moesta vultus? sospes est certe parens,
Sospesque Phaedra, stirpis et geminae jugum.
NUTR. Metus remitte. prospero regnum in statu est,
Domusque florens sorte felici viget.
Sed tu beatis mitior rebus veni:
Namque anxiam me cura sollicitat tui,
Quod te ipse poenis gravibus infestus domas.

---

430) *Malus est minister*) Sententia gemina dixit Silius XIV. v. 93:

vilissima regi
Cura pudor.

434) *stirpis et geminae jugum*) Id est, duo filii, quos ex Theseo pepererat Phaedra, Demophoon nempe et Antigonus, ut bene accepit Burmannus ad T. I. Anthol. Lat. p. 605.

439) *Quod te ipse poenis gravibus infestus domas*) Mallet quidem Heinsius:

Namque anxiam me cura sollicitat tui.
Quo te ipse poenis gravibus infestus domas?

Sed rotunda illa leniterque labentia gratiae, quam quaerit lena, plus habent. *poenis*, id est, cruciatibus et doloribus; quod, monente Gesnero ad Quin-

Quem fata cogunt, ille cum venia est miser.
At si quis ultro se malis offert volens,
Seque ipse torquet, perdere est dignus bona,
Queis nescit uti. potius annorum memor
Mentem relaxa. noctibus festis facem
Attolle. curas Bacchus exoneret graves.
Aetate fruere. mobili cursu fugit.

---

ctilian. VI. Prooem. 31. illa aetate satis frequens. *domas*, *δαμᾷς*. Homerus Od. IV. v. 244. de Ulysse:

αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας.

440) *Quem fata cogunt)* Sententiae auctor Sophocles. Philoctet. v. 1316:

ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν
τύχας δοθείσας ἔστ' ἀναγκαῖον φέρειν·
ὅσοι δ' ἑκουσίοισιν ἔγκεινται βλάβαις,
ὥσπερ σὺ, τούτοις οὔτε συγγνώμην ἔχειν
δίκαιόν ἐστιν, οὔτ' ἐποικτείρειν τινά.

441) *ultro se malis offert volens)* *ultro* et *volens* etiam alii junxerunt, ut Apuleius Met. II. p. 24. *ut etiam ultro gestirem tali magisterio me volens ampla cum mercede tradere.*

444) *noctibus festis facem)* Ad Comum invitatur, cujus indices saltationes et faces. Ipse Hippolytus apud Euripidem Hipp. v. 106:

οὐδείς μ' ἀρέσκει νυκτὶ θαυμαστὸς θεῶν.

facem attolle, ritu Bacchantium. Euripides Ione v. 716:

Βάκχος ἀμφιπύρους ἀνέχων
πεύκας.

446) *mobili cursu fugit)* Theognis v. 979:

αἶψα γὰρ, ὥστε νόημα, παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη·
οὐδ' ἵππων ὁρμὴ γίγνεται ὠκυτέρη,

Nunc facile pectus, grata nunc juveni Venus.
Exsultet animus. cur toro viduo jaces?
Tristem juventam solve. nunc cursus rape.
Effunde habenas. optimos vitae dies
Effluere prohibe. propria descripsit Deus
Officia, et aevum per suos ducit gradus.
Laetitia juvenem, frons decet tristis senem.
Quid te coerces, et necas rectam indolem?
Seges illa magnum foenus agricolae dabit,
Quaecunque laetis tenera luxuriat satis:
Arborque celso vertice evincet nemus,

αἵ τέ περ ἄνδρα φέρουσι δορυσσόον ἐς πόνον ἀνδρῶν
λάβρως, πυροφόρῳ τερπόμεναι πεδίῳ.

449) *Tristem juventam solve)* hoc est, tristitiae nubem, a juventa tua alienam, dispelle, ut interpretatur Mitscherlichius, hunc locum comparans ad Horat. Epod. XIII. v. 5.

Ibid.) *nunc luxus rape)* Princeps liber *cursus*, idque ratio postulat, cum sequatur: *Effunde habenas.* Lucretius IV. v. 1189. de muliere.

communia quaerens
Gaudia, solicitat spatium decurrere amoris.

Varro Satyra Menippea, quae inscribitur *Vae Victis: Properate vivere puerae, quas sinit aetatula ludere, amare et Veneris tenere bigas.* Frequens autem est, *rapere cursum.* Lucanus V. v. 403:

Inde rapit cursus.

Claudianus XVIII. v. 375:

Sic effata rapit caeli per inania cursum.

Hac ipsa tragoedia v. 738:

Ocior cursum rapiente flamma.

Quam non maligna caedit aut resecat manus.
Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Truculentus, et silvester, et vitae inscius,
Tristem juventam Venere deserta colis.
Hoc esse munus credis indictum viris,
Ut dura tolerent? cursibus domitent equos,
Et saeva bella Marte sanguineo gerant?
Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati manus,
Ut damna semper sobole repararet nova.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quae supplet ac restituit exhaustum genus;

---

461) *Truculentus et silvester*) Talis et Atalanta describitur Aeliano Var. Hist. XIII. 1. *ἀῤῥενωπὸν δὲ καὶ γοργὸν ἔβλεπε. τοῦτο μὲν καὶ ἐκ τῆς θηρίου τροφῆς, ἐπεὶ καὶ θυμοειδὴς ἦν, ἤδη δὲ καὶ τῶν ἐν τοῖς ὄρεσι γυμνασίων.*

467) *Rapaces cerneret fati minas*). Florentinus, ut voluit Pricaeus ad Apuleii Met. XI. p. 329. *fati manus.* Recte vero. Tibullus I. 3. 4:

Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus.

Hesiodus in Scut. Herc. v. 255. de Parcis:

ὃν δὲ πρῶτον μεμάποιεν
κείμενον ἢ πίπτοντα νεούτατον, ἀμφὶ μὲν αὐτῷ
βάλλ' ὄνυχας μεγάλους· ψυχὴ δ' ἄϊδόςδε κατεῖεν.

470) *exhaustum genus*) Euripides in Oedipi Fragmento XVII:

τὴν Ἀφροδίτην οὐχ ὁρᾷς, ὅση θεός;
ἣν οὐδ' ἂν εἴποις, οὐδὲ μετρήσειας ἂν,
ὅση πέφυκε κἀφ' ὅσον διέρχεται.

Orbis jacebit squallido turpis situ;
Vacuum sine ullis classibus stabit mare;
Alesque coelo deerit, et silvis fera;
Solis et aër pervius ventis erit.
Quam varia leti genera mortalem trahunt
Carpuntque turbam, pontus, et ferrum, et doli!
Sed fata credas deesse; sic atram Styga
Jam petimus ultro. caelibem vitam probet
Sterilis juventus, hoc erit, quidquid vides,
Unius aevi turba, et in semet ruet.
Proinde vitae sequere naturam ducem;
Urbem frequenta, civium coetus cole.
HIPP. Non alia magis est libera, et vitio carens,
Ritusque melius vita quae priscos colat,
Quam quae relictis moenibus silvas amat.
Non illum avarae mentis inflammat furor,
Qui se dicavit montium insontem jugis:

αὕτη τρέφει σὲ κἀμὲ καὶ πάντας βροτούς.
τεκμήριον δὲ μὴ λόγῳ μόνον μάθῃς,
ἔργῳ δὲ δείξω τὸ σθένος τὸ τῆς θεοῦ.
ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅτ' ἂν ξηρὸν πέδον
ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ·
ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο.
ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταυτὸν δύο,
τίκτουσιν ἡμῖν πάντα, κἀκτρέφουσ' ἅμα,
ὅθεν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

Plutarchus Amatorii libri V. τὸν γαμήλιον ἐκεῖνον καὶ συνεργὸν ἀθανασίας τῷ θνητῷ γένει, σβεννυμένην ἡμῶν τὴν φύσιν εὐθὺς ἐξανάπτοντα διὰ τῶν γενέσεων.

Non aura populi, et vulgus infidum bonis,
Non pestilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno servit; aut regno imminens,
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes;
Spei metusque liber. haud illum niger
Edaxque livor dente degeneri petit.
Nec scelera populos inter atque urbes sata
Novit; nec omnes conscius strepitus pavet.
Haud verba fingit, mille non quaerit tegi

Plura veterum circa eundem sensum dicta collegit Pricaeus ad Apuleii Met. XI. p. 239.

494) *scelera populos inter atque urbes sita*) *sata* edi jussimus ex Heinsii correctione. Id est, genita. Cicero pro Rosc. Amer. §. 75. *In urbe luxuries creatur: ex luxuria existat avaritia necesse est: ex avaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignantur.* In eandem partem disputat Fredericus II. Op. T. 2. p. 166. *La malice du coeur humain, qui semble engourdie dans la solitude, se ranime dans le grand monde: et si le commerce des hommes, qui assortit les caractères les plus ressemblans, fournit des compagnons aux gens vertueux, il donne également des complices aux scelerats. Les desordres s' accrurent dans les villes; de nouveaux vices prirent naissance* etc.

496) *Haud verba fingit*) Quidam distinguunt: *Haud verba fingit mille. non quaerit* etc. Sed male. *verba fingit*, id est, ficte et simulate loquitur, aliud dicit ac sentit. Attius in Agamemnonidis:

Multi, animus quorum atroci cinctus malitia est,
Composita dicta e pectore evolvunt suo,
Quae cum componas, dicta factis discrepant.

Virgilius Aen. IX. v. 602:

Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulixes.

Dives columnis; nec trabes multo insolens
Suffigit auro. non cruor largus pias
Inundat aras; fruge nec sparsi sacra
Centena nivei colla submittunt boves:
Sed rure vacuo potitur, et aperto aethere
Innocuus errat, callidas tantum feris
Struxisse fraudes novit; et fessus gravi
Labore, niveo corpus Ilisso fovet.
Nunc ille ripam celeris Alphei legit:
Nunc nemoris alti densa metatur loca,
Ubi Lerna puro gelida pellucet vado;
Sedemque mutat. heic aves querulae fremunt,

Propertius II. 7. 69:

Sed vobis facile est verba et componere fraudes.

498) *Suffigit auro*) Unus codex *Suffulcit*, ex interpolatione, opinor. Certe *Suffigit* exquisitius est, quam ut a librario aberrante ortum videatur; et sic dixit Plinius Hist. Nat. XXXIII. XIV. *aureis clavis suffigere crepidas.*

504) *niveo corpus Ilisso fovet*) Rutgersius Var. Lect. VI. 17. malebat *vivo.* Sed frustra. *niveus* purum et nitidum denotat. Sic Martialis VII. 31. 11:

curris niveas tantum prope Virginis undas.

et similiter Coluthus v. 226:

αὐτὰρ ὅ χιονέοιο λοεσσάμενος ποταμοῖο.

Ilissi vero primam ancipitem esse, docuerunt Barthius ad Stat. Theb. IV. v. 53. et Schraderus ad Avien. Descript. Orb. Ter. v. 585. ne quem dubium reddant codices, *iliso, eliso*, *in rivo*, et alia praeferentes.

Ramique ventis lene percussi tremunt,
Veteresque fagi, juvit aut amnis vagi
Pressisse ripas, caespite aut nudo leves
Duxisse somnos, sive fons largus citas
Defundit undas; sive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.
Excussa silvis poma compescunt famem:
Et fraga, parvis vulsa dumetis, cibos
Faciles ministrant. regios luxus procul
Est impetus fugisse. sollicito bibant

---

509) *Ramique ventis lene percussi tremunt*) Heinsius, arboris nomen desiderans, conjicit *Platani*, vel *Ornique*, vel,

Alnique ventis lene percussae tremunt
Veteresque fagi.

adducitque ex Claudiano (X. v. 68):

Et platani platanis, alnoque assibilat alnus.

Ego, codicum fidem secutus, *rami veteresque fagi* accipio per Hendiadyn pro, rami veterum fagorum: qua figura nihil frequentius apud Senecam. vide ad Thyest. v. 833. Totus autem hic locus manifesta imitatione expressus est ex Horatio, Epod. II. v. 23:

Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae;
Queruntur in silvis aves;
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

513) *Defundit undas*) *Defundit* pro *Diffundit* praeter Gronovium ad h. l. vindicavit etiam Wakefieldus ad Lucret. IV. v. 88.

518) *sollicito bibant Auro superbi*) Huc pertinet illud Juvenalis X. v. 25:

Auro superbi. quam juvat nuda manu
Captasse fontem! certior somnus premit
Secura duro membra versantem toro.
Non in recessu furta et obscuro improbus
Quaerit cubili, seque multiplici timens
Domo recondit: aethera ac lucem petit,
Et teste coelo vivit. hoc equidem reor

---

nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.

520) *certior somnus*) hoc est, securior, tranquillior somnus. Idem Herc. Oet. v. 644:

Cespes Tyrio mollior ostro,
Solet impavidos ducere somnos.

et Epist. 90. *Illi, quos aliquod nemus densum a sole protexerat, qui adversus saevitiam hiemis, aut imbris, vili receptaculo tuti sub fronde vivebant, placidas transigebant sine suspirio noctes. Sollicitudo nos in nostra purpura versat, et acerrimis excitat stimulis: at quam mollem somnum illis dura tellus dabat!*

522) *furta et obscuro improbus Quaerit cubili*) Male quidam in Bibliotheca literarum elegantiorum artiumque liberalium Vol. 23. P. 1. p. 96. interpretatur: Non timet fures in cubili delitescentes. *furta quaerit*, id est, dolos fraudesque meditatur. Plinius Hist. Nat. XXXIII. 6. *Quapropter id furtum quaerentes, ovi liquore candido usum illum adulteravere, mox et hydrargyro.* Conf. de hac significatione vocis Donat. ad Terent. Eun. IV. 7. 39.

525) *teste coelo vivit*) Huc respexisse videtur Prudentius Cathemer. II. v. 27:

Nec teste quisquam lumine
Peccare constanter potest.

Vixisse ritu, prima quos mixtos Deis
Profudit aetas. nullus his auri fuit
Caecus cupido. nullus in campo sacer
Divisit agros arbiter populis lapis.
Nondum secabant credulae pontum rates:
Sua quisque norat maria. non vasto aggere
Crebraque turre cinxerant urbes latus.
Non arma saeva miles aptabat manu;
Nec torta clusas fregerat saxo gravi
Balista portas; jussa nec dominum pati
Juncto ferebat terra servitium bove:
Sed arva per se foeta poscentes nihil
Pavere gentes. silva nativas opes,
Et opaca dederant antra nativas domos.
Rupere foedus impius lucri furor,
Et ira praeceps: quaeque succensas agit
Libido mentes. venit imperii sitis
Cruenta. factus praeda majori minor.
Pro jure vires esse. tum primum manu

---

539) *dederant antra nativas domos*) *dederant* exquisite positum est pro, *dederunt.* Sic apud Virgilium Aen. V. v. 397:

Si mihi, quae quondam f u e r a t, quaque improbus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa juventa.

pro, fuit. Et Propert. III. 11. 36:

Hinulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo c r e v e r a t herba toro.

pro, crevit. Itaque nullus emendationi locus.

544) *Pro jure vires esse)* Imitatur Lucanus I. v. 175:

mensuraque juris
Vis erat.

Bellare nuda: saxaque et ramos rudes
Vertere in arma. non erat gracili levis
Armata ferro cornus; aut longo latus
Mucrone cingens ensis; aut crista procul
Galeae comantes. tela faciebat dolor.
Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis. hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, et rubuit mare.
Tum scelera, demto fine, per cunctas domos
Iere. nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater, dextera nati parens
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,
Perimuntque foetus impiae matres suos.
Taceo novercas. mitius nil est feris.
Sed dux malorum femina. haec scelerum artifex
Obsedit animos, cujus incestae stupris
Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliae: sola conjux Aegei

---

551) *formas mortis)* Tac. Hist. III. 28. *varia pereuntium forma, et omni imagine mortium.*

558) *mitius nil est feris)* Puto ita capiendum, ut *turpe lupus stabulis* et similia, et *nil* pro *non;* hoc sensu: *taceo novercas,* istud genus *nihil,* id est, non *est mitius feris,* sed multo ferocius. Ante oculos enim habuit Seneca illud Euripidis ex Alcestide v. 310:

ἐχθρὰ γὰρ ἡ ᾽πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
τοῖς πρόσθ᾽, ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

Burmannus ad Ov. Her. X. v. 1.

Medea reddit feminas dirum genus.
NUTR. Cur omnium fit culpa paucarum scelus?
HIPP. Detestor omnes, horreo, fugio, exsecror.
Sit ratio, sit natura: sit dirus furor:
Odisse placuit. ignibus junges aquas;
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis; ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem;
Et ora damis blanda praebebunt lupi;
Quam victus animum feminae mitem geram.
NUTR. Saepe obstinatis induit frenos amor,
Et odia mutat. regna materna aspice.
Illac feroces sentiunt Veneris jugum.
Testaris istud unicus gentis puer.
HIPP. Solamen unum matris amissae fero,
Odisse quod jam feminas omnes licet.
NUTR. Ut dura cautes undique intractabilis
Resistit undis, et lacessentes aquas
Longe remittit, verba sic spernit mea.
Sed Phaedra praeceps graditur, impatiens morae.
Quo se dabit fortuna? quo verget furor?
Terrae repente corpus exanimum accidit,

---

564) *Medea reddit feminas dirum genus*) Hoc est, quod de Clytaemnestra dixerat Homerus Od. XI. v. 432:

οἷ τε κατ' αἶσχος ἔχευε, καὶ ἐσσομένῃσιν ὀπίσσω
θηλυτέρῃσι γυναιξὶ, καὶ ἥ κ' εὐεργὸς ἔῃσιν.

577) *unicus gentis puer*) id est, qui genti unicus est et solus, ut Heinsius exponit ad Ov. Met. III. v. 454.

585) *exanimum accidit*) *accidit* pro *cadit* Heinsius vindicavit ad Ov. Fast. V. v. 360.

Et ora morti similis obduxit color.
Attolle vultus, dimove vocis moras:
Tuus en, alumna, temet Hippolytus tenet.

PHAEDRA, HIPPOLYTUS, NUTRIX, FAMULI.

PH. Quis me dolori reddit, atque aestus graves
Reponit animo? quam bene excideram mihi?
Cur dulce munus redditae lucis fugis?
Aude, anime. tenta. perage mandatum tuum.
Intrepida constent verba. qui timide rogat,
Docet negare. magna pars sceleris mei
Olim peracta est. serus est nobis pudor.
Amavimus nefanda. si coepta exsequor,
Forsan jugali crimen abscondam face.
Honesta quaedam scelera successus facit.
En, incipe, anime. commodes paulum, precor,
Secretus aures. si quis est, abeat, comes.
HIPP. En, locus ab omni liber arbitrio vacat.

---

597) *Forsan jugali crimen*) Ante oculos erat Virgilius, Aen. IV. v. 172:

Neque enim specie famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.

598) *Honesta quaedam scelera*) Pro *Honesta* Florentinus habet *Non ista.* Sed est ex vitio scriptionis.

601) *ab omni liber arbitrio vacat*) Eundem versum, leviter immutatum, Seneca repetit in Herc. Oet. v. 484:

En locus ab omni tutus arbitrio vacat.

arbitrio, id est, cognitione. inspectione. Lucilius Aetna v. 193:

PH. Sed ora coeptis transitum verbis negant.
Vis magna vocem emittit, at major tenet.
Vos testor omnes, coelites, hoc, quod volo,
Me nolle.
HIPP. Animusne cupiens aliquid, effari nequit?
PH. Curae leves loquuntur, ingentes stupent.
HIPP. Committe curas auribus, mater, meis.
PH. Matris superbum est nomen, et nimium potens.
Nostros humilius nomen affectus decet.

---

divinaque rerum
Cura sine arbitrio est.
ubi conf. Wernsdorf.

602) *Sed ora coeptis transitum verbis negant)* Appositus locus Apuleii Met. X. p. 211: *Sed illa* (noverca) *cruciabili silentio diutissime fatigata, et ut in quodam vado dubitationis haerens, omne verbum, quod praesenti sermoni putabat aptissimum, rursum improbans, nutante etiamnunc pudore, unde potissimum caperet exordium, decontatur.*

605) *Me nolle)* Haec Gronovius cum Heinsio tollenda censent. Suspensae enim et abruptae orationis esse, quae Phaedra vix incipiens mox intermittat. Verum ejusmodi reticentia quid taceat, nemo facile divinaverit. Immo praeciditur versus eadem ratione, ut in Thyeste v. 100:
Sequor.
ubi vide.

610) *Nostros humilius nomen)* Hae deliciae fluxerunt ab Ovidio, cujus est illud Met. IX. v. 465. de Byblide:
Jam dominum adpellat: jam nomina sanguinis odit:
Byblida jam mavult, quam se vocet illa sororem.

Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca:
Famulamque potius. omne servitium feram.
Non me, per altas ire si jubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi jugis:
Non, si per ignes ire et infesta agmina,
Cuncter paratis ensibus pectus dare.
Mandata recipe sceptra; me famulam accipe.
Te imperia regere, me decet jussa exsequi.
Muliebre non est regna tutari urbium.
Tu, qui juventae flore primaevo viges,
Cives paterno fortis imperio rege.
Sinu receptam, supplicem, ac servam tege.
Miserere viduae. HIPP. Summus hoc omen Deus
Avertat. aderit sospes actutum parens.
PH. Regni tenacis dominus, et tacitae Stygis,
Nullam relictos fecit ad superos viam.
Thalami remittet ille raptorem sui?
Nisi forte amori placidus et Pluton sedet.
HIPP. Illum quidem aequi coelites reducem dabunt.
Sed, dum tenebit vota in incerto Deus,
Pietate caros debita fratres colam,
Et te merebor; esse ne viduam putes:
Ac tibi parentis ipse supplebo locum.
PH. O spes amantum credula! o fallax amor!

---

621) *fortis imperio rege)* *fortis*, ad urbium regna tutanda, quod muliebre non esse modo dixerat. Alibi mens erat Heinsii, cum sic reponeret:

Cives paternae sortis imperio rege.

633) *Ac tibi parentis)* Heinsius malebat *Hac*, subaudita *pietate*. Sed in tali lectione melius abesset *ipse*.

Satisne dixit? precibus admotis agam.
Miserere. tacitae mentis exaudi preces.
Libet loqui, pigetque. HIPP. Quodnam istud
malum est?
PH. Quod in novercam cadere vix credas malum.
HIPP. Ambigua voce verba perplexa jacis;
Effare aperte. PH. Pectus insanum vapor
Amorque torret. intimas saevus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Visceribus ignis mersus et nervis latens,
Ut agilis altas flamma percurrit trabes.

---

640) *vapor Amorque torret*) Burman. ad Propert. I. 9. 21. et Mitscherlich. ad Horat. Od. II. 8. 15. certatim emendant: *vapor Ardorque torret.* Sed accesserim Gronovio, *vapor amorque* per Hendiadyn accipienti pro, incendio amoris. Ita apud Virg. Aen. VIII. v. 315. *truncis et duro robore* pro, truncis roborum. Cic. in Vatin. §. 24. *sceleri et menti* pro, sceleratae menti. Apulei. Met. III. p. 56. *fidem silentiumque* pro, fidem silentii. Sed quid adtinet foris exempla petere, cum satis multa nobis ipse suppeditet Tragicus. vide quae collegimus ad Thyest. v. 833.

641) *vorat Penitus medullas*) Virg. Aen. IV. v. 66:
Est mollis flamma medullas.

643) *et venis latens*) *fibris* conjecit Heinsius, cum alii aliter insuavem *venarum* repetitionem effugere tentassent. Sed ne hoc quidem animum explet. Repone: *et nervis latens.* Idem Seneca Epist. 114: *Cum vero magis ac magis vires morbus exedit, et in medullas nervosque descendere deliciae.* Hae voces etiam confunduntur apud Lucret. III. v. 574. et forte apud Sil. II. v. 467.

HIPP. Amore nempe Thesei casto furis.
PH. Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer;
Cum prima puras barba signaret genas,
Monstrique caecam Gnossii vidit domum,
Et longa curva fila collegit via.
Quis tum ille fulsit! presserant vittae comam,
Et ora flavus tenera tingebat rubor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori:
Tuaeve Phoebes vultus, aut Phoebi mei;
Tuusve potius: talis, en, talis fuit,
Cum placuit hosti. sic tulit celsum caput.

---

652) *Et ora flavus tenera tingebat pudor*) *flavus pudor* inepte dicitur. Legendum *flavo*, tibi videlicet. Flavo enim capillo Hippolytus. Phaedra apud Nasonem Epist. IV. v. 72:

Flava verecundus tinxerat ora rubor.

flavus et Theseus; hinc Ariadnen describit Catullus (LXIV. v. 98):

in flavo saepe hospite suspirantem.

Heinsius.

Retineo vulgatum, et accipio per hypallagen pro, flavi Thesei pudor. Frequens ista figura Senecae. conf. Gronov. ad Phoenis. v. 119. Nostrum vero locum imitatus videtur Claudianus Epithal. Pall. et Celer. v. 42:

niveas infecerat igni
Solque pudorque genas.

655) *Tausque potius*) Vir doctus in margine editionis Fabricianae, quae est in Bibliotheca Universitatis Hafniensis, rescribit *Tuusve;* eaque verior est ratio. vide Heynium ad Virg. Aen. II. v. 37. et VI. v. 616.

In te magis refulget incomtus decor,
Et genitor in te totus: et torvae tamen
Pars aliqua matris miscet ex aequo decus.
In ore Grajo Scythicus apparet rigor.
Si cum parente Creticum intrasses fretum,
Tibi fila potius nostra nevisset soror.
Te, te, soror, quacunque siderei poli
In parte fulges, invoco ad causam parem.
Domus sorores una corripuit duas;
Te genitor, at me natus. en, supplex jacet
Allapsa genubus regiae proles domus.
Respersa labe nulla, et intacta, innocens;
Tibi mutor uni. certa descendi ad preces.
Finem hic dolori faciet, aut vitae dies.
Miserere amantis. HIPP. Magne regnator Deûm,
Tam lentus audis scelera? tam lentus vides?
Ecquando saeva fulmen emittes manu,
Si nunc serenum est? omnis impulsus ruat
Aether, et atris nubibus condat diem;

---

658) *decor, Et genitor)* Pro *Et* scribendum *Est* vel *En*, suspicatur Heinsius. Tu vero *decor et genitor* accipe pro, decor genitoris, et vide, quae notavimus ad Thyest. v. 833.

669) *certa descendi ad preces*) Simillimus locus Plauti Mil. Glor. IV. 6. 24:

Ac. Si pol me nolet ducere uxorem, genua amplectar
Atque obsecrabo alio modo: si non quibo impetrare,
Consciscam letum. vivere sine illo scio me non posse.

Ac versa retro sidera obliquos agant
Retorta cursus. tuque sidereum caput
Radiate, tantumne nefas stirpis tuae
Speculere? lucem merge, et in tenebras fuge.
Cur dextra, Divûm rector atque hominum, vacat
Tua, nec trisulca mundus ardescit face?
In me tona. me fige. me velox cremet
Transactus ignis. sum nocens. merui mori.
Placui novercae. dignus en stupris ego
Sceleroque tanto visus? ego solus tibi
Materia facilis? hoc meus meruit rigor?
O scelere vincens omne femineum genus!
O majus ausa matre monstrifera malum,
Genitrice pejor! illa se tantum stupro
Contaminavit, et tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit nota,
Scelusque matris arguit vultu truci

---

684) *Placui novercae)* Pertinet huc praeconium Metilio ab Seneca tributum in Consolat. ad Marc. c. 24: *Adolescens rarissimae formae, in tam magna mulierum turba viros corrumpentium, nullius spei se praebuit; et cum quarundam usque ad tentandum pervenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset, quod placuerat.*

Ibid.) *dignus en stupris ego)* *en* vim indignationis habet.

687) *O scelere vincens omne femineum genus)* Heinsius malebat *scelere femineo;* non ego. Videtur enim frigidiusculum hoc, et tale, quod περισσολόγον Senecam faciat. Exempla, quibus duo vel plura adjectiva uni substantivo adjunguntur, affatim dedit Sanctius II. 8.

Ambiguus infans. ille te venter tulit.
O ter quaterque prospero fato dati,
Quos hausit, et peremit, et leto dedit
Odium, dolusque! genitor, invideo tibi.
Colchide noverca majus hoc, majus malum est.
PH. Et ipsa nostrae fata cognosco domus:
Fugienda petimus. sed mei non sum potens.
Te vel per ignes, per mare insanum sequar,
Rupesque, et amnes, unda quos torrens rapit.
Quacunque gressus tuleris, hac amens agar.
Iterum, superbe, genubus advolvor tuis.
HIPP. Procul impudicos corpore a casto amove
Tactus. quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis. merita supplicia exigat.
En, impudicum crine contorto caput
Laeva reflexi. justior nunquam focis
Datus tuis est sanguis, arcitenens Dea.
PH. Hippolyte, nunc me compotem voti facis.
Sanas furentem. majus hoc voto meo est,

---

694) *prospero fato dati*) Nihil opus est Heinsii conjectura: *prospero fato sati*, utcunque sit ingeniosa. Subsequitur quidem proxime *dedit*, sed diversum significans a *dati*, quod est, editi. Talis igitur haec repetitio, qualis illa verbi *amputare* Thyest. v. 763. ubi vide.

697) *majus hoc*) *haec* retentat Heinsius, bis jam ita suum periclitatus ingenium, supra v. 143. et in Thyest. v. 259. Utroque loco vide, quae annotavimus.

707) *crine contorto caput Laeva reflexi*) Mos hic eorum, qui alium interempturi sunt. Exempla congessit Pricaeus ad Apulei. Met. II. p. 47.

Salvo ut pudore manibus immoriar tuis.
HIPP. Abscede. vive. ne quid exores: et hic
Contactus ensis deserat castum latus.
Quis eluet me Tanais? aut quae barbaris
Maeotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit sceleris. o silvae! o ferae!
NUTR. Deprensa culpa est. anime, quid segnis stupes?
Regeramus ipsi crimen, atque ultro impiam

---

714) *hic Contactus ensis*) Heinsio melius videtur legere:

et hic
Contaminatus deserat castum latus.

ut per ἀποσιώπησιν δεικτικῶς dictum putemus. An haeserit in *contactus*, nescio. Sed est, incestae contactu pollutus. Ita saepe hoc verbo usum esse Livium, observavit Drakenborch. ad II. 5.

720) *impiam Venerem arguemus*) *impia Venere* conjicit Heinsius, adducitque ex Herc. Oet. v. 898:

Si te ipsa damnas, scelere te, misera, arguis.

Sed et alterum bene dicitur. Cicero pro P. Sulla §. 67. *num, id quod tu arguis, cogitasset, interfecto patre tuo, consule, descendere* etc. Velleius II. 68. 4. *arguunt in eo regni voluntatem.* Suetonius de ill. Gramm. 22. *soloecismum, ab adversario factum, usque adeo arguere perseveravit.* Ad rem facit locus Ovidii Met. XV. v. 504. ubi Hippolytus de se ipso:

me Pasiphaeïa quondam
Tentatum frustra, patrium temerasse cubile
Arguit.

Venerem arguamus. scelere velandum est scelus.
Tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.
Ausae priores simus, an passae nefas,
Secreta cum sit culpa, quis testis sciet?
Adeste, Athenae: fida famulorum manus,
Fer opem; nefandi raptor Hippolytus stupri
Instat, premitque. mortis intentat metum.
Ferro pudicam terret. en, praeceps abiit,
Ensemque trepida liquit attonitus fuga.
Pignus tenemus sceleris. Hanc moestam prius
Recreate. crinis tractus, et lacerae comae,
Ut sunt, remaneant, facinoris tanti notae.
Perferte in urbem. Recipe jam sensus, hera.
Quid te ipsa lacerans omnium aspectum fugis?
Mens impudicam facere, non casus, solet.

CHORUS.

Fugit insanae similis procellae,
Ocior nubes glomerante Coro,
Ocior cursum rapiente flamma,
Stella cum ventis agitata longos
Porrigit ignes.

---

721) *scelere velandum est scelus*) Acumen, quale M. Catonis apud Gellium XIII. 24. *Tum nefarium facinus pejore facinore operire postulas.*

733) *Referte in urbem*) Lege cum Florentino: *Perferte in urbem,* nempe reginam. Curtius VI. 7. *Dymnus gladio graviter se vulnerat, occursuque satellitum inhibitus, perfertur in regiam.*

Conferat tecum decus omne priscum
Fama, miratrix senioris aevi;
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cum suos ignes coeunte cornu
Junxit, et curru properante pernox
Exserit vultus rubicunda Phoebe;
Nec tenent stellae faciem minores.
Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modo lotus undis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu thyrsigera Liber ab India,
Intonsa juvenis perpetuum coma,
Tigres pampinea cuspide territans,
Ac mitra cohibens cornigerum caput,
Non vinces rigidas Hippolyti comas.
Neu vultus nimium suspicias tuos,

---

749) *Qualis est primas)* Senecae certamen est cum Virgilio Aen. VIII. v. 589:

Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
Extulit os sacrum coelo, tenebrasque resolvit.

758) *Nec vultus nimium)* Transpositio quidem versuum, quam molitur hic Delrius, merito reprehensa est a Grutero. Sed Flor. quoque et Vossian. *Ne vultus.* Scribe: *Neu vultus nimium.* Ipsum autem Bacchum, non Thesea, alloquitur. Nec tu nimis gloriere pulcritudine tua, Bacche: norunt enim omnes, quem Ariadne quam te maluerit maritum, si retinere po

Omnes per populos fabula distulit,
Phaedrae quem Bromio praetulerit soror.
Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis!
Non sic prata novo vere decentia
Aestatis calidae despoliat vapor,
Saevit solstitio cum medius dies,
Et noctem brevibus praecipitat rotis;
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratae capiti deficiunt rosae:
Ut fulgor, teneris qui radiat genis,
Momento rapitur! nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax. quis sapiens bono
Confidat fragili? dum licet, utere.
Tempus te tacitum subruet, horaque
Semper praeterita deterior subit.
Quid deserta petis? tutior aviis
Non est forma locis. te nemore abdito,

---

tuisset. Ipsum nempe Thesea, qui in Dia insula eam deseruit. Gronovius.

Correxi de Gronovii sententia.

767) *noctem brevibus praecipitat rotis*) *noctem* ποιητικώτερον quam, quod in Florentino legitur, *noctes*. vid. Broukhus. ad Propert. I. 11. 9.

770) *Ut fulgor teneris*) Schroederus malebat incidere post *rapitur*, ut sit apodosis ad superiora: *Non sic prata*. Sed et Anacoluthon magis poëticum est, nec procedit comparatio, nisi sublato *Momento*.

778) *nemore abdito*) id est, solo, remoto, secreto.

Cum Titan medium constituit diem,
Cinget turba licens, Naides improbae,
Formosos solitae claudere fontibus:
Et somnis facient insidias tuis
Lascivae nemorum Deae,
Panes quae Dryades montivagos petunt.
Aut te stellifero despiciens polo
Sidus, post veteres Arcadas editum,
Currus non poterit flectere candidos.

---

784) *Lascivae nemorum deae, Montivagique Panes)* Wakefieldo ad Lucret. IV. v. 585. ita scripsisse noster videtur:

Et somnis facient insidias tuis
Lascivae nemorum frondiferum deae;
Panesque, et Dryades montivagae, petent.

Sed verum est in Florentino:

Lascivae nemorum deae,
Panes quae Dryades montivagos petunt.

Claudianus, hunc locum imitatus, XI. v. 24:

Cum post labores sub platani voles
Virentis umbra, vel gelido specu
Torrentiorem fallere Sirium,
Et membra somno fessa resolveris:
O quantus uret tum Dryadas calor?
Quot aestuantes ancipiti gradu
Furtiva carpent oscula Naides?

quae Dryades, ut supra v. 389:

Quae fila ramis ultimi Seres legunt.

et Troad. v. 823:

Quae sub Oetaeis latebrosa silvis
Misit etc.

ubi Gronovium vide.

Et nuper rubuit; nullaque lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus. tu fueras labor,
Et tu causa morae. te Dea noctium
Dum spectat, celeres sustinuit vias.
Vexent hanc faciem frigora parcius,
Haec solem facies rarius appetat,
Lucebit Pario marmore clarius.
Quam grata est facies torva viriliter,
Et pondus veteris triste supercilii!
Phoebo colla licet splendida compares:
Illum caesaries, nescia colligi
Perfundens humeros, ornat et integit:
Te frons hirta decet, te brevior coma
Nulla lege jacens. tu licet asperos
Pugnacesque Deos viribus arceas,
Et vasti spatio vincere corporis,
Aequas Herculeos jam juvenis toros,
Martis belligeri pectore latior.
Si dorso libeat cornipedis vehi,
Frenis Castorea mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllaron.
Amentum digitis tende prioribus,
Et totis jaculum dirige viribus;
Tam longe, dociles spicula figere,
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
Aut si tela modo spargere Parthico
In coelum placeat; nulla sine alite

Descendent, tepido viscere condita:
Praedam de mediis nubibus afferent.
Raris forma viris (secula prospice)
Impunita fuit. te melior Deus
Tutum praetereat, formaque nobilis
Deformis senii monstret imaginem.
Quid sinat inausum feminae praeceps furor?
Nefanda juveni crimina insonti parat.
En scelera! quaerit crine lacerato fidem.
Decus omne turbat capitis. humectat genas.
Instruitur omni fraude feminea dolus.

---

819) *Praedam de mediis nubibus afferes*) Lege cum Florentino:

Praedam de mediis nubibus afferent.

quod firmatur imitatione Statii Theb. X. v. 747:

Nunc jaculum excusso rotat in sublime lacerto,
Nullaque tectorum subit ad fastigia, quae non
Deferat hasta virum, perfusaque caede recurrat.

823) *Deformis senii monstret imaginem*) Hippolytus apud Ovidium Met. XV. v. 540:

Tum mihi, ne praesens augerem muneris hujus
Invidiam, densas objecit Cynthia nubes:
Utque forem tutus, possemque impune videri,
Addidit aetatem, nec cognoscenda reliquit
Ora mihi.

828) *Instruitur omnis fraude feminea dolus*) Princeps liber,

Instruitur omni fraude feminea dolus.

idque rectius. Nam *dolus* tantum unus et simplex, nempe falsum crimen, quod innocenti struit dolosa mulier. *Fraus* vero multiplex, ensis relictus, lacerae comae, fictae lacrimae, et reliqua. Euripides Andromachae v. 85:

Sed iste quisnam est, regium in vultu decus
Gerens, et alto vertice attollens caput?
Ut ora juveni paria Pirithoi gerit!
Ni languido pallore canderent genae,

πολλὰς ἂν εὕροις μηχανάς· γυνὴ γὰρ εἶ.

cui succinit Plautus in Milite Glorioso II. 2. 37. sic ajens:

Domi habet animum falsiloquom, falsificum, falsijurium:
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala.
Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.

Librarios autem in errorem induxit duorum adjectivorum ad unum substantivum adjunctio. Medea v. 110:

Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei.

Hac ipsa tragoedia v. 687:

O scelere vincens omne femineum genus.

ubi plura vide.

831) *Ut ora juveni paria Pirithoo gerit)* Repone ex scriptis:

Ut ora juveni paria Pirithoi gerit.

hoc est, Theseo, quem *audacis proci militem* supra v. 95. vocaverat. *juvenis* enim pro tirone, sive tirunculo milite ponitur, ut apud Ovidium Art. Am. III. v. 486:

Pignora nec juveni credite vestra novo.

ubi plura in hunc usum loca veterum excitavit Burmannus.

832) *candore pallerent)* Rectius in Florentino legitur: *pallore canderent*, id est, albescerent. Tacitus Ann.

Staretque recta squallor incultus coma.
En, ipse Theseus redditus terris adest.

XV. 64. de Paullina: *ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset.* Ovidius Amor. I. 7. 51:

Adstitit illa amens albo, et sine sanguine, vultu,
Caeduntur Pariis qualia saxa jugis.

Cicero IV. Acad. Quaest. §. 48. *ut si qui tremerent et exalbescerent vel ipsi per se, motu mentis aliquo, vel objecta terribili re extrinsecus, nihil esset, qui distingueretur tremor ille et pallor, neque quidquam interesset inter intestinum et oblatum.* Idem V. de Fin. §. 31. e poeta:

Non refugiat timide sanguen, atque exalbescat metu.

Sed nihil ad Senecae verba propius accedit, quam Persii locus III. Sat. 115:

Alges, cum excussit membris timor albus aristas.

En similes *metus* notas, albedinem oris, et comas horrentes. *Pallor* vero proprius inferis. Hinc et Lucanus VI. v. 517. de Thessala:

Terribilis Stygio facies pallore gravatur.

834) *En, ipse Theseus*) Mallet Gronovius,

Est ipse. Theseus redditus terris adest.

Sed *ipse Theseus* est, verus et germanus Theseus, non umbra viri. Sic in Hercule furente v. 629. Amphitryon ad Herculem ab inferis reversum:

Teneone in auras editum, an vana fruor
Deceptus umbra? tune es? agnosco toros,
Humerosque, et alto nobilem trunco manum.

ACTUS TERTIUS.

THESEUS, NUTRIX.

THES. Tandem profugi noctis aeternae plagam,
Vastoque manes carcere umbrantem polum.
Ut vix cupitum sufferunt oculi diem!
Jam quarta Eleusin dona Triptolemi secat,
Paremque toties Libra composuit diem;
Ambiguus ut me sortis ignotae labor
Detinuit inter mortis et vitae mala.
Pars una vitae mansit exstincto mihi,
Sensus: malorum finis Alcides fuit.

---

843) *Pars una vitae mansit extincto mihi Sensus malorum. finis Alcides fuit*) Nihil verius Heinsii distinctione:

Pars una vitae mansit extincto mihi,
Sensus: malorum finis Alcides fuit.

quam ipse confirmat ex Lucano, VII. v. 470:

Di tibi non mortem, quae cunctis poena paratur,
Sed sensum post fata tuae dent, Crastine, morti.

Theseo *mansit sensus*, ut se mortuum cognosceret, et esse in malis ac poenis. Hinc et Creon apud Statium Thebaid. XII. v. 95:

Qui cum revulso Tartaro abstraheret canem,
Me quoque supernas pariter ad sedes tulit.
Sed fessa virtus robore antiquo caret,
Trepidantque gressus. heu, labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum aethera,
Pariterque mortem fugere, et Alciden sequi!
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?

Saevum agedum, immitemque vocent, nunc funera Lernae
Tecum ardere veto. longos utinam addere sensus
Corporibus, coeloque animas Ereboque nocentes
Pellere fas.

Mortui enim sensu carent. Lucretius III. v. 215:

mors omnia praestat,
Vitalem praeter sensum calidumque vaporem.

et v. 357:

dimissa anima, corpus caret undique sensu.

Homerus Od. XI. v. 475:

ἔνθα τε νεκροὶ
ἀφραδέες ναίουσι.

844) *Qui cum revulsum Tartaro extraheret canem)* Florentinus: *revulso Tartaro abstraheret.* Recte atque ordine *revulso* seu effracto. Nam id primum erat, canis abstractio secunda. Herc. Fur. v. 47:

Effregit ecce limen inferni Jovis,
Et opima victi regis ad superos refert.

abstraheret pro *extraheret* jam Heinsius ad Ov. Met. VII. v. 413. et Burmannus ad T. I. Anthol. Lat. p. 24. vindicaverunt.

849) *et Alciden sequi)* magnis passibus euntem. Statius Theb. V. v. 443:

Expromat aliquis. luctus, et lacrimae, et dolor,
In limine ipso moesta lamentatio,
Hospitia digna prorsus inferno hospite.
NUTR. Tenet obstinatum Phaedra consilium necis,
Fletusque nostros spernit, ac morti imminet.
THES. Quae causa leti? reduce cur moritur viro?
NUTR. Haec ipsa letum causa maturum attulit.
THES. Perplexa magnum verba nescio quid tegunt.
Effare aperte, quis gravet mentem dolor.
NUTR. Haud pandit ulli. moesta secretum occulit,
Statuitque secum ferre, quo moritur, malum.
Jam perge, quaeso, perge. properato est opus.
THES. Reserate clusos regii postes laris.

THESEUS, PHAEDRA, FAMULI, NUTRIX TACITA.

THES. O socia thalami, siccine adventum viri,
Et expetiti conjugis vultum excipis?

Audet iter, magnique sequens vestigia mutat
Herculis, et tarda quamvis se mole ferentem,
Vix cursu tener aequat Hylas.

853) *Hospitia digna prorsus*) Grotius atque Gronovius, probante Arnzenio ad Panegyr. vett. p. 567. emendant *Auspicia*, quod sit, omina. Mihi satis placet comparatio: qualis hospes, tale hospitium. Infra v. 1148:
Ipsoque magis flebile Averno
Sedis patriae videt h o s p i t i u m.

THESEVS. PHAEDRA. FAMVLI. NVTRIX TACITA.] Vulgatis abest NVTRIX TACITA, quod ex optimis membranis addere nos monuit vox Thesei v. 884:

Quin ense viduas dexteram? atque animum mihi
Restituis? et te quidquid e vita fugat
Expromis? PH. Eheu, per tui sceptrum imperii,
Magnanime Theseu, perque natorum indolem,
Tuosque reditus, perque jam cineres meos,
Permitte mortem. THES. Causa quae cogit mori?
PH. Si causa leti dicitur, fructus perit.
THES. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.
PH. Aures pudica conjugis solas timet.
THES. Effare, fido pectore arcana occulam.
PH. Alium silere quod voles, primus sile.
THES. Leti facultas nulla continget tibi.
PH. Mori volenti deesse mors nunquam potest.
THES. Quod sit luendum morte delictum, indica.
PH. Quod vivo. THES. Lacrimae nonne te nostrae movent?
PH. Mors optima est perire lacrimandum suis.

Vincite ferro.
unde, Nutricem hac quoque scena praesentem adesse, manifestum fit.

874) *Aures pudica conjugis solas timet*) *solas conjugis aures* dixit pro conjuge, qui audit solus, ut loquitur Martialis I. 97. 3:

pauca verba Materno
Dicas in aurem, sic, ut audiat solus.

id est, nemo praeter eum. Gronovius perperam accepit.

881) *Mors optima est*) *Sors* melius videtur Heinsio, non mihi. Troasin v. 869:

Optanda mors est, sine metu mortis mori.

THES. Silere pergit. verbere ac vinclis anus
Altrixque prodet, quidquid haec fari abnuit.
Vincite ferro. verberum vis extrahat
Secreta mentis. PH. Ipsa jam fabor, mane.
THES. Quidnam ora moesta avertis, et lacrimas
genis
Subito coortas veste praetenta obtegis?
PH. Te, te, creator coelitum, testem invoco,
Et te coruscum lucis aetheriae jubar,
Ex cujus ortu nostra dependet domus,
Tentata precibus restiti. ferro ac minis

---

etsi ibi quoque Heinsius malit *sors*, et Agamemnonis v. 202:

Mors misera non est, commori cum quo velis.

Sed utroque loco vim et elegantiam orationi addit mutata declinationibus iteratio verborum. Confer de hac figura praecipientem Quinctilianum IX. 3. 42. *lacrimandum*, id est, fleri dignum, flebilem. In diversum Ovidius in Ibide v. 163:

Nec tibi contingent funus lacrimaeque tuorum.
Indeploratum projiciere caput.

883) *verbere ac vinclis anus Altrixque prodet*) *anus altrixque* eadem ratione dicitur, ut a Floro II. 15, 17. *Quanto fortius femina, et uxor ducis?* Plura exempla, quibus per *et* disjunguntur, quorum unum includit alterum, Gesneri thesaurus L. L. dabit. Nam, quod Heinsius conjicit, *verbere ac vinclis anus attrita*, socco quam cothurno dignius est.

890) *dependet domus*) Heinsius malebat *descendit*, quam *dependet*. Atqui sic locutus est Ovidius Fast. I. v. 611:

Hujus et augurium dependet origine verbi.

Non cessit animus: vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noster cruor.
THES. Quis, ede, nostri decoris eversor fuit?
PH. Quem rere minime. THES. Quis sit, audire expeto.
PH. Hic dicet ensis, quem tumultu territus
Liquit stuprator, civium accursum timens.
THES. Quod facinus, heu me, cerno? quod monstrum intuor?
Regale patriis asperum signis ebur,
Capulo refulget gentis Actaeae decus.
Sed ipse quonam evasit? PH. Hi trepidum fuga
Videre famuli concitum celeri pede.

---

892) *Non cessit animus*) Sententia gemina dixit Val. Maximus de Orgiagontis reguli uxore, VI. 1. ext. 2: *Hujus feminae quid aliud quisquam, quam corpus in potestatem hostium venisse dicat? Nam neque animus vinci, nec pudicitia capi potuit.*

899) *parvis asperum signis*) Pro *parvis* reposui *patriis*, urgentibus Daniele et Nicolao Heinsiis ad h. l. Meursio Reg. Att. III. 1. et Burmanno ad T. I. Anthol. Lat. p. 497. ob illud Ovidii de Theseo per Aegeum agnito, Met. VII. v. 422:

„*Cum pater in capulo gladii cognovit eburno*
Signa sui generis.

Similiter peccatum erat supra v. 23.

902) *trepidum fuga Videre*) *Videre* scilicet, nutrice monstrante v. 728:

en praeceps abiit
Ensemque trepida liquit attonitus fuga.

Hoc si animadvertisset Heinsius, non rescripsisset: *trepidum fugae Liquere*.

THESEUS.

Pro, sancta pietas, pro, gubernator poli,
Et qui secundum fluctibus regnum moves,
Unde ista venit generis infandi lues?
Hunc Graja tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchusve Phasis? redit ad auctores genus;
Stirpemque primam degener sanguis refert.
Est prorsus iste gentis armiferae furor,
Odisse Veneris foedera, et castum diu
Vulgare populis corpus. o tetrum genus,
Nullaque victum lege melioris soli!
Ferae quoque ipsae Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.
Ubi vultus ille, et ficta majestas viri,
Atque habitus horrens, prisca et antiqua appetens,
Morumque senium triste, et affatus graves?
O vita fallax? abditos sensus geris,

---

913) *Veneris evitant nefas*) Heinsius *ejurant.* Argutius hoc, quam necesse.

916) *prisca et antiqua appetens*) Ne bis idem dicatur, Wakefield. Silv. Crit. I. p. 77. malit: *scripta et antiqua,* citans Euripid. Hipp. v. 954. ubi Theseus ad filium:

βάκχευε, πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς.

Sed isti tautologiae, si tautologia est, plures indulsere scriptores. vide Ruhnken. ad Vellei. 1. 16. 3.

917) *et aspectu grave*) Florentinus: *et affectus graves.* Lege, ut Gronovius conjecit: *affatus graves.* Apud Claudianum XXXVI. v. 287. Ceres pro filia:

An gravis alloquio?

Animisque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum. vera fallaces probant,
Simulantque molles dura. silvarum incola
Ille efferatus, castus, intactus, rudis,
Mihi te reservas? a meo primum toro
Et scelere tanto placuit ordiri virum?
Jam jam superno numini grates ago,
Quod icta nostra cecidit Antiope manu:
Quod non ad antra Stygia descendens tibi
Matrem reliqui. profugus ignotas procul
Percurre gentes. te licet terra ultimo
Summota mundo dirimat Oceani plagis,
Orbemque nostris pedibus obversum colas;
Licet in recessu penitus extremo abditus

---

923) *castus, intactus, rudis*) Quum *castus* et *intactus* unum idemque designent, Heinsius malit *asper*, *intactu rudis*, vel *castus ac thalamis rudis.* Mihi neutrum probatur, et puto, majoris vehementiae causa fecisse poëtam, ut synonyma conjungeret. Idem spectasse videtur, *castus* et *pudicus* junctim ponens infra v. 1195. Hujus autem *ταυτότητος* exempla plurima collegit Vossius Institut. Orat. V. 3. 10.

925) *ordiri virum*) A Seneca mutuatus est Claudianus XXII. v. 75:

Hinc fuit, ut primos in conjuge disceret ignes,
Ordirique virum non luxuriante juventa,
Sed cum lege tori, casto cum foedere vellet.

931) *Summota mundo)* Respicit illud Maronis Aen. VIII. v. 226:

si quem tellus extrema refuso
Summovet Oceano.

Horrifera celsi regna transieris poli;
Hiemesque supra positus et canas nives,
Gelidi frementes liqueris Boreae minas
Post te furentes; sceleribus poenas dabis.
Profugum per omnes pertinax latebras premam.
Longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia
Emetiemur. nullus obstabit locus.
Scis, unde redeam. tela quo mitti haud queunt,
Huc vota mittam. genitor aequoreus dedit,
Ut vota prono trina concipiam Deo,
Et invocata munus hoc sanxit Styge.
En, perage donum triste, regnator freti.
Non cernat ultra lucidum Hippolytus diem,
Adeatque Manes juvenis iratos patri.
Fer abominandam nunc opem nato, parens.
Nunquam supremum numinis munus tui
Consumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara, et Ditem horridum,
Et imminentes regis inferni minas,
Voto peperci. redde nunc pactam fidem,
Genitor. moraris? cur adhuc undae silent?
Nunc atra ventis nubila impellentibus
Subtexe noctem; sidera et coelum eripe.

---

941) *Scis, unde redeam)* Simile illud Claudiani V. v. 388: *Unde redi, nescis?*

952) *regis inferni minas)* Figura est *συναθροισμὸς*, qua congeruntur *Tartara, Ditem* et *regis inferni*. Neque tamen rejecerim Heinsii *legis infernae minas*, ut haec ad Aeacum ac caeteros judices infernos referantur.

Effunde pontum. vulgus aequoreum cie,
Fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca.

CHORUS.

O magna parens Natura Deûm,
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas,
Cur tibi tanta est cura, perennes
Agitare vias aetheris alti?
Ut nunc canae frigora brumae
Nudent silvas; nunc arbustis
Redeant umbrae; nunc aestivi
Colla Leonis Cererem magno

---

958) *ab ipso tumidus Oceano*) *ab imo Oceano* scribendum censet Wakefield. ad Lucret. II. v. 919. Sed alterum gravius est. *ipso*, tanquam fluctuosorum et aestuosorum marium principe; quam in rem confer Melam III. 1. init.

959) *parens Natura deûm*) Gronovius conjectabat *rerum*. Sed merito vulgatum, ut mollius auditu, defendit Wakefield. ad Lucret. V. v. 460. Et sic Orpheus Hymno in Naturam:

ἁγνὴ κοσμήτειρα θεῶν, ἀτελής τε τελευτή.

Apud Statium Theb. XI. v. 466. Pietas,

Quid me, ait, ut saevis animantum ac saepe Deorum
Obstaturam animis, princeps Natura, creabas?

Adde, quae notavit Barthius ibidem ad XII. v. 561. et ad I. Achil. 488.

Fervore coquant; viresque suas
Temperet annus? sed cur idem,
Qui tanta regis, sub quo vasti
Pondera mundi librata suos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus abes; non sollicitus
Prodesse bonis, nocuisse malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera caeca, pejora fovens.
Vincit sanctos dira libido,
Fraus sublimi regnat in aula.
Tradere turpi fasces populus
Gaudet; eosdem colit, atque odit.
Tristis virtus perversa tulit
Praemia recti. castos sequitur
Mala paupertas: vitioque potens
Regnat adulter.
O vane pudor, falsumque decus!
Sed quid citato nuntius portat gradu,
Rigatque moestis lugubrem vultum genis?

ACTUS QUARTUS.

NUNTIUS, THESEUS.

NUNT. O sors acerba et dura famulatus gravis,
Cur me ad nefandos nuntium casus vocas?

---

992) *ad nefandos nuntium casus vocas*) id est, jubes nuntium esse mali, quem omnes aversantur. Sophocles Antig. v. 277:

στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν.

Plutarchus de Garrul. 14. *Καίτοι γε, ὥσπερ οἱ τὰ πικρὰ καὶ δυσώδη φάρμακα πιόντες δυσχεραίνουσι καὶ τὰς κύλικας, οὕτως οἱ τὰ κακὰ προσαγγέλλοντες ὑπὸ τῶν ἀκουόντων δυσχεραίνονται καὶ μισοῦνται.* Ovidius Heroid. XII. v. 146:

Diversi flebant servi, lacrimasque tegebant.
Quis vellet tanti nuntius esse mali?

Quibus consonat Shakespeare in King John Act. I. Sc. 1:

Fellow, be gone; I cannot brook thy sight;
This news hath made thee a most ugly man.

THES. Ne metue clades fortiter fari asperas;
Non imparatum pectus aerumnis gero.
NUNT. Vocem dolori lingua luctificam negat.
THES. Proloquere, quae sors aggravet quassam domum.
NUNT. Hippolytus (heu me) flebili leto occubat.
THES. Natum parens obiisse jam pridem scio.
Nunc raptor obiit. mortis effare ordinem.
NUNT. Ut profugus urbem liquit infesto gradu,
Celerem citatis passibus cursum explicans,
Celsos sonipedes ocius subigit jugo,

---

et II. Part of King Henry IV. Act. I. Sc. 1:

Yet the first bringer of unwelcome news
Hath but a losing office; and his tongue
Sounds ever after as a sullen bell,
Remember'd knolling a departing friend.

994) *pectus aerumnis gero*) Duo codices *fero*, quod est correctoris. Verbum *gerere* et de animo dici probavit Burmannus ad Lucan. VII. v. 679. *non imparatum*, sed *bene praeparatum* pectus, ut loquitur Horatius Od. II. 10. 14. ubi vide Mitscherlich. Gemina vero sententia Darium nuntio Tyrioti dicere facit Curtius IV. 10. *Vultus tuus nescio quod ingens malum praefert; sed cave miseri hominis auribus parcas. didici enim esse infelix: et saepe calamitatis solatium est nosse sortem suam.*

1000) *infesto gradu*) Heinsius malebat *infenso*, quod sit, irato. Sed de indignatione Hippolyti mox sequitur. *infestus gradus* est, quo fertur infestatus. De hoc vocis, ut ajunt, passivo significatu conf. Drakenborch. ad Sil. XII. v. 399.

1002) *Celsos sonipedes*) Heinsio legendum videtur:

Celso sonipedes ocius subigit jugo.

Et ora frenis domita substrictis ligat.
Tum multa secum effatus, et patrium solum
Abominatus, saepe genitorem ciet,
Acerque habenis lora permissis quatit:
Cum subito vastum tumuit ex alto mare,

Sic quidem Silius VII. v. 683:

furvi juga celsa trahebant
Cornipedes.

Verum ibi suo quodque substantivum epitheto gaudet. Jugis autem praecedunt jugales. His igitur quam illis epitheton debetur. Et sic Homerus Il. XV. v. 266. de equo:

ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει.

Idem ἐριαύχενας ἵππους dixit ibid. XVII. v. 496. Oppianus denique I. de Venat. 176. vult, generosus equus

βαιὸν ὑπὲρ δειρῆφι, μετήορον, ὕψι κάρηνον
ἀείροι.

1007) *subito vastum tumuit*) *tonuit* ex scriptis reponi vult Heinsius ad Claudian. X. v. 132. ob eam rem, quod mox sequatur:

Tumidumque monstro pelagus in terram ruit.

Sed aliud est *tumere sine vento*, aliud *monstro tumere.* Tumor ille maris fit etiam citra monstrum. Noster denuo Medea v. 765:

tumuit insanum mare
Tacente vento.

Plinius Hist. Nat. II. 83. *sine flatu intumescente fluctu subito. Mare surrexit* hic ait Ovidius Met. XV. v. 508. Euripides autem Hipp. v. 1207:

ἱερὸν εἴδομεν
κῦμ' οὐρανῷ στηρίζον.

Crevitque in astra. nullus inspirat salo
Ventus. quieti nulla pars coeli strepit,
Placidumque pelagus propria tempestas agit.
Non tantus Auster Sicula disturbat freta,
Nec tam furenti pontus exsurgit sinu
Regnante Coro. saxa cum fluctu tremunt,
Et cana summum spuma Leucaten ferit.
Consurgit ingens pontus in vastum aggerem,
Tumidumque monstro pelagus in terras ruit.
Nec ista ratibus tanta construitur lues:
Terris minatur. fluctus haud cursu levi
Provolvitur. nescio quid onerato sinu
Gravis unda portat. quae novum tellus caput
Ostendit astris? Cyclas exoritur nova.
Latuere rupes, numen Epidaurii Dei,

Pariter Manilius, de bellua marina loquens, cui tanquam praeda destinata fuerat Andromeda, V. v. 579:

gravidus jam surgere pontus
Coeperat.

1014) *Leucatem ferit*) *Leucaten* scripsi, Florentinum secutus. Nam ita Virgilius Aen. VIII. v. 677:

totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten.

et sono quoque Graecos imitatum esse Senecam, ostendit Gronovius ad Herc. fur. v. 334.

1016) *pelagus in terram ruit*) Exquisitius in Florentino et Moguntino codice legitur: *pelagus in terras ruit.* Virgilius Aen. XI. v. 625:

Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras.

1022) *numen Epidaurii Dei*) Valckenaer. ad Euripid. Hipp. v. 1207. malebat *nomine*, quod et aliis in mentem

Et scelere petrae nobiles Scironides,
Et quae duobus terra comprimitur fretis.
Haec dum stupentes querimur, en totum mare
Immugit. omnes undique scopuli adstrepunt.
Summum cacumen rorat, expulso sale

---

venit. Equidem teneo vulgatam, et accipio *rupes numen* pro rupibus, quas Aesculapius insedit, augusta Epidaurii Dei sede. *πέτραν Ἀσκληπιοῦ* vocat Euripides l. c.

1023) *petrae nobiles*) Pro eo Statius Theb. I. v. 333. *infames Scirone petras* dixit.

1027) *rorat expulso sale. Spumat, vomitque*) Wakefieldus ad Lucret. V. v. 1456. praeclare vidit, locum a vitiosa interpunctione laborare, et sic distinguendum esse:

Summum cacumen rorat, expulso sale
Spumat, vomitque vicibus alternis aquas.

Summum, inquit, cacumen spumat aquis superjectis, et eas alternis rejicit. Fundus correctionis est Virgilius Aen. XII. v. 625:

Qualis ubi, alterno procurrens gurgite, pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam
Spumeus.

Sed labitur in eo vir doctus, quod *cacumen* intelligit scopulorum. Refer ad vastum illum aggerem, cujus mentio praecessit v. 1015. Utrumque, cacumen et agger, fluxit ab Ovidio Met. XV. v. 508. ubi Hippolytus de se ipso:

Jamque Corinthiaci carpebam litora ponti,
Cum mare surrexit, cumulusque immanis aquarum
In montis speciem curvari et crescere visus,
Et dare mugitus, summoque cacumine findi,

Spumat, vomitque vicibus alternis aquas.
Qualis per alta vehitur Oceani freta
Fluctus refundens ore physeter capax.
Inhorruit concussus undarum globus,
Solvitque sese, et litori invexit malum
Majus timore. pontus in terras ruit,
Suumque monstrum sequitur. os quassat tremor.
THES. Quis habitus ille corporis vasti fuit?
NUNT. Caerulea taurus colla sublimis gerens,
Erexit altam fronte viridanti jubam.
Stant hispidae aures, cornibus varius color:

1033) *in terras)* Codex Moguntinus *in terra,* id est, in terram. Ita apud Sallustium II. Hist. p. 262. ed. Bipont. *Ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur.* pro, in flumen. de qua regiminis diversitate conf. Wakefield. ad Lucret. II. v. 209. Sed aurem si consulas, vulgatam praeferre non dubitabis.

1036) *Caerulea taurus colla)* Pro *Caerulea* quidam codices, ut Trajectinus, indicante Burmanno ad Ovid. Met. XV. v. 511. exhibent *Herculea,* et interpretantur: simili collo, quo erat taurus, quem Hercules devicit. „Satis nove" inquit Gruterus. „Et tamen „*Caerulea* cur heic minus feram, est, quod paulo „post sequatur: *caerula insignis nota Opima cervix*" etc. Verum haec similitudo librariis debetur, ut suo videbimus loco.

1038) *Cornibus varius color)* Sumsit, opinor, ex natura, cujus non ita dissimilem lusum refert Julius Capitolinus in vita Clodii Albini: *Huic multa imperii signa, cum esset natus, facta dicuntur. nam — bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est, quod mirandum fuit.*

Et quem feri dominator habuisset gregis,
Et quem sub undis natus. hinc flammam vomunt
Oculi, hinc relucent caerula insignes nota.
Opima cervix arduos tollit toros:
Naresque hiulcis haustibus patulae fremunt.
Musco tenaci pectus ac palear viret.
Longum rubenti spargitur fuco latus.
Tum pone tergus ultima in monstrum coit
Facies, et ingens bellua immensam trahit
Squammosa partem. talis extremo mari
Pistrix citatas sorbet aut frangit rates.

1040) *hinc flammam vomit; Oculi hinc relucent. caerula insignis nota Opima cervix)* Liber optimus *vomunt.* Probanda est correctio Gronovii, legentis:

hinc flammam vomunt
Oculi, hinc relucent caerula ***insignes*** *nota.*

Iisdem oculis Tiberinus describitur Claudiano I. v. 215:

Illi glauca nitent hirsuto ***lumina*** *vultu,*
Caeruleis infecta notis, *reddentia patrem*
Oceanum.

1049) *sorbet aut reddit rates)* Omnino ex auctoritate Florentini codicis legendum: *sorbet aut frangit rates,* id est, modo sorbet, modo frangit. De hac particulae separativae potestate conf. Diomed. Art. Gram. II. p. 412. Si *reddit* hic locum haberet, auctor scribere debuisset: *sorbet et reddit rates.* Ita Manilius IV. v. 830:

vomit Oceanus pontum, sitiens ***que*** *resorbet.*

et Silius XIV. v. 254. de Charybdi:

correptas sorbentem vorticis haustu,
Atque iterum e fundo jaculantem ad sidera, puppes.

Tremuere terrae. fugit attonitum pecus
Passim per agros; nec suos pastor sequi
Meminit juvencos. omnis e saltu fera
Diffugit: omnis frigido exsanguis metu
Venator horret. solus immunis metu
Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pavidosque notae vocis hortatu ciet.
Est alta ad Argos collibus ruptis via,
Vicina tangens spatia suppositi maris:
Heic se illa moles acuit, atque iras parat.
Ut cepit animos, seque praetentans satis
Prolusit irae, praepeti cursu evolat,
Summam citato vix gradu tangens humum,
Et torva currus ante trepidantes stetit.
Contra feroci natus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, et magnum intonat:
Haud frangit animum vanus hic terror meum;
Nam mihi paternus vincere est tauros labor.
Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum: jamque deerrantes via,
Quacunque rabidos pavidus evexit furor,

1057) *alta ad Argos*) *agros* nonnulli codices, quod mendo librariorum obrepsit. Nuntius apud Euripicem Hipp. v. 1197:

πρόσπολοι δ' ὑφ' ἅρματος
πέλας χαλινῶν εἱπόμεσθα δεσπότῃ,
τὴν εὐθὺς Ἄργους κἀπιδαυρίας ὁδόν.

1061) *Prolusit irae*) Alii *Praelusit*, minus recte. vid. Heins. ad Ov. Art. Am. III. v. 515.

1070) *pavidos rapidus evexit furor*) Lege cum Florentino: *Quacunque rabidos pavidus evexit furor.*

Hac ire pergunt, seque per scopulos agunt.
At ille, qualis turbido rector mari
Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit; haud aliter citos
Currus gubernat: ora nunc pressis trahit
Constricta frenis, terga nunc torto frequens
Verbere coercet. sequitur assiduus comes
Nunc aequa carpens spatia, nunc contra obvius
Oberrat, omni parte terrorem movens.
Non licuit ultra fugere. nam torvo obvius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum vero pavida sonipedes mente exciti
Imperia solvunt, seque luctantur jugo
Eripere, rectique in pedes jactant onus.

Achilles Tatius in simili re I. 12. ὁ δὲ ἵππος ῥώμη θέων ἐκτρέπεται τῆς λεωφόρου. Virgilius, translatione ducta ab equis domandis, Aen. VI. v. 80:

tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

pavidus vero *furor* est furor, a pavore profectus. Cicero Tusc. Disp. III. §. 11. *quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant. quasi vero atra bili solum mens, ac non saepe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur: quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Ajacem, Orestem furere dicimus.* Nostrum Senecae locum imitando expressit Prudentius in passione Hippolyti Martyris XI. v. 111:

Prorumpunt alacres (equi), caeco et terrore feruntur,
Qua sonitus atque tremor, qua furor exagitant.

Praeceps in ora fusus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus: et quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensere pecudes facinus, et curru levi,
Dominante nullo, qua timor jussit, ruunt.
Talis per auras non suum agnoscens onus,
Solique falso creditum indignans diem,
Phaethonta currus devio excussit polo.
Late cruentat arva, et illisum caput
Scopulis resultat: auferunt dumi comas:
Et ora durus pulchra populatur lapis:
Peritque multo vulnere infelix decor.
Moribunda celeres membra provolvunt rotae.
Tandemque raptum truncus ambusta sude
Medium per inguen stipite erecto tenet;
Paulumque domino currus affixo stetit.
Haesere bijuges vulnere, et pariter moram
Dominumque rumpunt. inde semianimem secant
Virgulta. acutis asperi vepres rubis,

1089) *Dominante nullo*) id est, regente, moderante nullo. Statius Theb. VI. v. 506:

abripitur longe moderamine liber
Currus.

1099) *stipite erecto*) Variant admodum codices, *ejecto, injecto, exacto* praeferentes. Heinsio tentatum *ingesto.* Sed vera est vulgata lectio. Heliodorus Aethiop. VI. sub finem: ἔλαθεν ὠρθωμένῳ κλάσματι δόρατος κατὰ τοῦ βουβῶνος περιπαρεῖσα. Ovidius Met. V. v. 132:

Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum.

1103) *Virgulta. acutis asperi*) His gemina leguntur apud Achillem Tatium I. 12: εὐθὺς, τὸν ἄθλιον Χαρικλέα πε-

Omnisque truncus corporis partem tulit.
Errant per agros funebris, famuli, manus,
Per illa, qua distractus Hippolytus, loca
Longum cruenta tramitem signat nota:
Moestaeque domini membra vestigant canes.
Necdum dolentum sedulus potuit labor
Explere corpus. hoccine est formae decus?
Qui modo paterni clarus imperii comes,
Et certus haeres, siderum fulsit modo,
Passim ad supremos ille colligitur rogos,
Et funeri confertur. THES. O nimium potens,
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes
Natura! quam te colimus inviti quoque!
Occidere volui noxium; amissum fleo.
NUNT. Haud quísquam honeste flere, quod voluit, potest.
THES. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,

ῥιῤῥήγνυσι δένδρῳ. ὁ δὲ — — ὑπὸ — τῶν τοῦ δένδρου κλάδων τὸ πρόσωπον αἰσχύνεται, καὶ τοσούτοις περιδρύπτεται τραύμασιν, ὅσαι τῶν δένδρων ἦσαν αἱ αἰχμαί. quae si Heinsio in promtu fuissent, non utique rescripsisset:

inde semianimem secant
Virgulta, et acutis asperi vepres rubis.

1118) *Haud quisquam)* Heinsius, teste Burmanno ad Lucan. IX. v. 1040. ex codice Mediceo, in quo erat: *Ha...odere, non est quisque quod voluit potens,* legebat:

Haud ferre, non est quisque, quod voluit, potens.

Explicet qui potest. Seneca pater Excerpt. Controv.

Si abominanda casus optata efficit.
NUNT. Et si odia servas, cur madent fletu genae?
THES. Quod interemi, non quod amisi, fleo.

CHORUS.

Quanti casus humana rotant!
Minor in parvis fortuna furit,
Leviusque ferit leviora Deus.
Servat placidos obscura quies;
Praebetque senes casa securos.
Admota aetheriis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt Notos,
Insani Boreae minas,

VIII. 6. *Lacrima est indicium inoptatae rei. lacrimae pignora sunt nolentium, et repugnantis animi vultus index. Nemo unquam, quod cupit, deflet.*

1127) *Praebetque senes casa securos)* In aula contra est. Seneca de Ira II. 33: *Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat, cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem? Injurias, inquit, accipiendo et gratias agendo.*

1128) *Admota aetheriis culmina sedibus)* Locus adumbratus ex Horat. Od. II. 10. 9:

Saevius ventis agitatur ingens
Pinus: et celsae graviore casu
Decidunt turres: feriuntque summos
Fulgura montes.

1129) *Euros excipiunt)* Proba lectio. *Veteres* enim *quatuor omnino* ventos *servavere, per totidem mundi partes (ideo nec Homerus plures nominat) hebeti, ut mox judicatum est, ratione,* verbis Plinii Hist. Nat. II. 46. 47.

Imbriferumque Corum.
Humida vallis raros patitur
Fulminis ictus. tremuit telo
Jovis altisoni Caucasus ingens,
Phrygiumque nemus matris Cybeles.
Metuens coelo Jupiter alto
Vicina petit. non capit unquam
Magnos motus humilis tecti
Plebeja domus.
Circa regna tonat.
Volat ambiguis
Mobilis alis hora; nec ulli

1136) *Metuens coelo Jupiter)* Heinsius optabat potius *montium coelo vicina.* Sed renuit metrum. Ad *vicina* subaudi *coelo*, omissum per ellipsin ejusdem nominis frequentissimam. Intelliguntur autem summa quaevis. *Metuens coelo* dictum est, ut Herc. fur. v. 64:

Coelo timendum est, regna ne summa occupet,
Qui vicit ima:

et Herc. Oct. v. 1955:

An tibi praeclusit Pluton iter,
Et pavidus regni metuit sibi?

Ad rem facit, quod ait Ovidius Fast. III. v. 440:

Fulmina, post ausos coelum adfectare Gigantas
Sumta Jovi: primo tempore inermis erat.

1142) *Volat ambiguis Mobilis alis hora; nec ulli Praestat velox Fortuna fidem)* Alas, Horae additas, eo refer, quod Horae veloces, *alae* autem poëtis velocitatem significant. Virgil. Aen. V. v. 319:

et ventis et fulminis ocior alis.

Praestat velox Fortuna fidem.
Qui clara videt sidera mundi,
Nitidumque diem nocte relicta,
Luget moestos tristis reditus;
Ipsoque magis flebile Averno
Sedis patriae videt hospitium.
Pallas Actaeae veneranda genti,
Quod tuus coelum superosque Theseus
Spectat, et fugit Stygias paludes,
Casta nil debes patruo rapaci:
Constat inferno numerus tyranno.
Quae vox ab altis flebilis tectis sonat?
Strictoque vecors Phaedra quid ferro parat?

---

ubi vid. Heyn. et Wakefield. ad Lucret. II. v. 213. *rapidam* vero *Fortunam* habemus in Medea v. 219. Quamobrem supersedere Heinsius labore suo poterat, quo rescribit:

Volat ambiguis
Mobilis alis aura; nec ulli
Praestat velo Fortuna fidem.

Senecae consonat Silius VII. v. 245:

Non ulla perenni
Amplexu Fortuna fovet.

1145) *nocte relicta)* Mss. nonnulli *morte*, quod est glossema. Noster in Oedipo v. 585:

ipse pallentes deos
Vidi inter umbras: ipse torpentes lacus
Noctemque veram.

ACTUS QUINTUS.

THESEUS, PHAEDRA.

THES. Quis te dolore percitam instigat furor?
Quid ensis iste? quidve vociferatio,
Planctusque supra corpus invisum volunt?
PH. Me, me, profundi saeve dominator freti,
Invade, et in me monstra caerulei maris
Emitte; quidquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat, quidquid Oceanus vagis
Complexus undis ultimo fluctu tegit.
O dire Theseu semper, o nunquam ad tuos
Tuto reverse! natus et genitor nece
Reditus tuos luere. pervertis domum,
Amore semper conjugum aut odio nocens.
Hippolyte, tales intuor vultus tuos?
Talesque feci? membra quis saevus Sinis,
Aut quis Procrustes sparsit? aut quis Cressius
Daedalea vasto claustra mugitu replens,
Taurus biformis, ore cornigero ferox,
Divulsit? heu me! quo tuus fugit decor,
Oculique, nostrum sidus? exanimis jaces?

Ades parumper, verbaque exaudi mea.
Nil turpe loquimur. hac manu poenas tibi
Solvam, et nefando pectori ferrum inseram,
Animaque Phaedram pariter ac scelere exuam;
Et te per undas, perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar.
Placemus umbras. capitis exuvias cape,
Laceraeque frontis accipe abscissam comam.
Non licuit animos jungere, at certe licet
Junxisse fata. morere, si casta es, viro;
Si incesta, amori. conjugis thalamos petam
Tanto impiatos facinore? hoc deerat nefas,
Ut vindicato sancta fruereris toro?
O mors amoris una sedamen mali,
O mors pudoris maximum laesi decus,
Confugimus ad te: pande placatos sinus.
Audite, Athenae: tuque funesta pater
Pejor noverca. falsa memoravi; et nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,

1184) *Junxisse fata*) Pari modo loquitur Silius IX. v. 409:

Occubuere simul; votisque ex omnibus unum
Id Fortuna dedit, junctam inter proelia mortem.

1189) *O mors pudoris*) Colorem duxit partim ex Horatio, Od. III. 24. 24:

metuens alterius viri
Certo foedere castitas,
Et peccare nefas, aut pretium emori.

partim ex verbis Didonis apud Ovidium Heroid. VII. v. 97:

Exige, laese pudor, poenas, violate Sichaeo.

Mentita finxi: vana punisti pater;
Juvenisque castus crimine incestae jacet,
Pudicus, insons, recipe jam mores tuos;
Mucrone pectus impium justo patet,
Cruorque sancto solvit inferias viro.
Quid facere rapto debeas nato parens,
Disce ex noverca: condere Acherontis plagis.

THESEUS, CHORUS.

THES. Pallidi fauces Averni, vosque Taenarei specus,
Unda miseris grata Lethes, vosque torpentes lacus,

1196) *recipe jam mores tuos)* Hippolytum alloquitur. *mores*, id est, castitatem, pudicitiam. De hoc usu conf. Burman. ad T. I. Anthol. Lat. p. 631.

1197) *justo patet)* id est, apertum est. Sic in Oedipo v. 138:

patuit sub ictu
Ponderis vasti resoluta cervix.

et v. 1036:

utrumne pectori infigam meo
Telum? an patenti conditum jugulo imprimam?

1198) *sanctoque solvit inferias)* Hic subit illud ex Anthologia Graeca T. III. p. 249:

Ἱππόλυτον δ' ἁγνὴ πέφνε σαοφροσύνη.

1200) *condere Acherontis plagis)* Heinsius Thesei esse censet, Phaedram morientem diris persecuti. Sed vereor, ut tales dirae Senecam deceant. Aristophanem decent, cui frequens est: *ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοί.* Huc enim redeunt illa, Theseo pronuntiante.

Impium rapite, atque mersum premite perpetuis malis.
Nunc adeste saeva ponti monstra, nunc vastum mare,
Ultimo quodcunque Proteus aequorum abscondit sinu,
Meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.
Tuque semper, genitor, irae facilis assensor meae,
Morte facili dignus haud sum, qui nova natum nece

1207) *irae facilis assensor meae*) Huc pertinet illud Juvenalis X. 7:

Evertere domos totas optantibus ipsis
Dii faciles.

1208) *Morte facili dignus haud sum*) Withofius non dubitat scribere: *Morte quali dignus heu sum*, quod praeter necessitatem facit. Noster Consolat. ad Marc. 18: *carissimorum acerba desideria, et mors, incertum facilis, an per poenam cruciatumque.* Et iterum Epist. 70: *Non possis de re in universum pronuntiare, cum mortem vis externa denuntiat, occupanda sit, an exspectanda. Multa enim sunt, quae in utramque partem trahere possunt. Si altera mors cum tormento, altera simplex et facilis est, quidni huic injicienda sit manus?* Pro eo dixit Prudentius X. Peristeph. 878:

Tentemus igitur ante partem quampiam
Truncare ferro corporis superstitis,
Ne morte simpla criminosus multiplex
Cadat, vel una perfidus caede oppetat:
Quot membra gestat, tot modis pereat volo.

Segregem sparsi per agros: quique, dum falsum nefas
Exsequor vindex severus, incidi in verum scelus.
Sidera et manes, et undas scelere complevi meo.
Amplius sors nulla restat; regna me norunt tria.
In hoc redimus? patuit ad coelum via,
Bina ut viderem funera, et geminam necem?
Coelebs et orbus, funebres una face
Ut concremarem prolis ac thalami rogos?

Ibid.) *nova natum nece)* Editur olim *vana*, sine mente. *nova nex* est insolita, quomodo post loquitur, v. 1220:

leti artifex
Exitia machinatus insolita, effera.

1209) *Segregem sparsi)* *Segregem*, id est, discerptum a monstro, ut bene Savaro ad Sidon. Epist. IX. 3.

1210) *incidi in verum scelus)* Quanto L. Gellius circumspectius, *qui*, prodente Val. Maximo V. 9. 1. *cum gravissima crimina de filio, in novercam commissum stuprum, et parricidium cogitatum, propemodum explorata haberet, non tamen ad vindictam procurrit continuo, sed paene universo senatu adhibito in consilium, expositis suspicionibus, defendendi se adolescenti potestatem fecit. Inspectaque diligentissime causa, absolvit eum tum consilii, tum etiam sua sententia. Quod si impetu irae abstractus saevire festinasset, admisisset magis scelus, quam vindicasset.*

1213) *patuit ad coelum via)* *ad coelum* dicitur, ut in Hercule furenti v. 276:

Subitusque ad astra emerget.

ubi vide.

Donator atrae lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus. ereptos mihi
Restitue manes. impius frustra invoco
Mortem relictam. crudus, et leti artifex,
Exitia machinatus insolita, effera,
Nunc tibimet ipse justa supplicia irroga.
Pinus coacto vertice attingens humum
Coelo remissum findat in geminas trabes,
Mittarve praeceps saxa per Scironia.
Graviora vidi, quae pati clusos jubet
Phlegethon, nocentes igneo cingens vado.
Quae poena maneat memet et sedes, scio.
Umbrae nocentes cedite, et cervicibus
His, his repositum degravet fessas manus
Saxum, seni perennis Aeolio labor.

1224) *Coelo remissum*) Ed. Parisiensis anni 1514. *remissa,* quod obscuram facit orationem. Comparandus autem locus Ovidii Met. VII. v. 440:

ille Sinis, magnis male viribus usus,
Qui poterat curvare trabes, et agebat ab alto
Ad terram late sparsuras corpora pinus.

1226) *Graviora vidi)* Auditur: quam quae memoravi. Perperam Heinsius malebat:

Graviora merui, quam pati inclusos jubet
Phlegethon nocentes.

Hoc enim perinde est, ac si dixisset: graviora gravissimis merui. Quid inflatius et tumidius?

1231) *seni perennis Aeolio labor)* Expressit Horatium Od. II. 14. 20:

damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

Me ludat amnis ora vicina alluens.
Vultur relicto transvolet Tityo ferus,
Meumque poenae semper accrescat jecur.
Et tu mei requiesce Pirithoi pater.
Haec incitatis membra turbinibus ferat
Nusquam resistens orbe revoluto rota.
Dehisce, tellus; recipe me, dirum chaos,
Recipe: haec ad umbras justior nobis via est.
Natum sequor. ne metue, qui manes regis;
Casti venimus. recipe me aeterna domo
Non exiturum. non movent Divos preces:
At si rogarem scelera, quam proni forent!
CHOR. Theseu, querelis tempus aeternum manet.
Nunc justa nato solve, et absconde ocius
Dispersa foede membra laniatu effero.
THES. Huc, huc reliquias vehite cari corporis,
Pondusque, et artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? crimen agnosco meum.

1232) *ora vicina alluens*) *abluens* in Trajectino codice lectum jure damnat Burmannus ad T. I. Anthol. Lat. p. 506.

1237) *Nusquam resistens*) Multi codices *Nunquam*. Sed vulgatam lectionem egregie confirmat Velleius I. 16. 1. *praecipiti festinatione, quae me rotae, pronive gurgitis ac verticis modo* n u s q u a m *patitur consistere.*

1248) *Pondusque et artus*) Heinsius malebat *Truncosque.* Sed nihil est opus. Pari enim ratione dicit noster Troasin v. 1114. de Astyanacte:

Ego te peremi. neu nocens tantum semel
Solusve fierem, facinus ausurus parens,
Patrem advocavi. munere en patrio fruor.
O triste fractis orbitas annis malum!
Complectere artus, quodque de nato est super,
Miserande moesto pectore incumbens fove.
Disjecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone, et errantes loco
Restitue partes. fortis heic dextrae locus;

Quos enim praeceps locus
Reliquit a r t u s? *ossa disjecta et gravi*
Elisa casu, signa clari corporis,
Et ora, et illas nobiles patris notas
Confudit imam p o n d u s *ad terram datum.*
Soluta cervix. silicis impulsu caput
Ruptum, cerebro penitus expresso jacet
Deforme corpus.

1256) *Disjecta genitor membra*) Par Thebaidum pietas apud Statium Theb. III. v. 131:

pars molliter aptant
Brachia trunca loco, et cervicibus ora reponunt.

De parentibus eorum, qui Sullano ferro ceciderunt, eadem praedicat Lucanus II. v. 166:

Cum jam tabe fluunt, confusaque tempore multo
Amisere notas, miserorum dextra parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.
Meque ipsum memini caesi deformia fratris
Ora rogo cupidum, vestitisque imponere flammis,
Omnia Sullanae lustrasse cadavera pacis:
Perque omnes truncos, cum qua cervice recisum
Conveniat, quaesisse caput.

Heic laeva frenis docta moderandis manus
Ponenda. laevi lateris agnosco notas.
Quam magna lacrimis pars adhuc nostris abest?
Durate trepidae lugubri officio manus,
Fletusque largos sistite arentes genae,
Dum membra nato genitor annumerat suo,
Corpusque fingit. hoc quid est forma carens,
Et turpe multo vulnere abruptum undique?
Quae pars tui sit dubito, sed pars est tui.
Heic, heic repone; non suo, at vacuo loco.
Haecne illa facies igne sidereo nitens,
Inimica flectens lumina? huc cecidit decor?
O dira fata! numinum o saevus favor!
Sic ad parentem natus ex voto redit?
En haec suprema dona genitoris cape,
Saepe efferendus. interim haec ignes ferant.

1265) *Corpusque fingit*) id est, componit, quomodo loquitur Statius Theb. IV. v. 569:

mitior illum
Flet pater, et lacerum componit corpus Echion.

1266) *multo vulnere abruptum*) *obruptum* scribit Wakefieldus ad Lucret. V. v. 505. Sed *abruptum*, hoc est, avulsum vi membrum fuisse oportet, quod nulli loco aptari, cum nullo alio membro congruere possit. Fortius quoque verbum flagitant adjuncta *multo vulnere* et *undique*.

1274) *Saepe efferendus*) Eodem acumine noster Herc. Oet. v. 211:

Pro, si tumulum fata dedissent,
Quoties, genitor, quaerendus eras!

Patefacite acerba caede funestam domum,
Mopsopia claris tota lamentis sonet.
Vos apparate regii flammam rogi:
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite. istam terra defossam premat,
Gravisque tellus impio capiti incubet.

---

et Claudianus V. v. 453:
Per partes tegitur; nusquam totiesque sepultus.

OEDIPUS.

DRAMATIS PERSONAE.

OEDIPUS.
JOCASTA.
CREON.
CHORUS THEBANORUM.
TIRESIAS.
MANTO.
SENEX.
PHORBAS.
NUNTIUS.

ACTUS PRIMUS.

OEDIPUS, JOCASTA.

OED. Jam nocte Titan dubius expulsa redit,
Et nube moestus squallida exoritur jubar,
Lumenque flamma triste luctifica gerens
Prospiciet avida peste solatas domos,

---

1) *Titan dubius*) *dubius* est, qui vix apparet. De hoc usu videndi praeter Gronov. ad h. l. Drakenborch. ad Sil. II. v. 89. et Wernsdorf. ad Rutil. Itiner. I. v. 217.

2) *nube moestum squallida exoritur jubar*) Verissime Gronovius correxit *moestus*. Quod ipse Seneca confirmat, permutata ratione dicens in Hercule Oetaeo v. 723:

Et forte nulla nube respersus jubar
Laxabat ardens fervidum Titan diem.

4) *Prospiciet avida peste*) Heinsius legi vult *Prospectat* et *ostendit*, quia dies jam exortus erat. Sed non desunt exempla similis temporum enallages. Vide laudata viris doctis ad Viger. de Graec. Dict. Idiotism. p. 207 et 208.

Stragemque, quam nox fecit, ostendet dies.
Quisquamne regno gaudet? o fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis!
Ut alta ventos semper excipiunt juga;
Rupemque saxis vasta dirimentem freta,
Quamvis quieti, verberant fluctus maris:
Imperia sic excelsa Fortunae objacent.
Quam bene parentis sceptra Polybi fugeram,
Curis solutus, exsul, intrepidus, vagans!
Coelum Deosque testor, in regnum incidi.
Infanda timeo, ne mea genitor manu
Perimatur. hoc me Delphicae laurus monent,
Aliudque nobis majus indicunt scelus.
Est majus aliquod patre mactato nefas?
Pro, misera pietas! eloqui fatum pudet.
Thalamos parentis Phoebus et diros toros
Nato minatur, impia incestos face.
Hic me paternis expulit regnis timor.

---

14) *in regnum incidi*) Non est audiendus Heinsius, dum reponit:

Coelum Deosque testor, ut in regnum incidi,
Infanda timeo.

Sic enim ait, qui Senecae ob oculos fuit, Sophocles Oed. Col. v. 273. in ejusdem Oedipodis persona:

νῦν δ' οὐδὲν εἰδὼς ἱκόμην ἵν' ἱκόμην.

Verbi *incidere* contrarium est *venire.* Cicero Epist. ad Div. II. 7. *Quod in id reip. tempus non incideris, sed veneris: judicio enim suo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum.* Seneca de Provid. c. 5. *non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt.*

Non ego penates profugus excessi meos.
Parum ipse fidens mihimet in tuto tua,
Natura, posui jura. cum magna horreas,
Quae posse fieri non putes, metuas tamen.
Cuncta expavesco, meque non credo mihi.
Jamjam aliquid in nos fata moliri parant.
Nam quid rear, quod ista Cadmeae lues
Infesta genti, strage tam late edita
Mihi parcit uni? cui reservamur malo?
Inter ruinas urbis, et semper novis
Deflenda lacrimis funera, ac populi struem,
Incolumis adsto. scilicet Phoebi reus
Sperare poteras sceleribus tantis dari
Regnum salubre? fecimus coelum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fovet
Anhela flammis corda: non Zephyri leves
Spirant; sed igne frigit aestiferi Canis

---

31) *cui reservamur malo?)* Geminum Theramenis dictum refert Aelianus Var. Hist. IX. 21. *ἔτυχεν ἐν οἰκίᾳ τινὶ διατρίβων, εἶτα ἐπεὶ προῆλθεν αὐτῆς, παραχρῆμα ἐκείνη κατηνέχθη. καὶ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι ἄλλοι ἀλλαχόθεν αὐτῷ περιφύντες συνήδοντο ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ τῇ παραδόξῳ. ὁ δὲ παρὰ τὴν πάντων ἐλπίδα ἀπεκρίνατο· Ὦ Ζεῦ, ἐς τίνα με καιρὸν φυλάττεις; καὶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἀνῃρέθη, πιεῖν κώνειον καταναγκασθείς.*

34) *Incolumis adsto)* Gronovius verbum sollicitans, non meminerat Papinii, similiter locuti Theb. II. v. 678:

mediis in caedibus adstat.

39) *sed ignes auget aestiferi Canis Titan)* Liber prima-

Titan, Leonis terga Nemeaei premens.
Deseruit amnes humor, atque herbas color.
Aretque Dirce. tenuis Ismenos fluit,

---

rius: *igne friget,* cujus ex vestigiis diu est, quod emendabam: *igne frigit,* id est, torret. Idem verbum Heinsius restituit Ovidio Medic. fac. v. 70. ubi vide. Vulgata physicae et poëticae rationi contraria. Non enim sol caniculae, sed canicula solis calorem duplicat. Seneca Nat. Quaest. VII. 27. *Quid est, quare in Leone semper sol ardeat, et terras aestibus torreat?* et Plinius Hist. Nat. II. 40. 40. *Caniculae exortu accendi solis vapores.* 18. 68. de eadem: *accenditque solem, et magnam aestatis obtinet causam.* 47. 47. *Solis vapor geminatus ardore sideris,* id est, Sirii. Quibuscum concinunt Manilius V. v. 207:

Cum vero in vastos surget Nemeaeus hiatus,
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammas,
Et rabit igne suo, geminatque incendia solis.

Germanicus, de Sirio loquens:

Cum tetigit solis radios, accenditur aestas.

Valerius Flaccus V. v. 369:

autumno — cum magis asperat ignes
Sirius.

Martialis X. 62. 6:

Albae leone flammeo *calent luces,*
Tostamque fervens Julius coquit messem.

Silius XVI. v. 99:

cum letiferos accendens Sirius ignes,
Torret anhelantem saevis ardoribus orbem.

Ausonius Carm. 332. v. 16:

Sirius ardentem non augeat igne Leonem.

Claudianus XLVII. v. 33:

Quoque die Titana Canis flagrantior armat.

Et tingit inopi nuda vix unda vada.
Obscura coelo labitur Phoebi soror;
Tristisque mundus nubilo pallet novo.
Nullum serenis noctibus sidus micat:
Sed gravis et ater incubat terris vapor.
Obtexit arces coelitum ac summas domos
Inferna facies. denegat fructum Ceres
Adulta; et altis flava cum spicis tremat,
Arente culmo sterilis emoritur seges.
Nec ulla pars immunis exitio vacat:
Sed omnis aetas pariter et sexus ruit,

Prudentius Cathem. XII. v. 22:
si quod astrum Sirio
Fervet vapore.

45) *mundus nubilo pallet novo)* Dan. Heinsius corrigit: *nubilo pallet Jove*, quod admodum placuit Gronovio ad h. l. et Nic. Heinsio Adversar. p. 280 seqq. ubi nube exemplorum obruimur docendi, *Jovem* quandoque sumi pro aethere seu coelo. Sed ita ταυτολόγος fit Seneca. Namque *mundus nubilo pallet Jove* idem est, ac si dicat: coelum nubilo pallet coelo. *nubilum* vero *novum* pro horribili, foedo positum videtur. Silius X. v. 349:

Ductori precor immittas nova somnia Poeno.

ubi confer Drakenborchium.

48) *summas domos)* Miror Heinsium pro *summas* maluisse *superas*. Nam *summae domus* eodem plane modo dicuntur, ut *summa arx*, *summum penetrale*, et similia, quae fortem assertorem habent ipsum ad Ov. Fast. II. v. 70.

53) *sexus ruit)* id est, cadit, occumbit moriens. Auctor Epitomes Il. Hom. v. 46:

Juvenesque senibus jungit, et natis patres
Funesta pestis. una fax thalamos cremat:
Fletuque acerbo funera et questu carent.
Quin ipsa tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos: quodque in extremis solet,

---

pestemque per omnes
Immittit populos. vulgus ruit undique Grajum,
Vixque rogis superest tellus, vix ignibus arbor,
Deerat ager tumulis.

Quinctilianus Declam. XII. 15. *hic vulnus altissime penetrat, hic ipsa vitalia feriuntur, ubi populus ruit, ubi continuis funeribus omnis sexus atque aetas semel sternitur.*

54) *Juvenesque senibus*) Ex Lucretio VI. v. 1255:
Exanimis pueris super exanimata parentum
Corpora non nunquam posses retroque videre
Matribus et patribus gnatos super edere vitam.

55) *una fax*) Rescribit Heinsius *ima fax.* Sed male. Nam *una fax* seu idem rogus, et *thalami* seu duo conjuges hic inter se opponuntur. Eodem vero sensu *unus rogus* adfuit Herc. fur. v. 508.

56) *Fletuque acerbo funera*) Heinsius emendat *acerba funera*, quod speciosius est, quam verius. Generaliter enim loquuntur, qui Senecae ob oculos fuere, Sophocles Oed. Tyr. v. 180:
νηλέα δὲ γένεθλα
πρὸς πέδῳ θανατηφόρῳ
κεῖται ἀνοίκτως.
et Ovidius in descriptione pestilitatis, Aegina grassantis, Met. VII. v. 611:
Qui lacriment desunt. indefletaeque vagantur
Natarum matrumque animae, juvenumque senumque.

Periere lacrimae. portat hunc aeger parens
Supremum ad ignem: mater hunc amens gerit;
Properatque, ut alium repetat in eundem rogum.
Quin luctu in ipso luctus exoritur novus,
Suaeque circa funus exsequiae cadunt.
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Diripitur ignis. nullus est miseris pudor.
Non ossa tumuli sancta discreti tegunt.
Arsisse satis est. pars quota in cineres abit?
Deest terra tumulis. jam rogos silvae negant.
Non vota, non ars ulla correptos levant.
Cadunt medentes. morbus auxilium trahit.

---

59) *Periere lacrimae*) quae diuturna miseria consumuntur et exarescunt. conf. Herc. fur. v. 1229.

61) *ut alium repetat in eundem rogum*) Heinsius, ut ambiguitas, inquit, orationis vitetur, malim, *alios repetat*, nempe mortuos. Nescio quam dicat ambiguitatem, quando vox *rogum* neque per contextum, neque per collocationem alio, quam ad *eundem*, referri potest.

64) *Tum propria*) Sumsit a Lucretio VI. v. 1281:

suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant.
Subdebantque faces; multo cum sanguine saepe
Rixantes potius, quam corpora desererentur.

Unde et Ovidius Met. VII. v. 610:

et jam reverentia nulla est,
Deque rogis pugnant, alienisque ignibus ardent.

66) *ossa tumuli sancta discreti*) Opponuntur sibi *tumuli indiscreti*, et *ossa sancta*, de religione manium admonens in loco. Non igitur debebat Heinsius *functa* scribere pro *sancta*.

Affusus aris supplices tendo manus,
Matura poscens fata, praecurram ut prior
Patriam ruentem; neve post omnes cadam,
Fiamque regni funus extremum mei.
O saeva nimium numina! o fatum grave!
Negatur uni nempe in hoc populo mihi
Mors tam parata? sperne letali manu
Contacta regna, linque lacrimas, funera,
Tabifica coeli vitia, quae tecum invehis
Infaustus hospes: profuge jamdudum ocius
Vel ad parentes. JOC. Quid juvat, conjux, mala
Gravare questu? regium hoc ipsum reor,
Adversa capere; quoque sit dubius magis

---

72) *praecurram ut prior)* Heinsius malebat *praevertam.* Sed *praecurram* commodius respondet praecedenti *matura poscens fata.* Columella III. 1. 7. *praecoques, quorum maturitas praecurrit hiemem.* P. Burmannum *praecurram precor* legere tentantem bene refellit Burmannus cognomine Secundus ad T. II. Anth. Lat. p. 189. cujus exemplis adde Sen. Herc. Oet. v. 773:

Ad fata et umbras, atque pejorem polum
Praecedere illum dicis? an possum prior
Mortem occupare?

76) *Negatur uni)* Huc facit, quod Crebillon ait in Idoménée I. 2:

Eh! frapper tout son peuple, est-ce épargner un Roi?

83) *Adversa capere)* id est, adversis ferendis parem esse. Silius XI. v. 171:

Novi Dis animas similes et pectora magnis

Status, et cadentis imperii moles labat,
Hoc stare certo pressius fortem gradu.
Haud est virile, terga Fortunae dare. —
OED. Abest pavoris crimen ac probrum procul,
Virtusque nostra nescit ignavos metus.
Si tela contra stricta, si vis horrida
Mavortis in me rueret; adversus feros
Audax gigantas obviam ferrem manus.
Nec Sphinga caecis verba nectentem modis

Nunquam angusta malis; capiunt (mihi credite) Cannas,
Et Thrasymena vada, et Paulli memorabile letum.

ubi Seneca usus est Drakenborchius.

84) *imperii moles labat*) *labet* Florentinus; et sic Heinsius conjecerat. Nihil tamen muto. Latini enim, ut Graeci, crebro usurpant indicativum pro subjunctivo. Vide modo Zeunium ad Viger. de graec. dict. idiotism. p. 192.

89) *tela contra stricta*) *bella* scribit Tollius ad Palaephatum p. 176. ex Floro III. 21. 1. *Hoc deerat unum populi Romani malis, jam ut ipse intra se parricidale bellum domi stringeret,* cum potius ex Seneca *telum* in Floro scribere deberet. Nam *bella stringere* qui dixerit, neminem reperias. *tela stringere* dixit etiam Claudianus XXXIII. v. 97.

91) *Adversus feros Audax gigantes obvias ferrem manus*) In Florentino legitur *gigantas*. Rectius, ut monet Heinsius ad Ov. Met. I. v. 152. Idem liber *obviam,* quod et ipsum rectius esse deprehendet, quisquis aurem suam interrogaverit.

Fugi. cruentos vatis infandae tuli
Rictus, et albens ossibus sparsis solum.
Cumque e superba rupe, jam praedae imminens,
Aptaret alas verbere, et caudam movens,
Saevi leonis more, conciperet minas,
Carmen poposci. sonuit horrendum. insuper
Crepuere malae; saxaque impatiens morae
Revulsit unguis, viscera exspectans mea.
Nodosa sortis verba, et implexos dolos,
Ac triste carmen alitis solvi ferae.
JOC. Quid sera mortis vota nunc demens facis?

---

95) *Cumque e superba rupe*) id est, alta et ardua. Festus Avienus Descriptione Orbis v. 1169. *Saxa jugis avulsa superbis.* ita enim codex vetustus. Idem Avienus Ora maritima v. 322:

post in occiduum diem
Sacrum superbas erigit cautes jugum.

et v. 504:

Juxta superbum mons sacer caput exserit.

Gratius Cynegetico v. 63:

illi aggeribus tentare superbis
Aetheraque, et matres ausi tractare Deorum.

Heinsius Adv. p. 211.

Hunc vocis usum si tenuisset Gronovius, certe non rescripsisset *superna rupe.*

99) *Crepuere*) prae ingluvie.

100) *Revulsit unguis*) *ungui* corrigit Heinsius. Quasi non poëtis concessum esset, mutarum etiam rerum affectus assimulare. Exempla passim obvia.

103) *mortis vota nunc demens facis*) Vulgato *mortis* non video melius esse *morti*, quod Heinsio placuit.

Licuit perire. laudis hoc pretium tibi
Sceptrum, et peremtae Sphingis haec merces
datur.

OED. Ille ille dirus callidi monstri cinis
In nos rebellat. illa nunc Thebas lues
Peremta perdit. una jam superest salus,
Si quam salutis Phoebus ostendit viam.

CHORUS.

Occidis Cadmi generosa proles
Urbe cum tota. viduas colonis
Respicis terras, miseranda Thebe.
Carpitur leto tuus ille, Bacche,
Miles, extremos comes usque ad Indos,
Ausus Eois equitare campis,
Figere et mundo tua signa primo.
Cinnami silvis Arabes beatos

---

108) *illa nunc Thebas lues Peremta perdit una. jam superest salus*) Distinguendum, ut feci, post *perdit.* Ante oculos enim habuit Seneca locum Sophoclis ex Oedipo Tyranno v. 68. ubi sic ait Oedipus:

ἣν δ' εὖ σκοπῶν εὕρισκον ἴασιν μόνην,
ταύτην ἔπραξα· παῖδα γὰρ Μενοικέως
Κρέοντ' ἐμαυτοῦ γαμβρὸν ἐς τὰ Πυθικὰ
ἔπεμψα Φοίβου δώμαθ', ὡς πύθοιθ', ὅ τι
δρῶν ἢ τί φωνῶν τήνδε ῥυσαίμην πόλιν.

Eodem respicit Statius, cum dicit Theb. X. v. 590:

Tiresian alii lacrimis et supplice coetu
Orant, quodque unum rebus solamen in arctis,
Nosse futura rogant.

Vidit, et versas equitis sagittas,
Terga fallacis] metuenda Parthi.
Litus intravit pelagi rubentis.
Promit hic ortus, aperitque lucem
Phoebus, et flamma propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis invictae genus interimus,
Labimur saevo rapiente fato.
Ducitur semper nova pompa Morti.

---

118) *versas equitis sagittas, Terga)* Cuninghamius Animadversionum in Bentleii Notas et Emendationes ad Horat. pag. 86. vult, dissolutionis figuram statuamus, aut legamus *versis sagittis* pro *versas sagittas.* Ego acquiesco Gronovio, vulgatum sic explicanti: *et versas sagittas equitis Parthi, terga metuenda fallacis. qui fallit decipitque homines dato tergo, sic vincere putantes, cum ea ipsa terga seu fugae Parthorum maxime sint metuendae.* Ovidius Trist. II. v. 228:

nunc porrigit arcus
Parthus eques.

ubi Ciofanum vide. Structura noster Graecos imitatur, ut Herc. fur. v. 203:

Megara, parvum comitata gregem.

re autem Horatium Od. II. 13. 17:

Navita Bosporum
Poenus perhorrescit, neque ultra
Caeca timet aliunde fata;
Miles sagittas et celerem fugam
Parthi.

123) *Inficit Indos)* Propertius III. 11. 16:

Quos Aurora suis rubra colorat equis.

Longus ad manes properatur ordo
Agminis moesti, seriesque tristis
Haeret; et turbae tumulos petenti
Non satis septem patuere portae.
Stat gravis strages, premiturque juncto
Funere funus.
Prima vis tardas tetigit bidentes;
Laniger pingues male carpsit herbas.
Colla tacturus steterat sacerdos;
Dum manus certum parat alta vulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur segnis. patuit sub ictu

---

138) *patuit sub ictu*) Intelligenda hic a fronte particula *Si*: dein scribendum: *Non cruor;* et haec ejusdem periodi sunt. Sin autem, inquit, non est lapsus taurus, antequam caederetur, et stetit, donec collum ei secaret securis, non sanguis emicuit ex vulnere, sed sanies. Vel, Alii steterunt, et ictum exceperunt: sed tum non prosiluit cruor, sanies effusa est. Gronovius.

Posteriorem rationem veriorem esse, doceat te Virgilius, qui Senecae praeivit, Georg. III. v. 486:

Saepe in honore Deûm medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantis cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
Inde neque impositis ardent altaria fibris;
Nec responsa potest consultus reddere vates;
Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.

Ponderis vasti resoluta cervix:
Nec cruor ferrum maculavit. atra
Turpis e plaga sanies profusa est.
Segnior cursu sonipes in ipso
Concidit gyro, dominumque prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictae.
Taurus armento pereunte marcet.
Deficit pastor grege diminuto,
Tabidos inter moriens juvencos.
Non lupos cervi metuunt rapaces.
Cessat irati fremitus leonis.
Nulla villosis feritas in ursis.
Perdidit pestem latebrosa serpens;
Aret, et sicco moritur veneno.

---

142) *Segnior cursu)* *circi* tentatum Heinsio. Sed displicet *circi sonipes in ipso circo.* Huc nimirum redit *circi sonipes in ipso gyro.* Sextos autem casus jungi, non est novum. vide ad Thyest. v. 1081.

144) *Prodidit armo)* Hoc ita variavit Silius X. v. 256:

Cernuus inflexo sonipes effuderat armo.

145) *Incubant pratis)* *agris* est in Florentino. Sed *prata* pecudibus aptiora.

147) *Deficit pastor)* Lucretius VI. v. 1250:

Praeterea jam pastor, et armentarius omnis,
Et robustus item curvi moderator aratri,
Languebat.

153) *Aret, et sicco)* id est, aret, et ariditate perit. Nihil apertius dici potuit. Ab Heinsio legitur *Arida et sicco moritur veneno,* cum damno si non perspicuitatis, certe vigoris, quem orationi confert Asyndeton.

Non silva sua decorata coma
Fundit opacis montibus umbras.
Non rura virent ubere glebae.
Non plena suo vitis Iaccho
Brachia curvat.
Omnia nostrum sensere malum.
Rupere Erebi claustra profundi
Turba sororum face Tartarea:
Phlegethonque sua motam ripa
Miscuit undis Styga Sidoniis.
Mors alta avidos oris hiatus

---

156) *virent ubere glebae*) Ut *nitent* potius cum Gronovio legam, nihil me movet. *virere* enim dicitur, quicquid est laeta conditione. Ovidius Met. II. v. 795:

Tritonida conspicit arcem,
Ingeniis, opibusque, et festa pace v i r e n t e m.

Claudianus XXXIII. v. 235:

Devenere locum, Cereris quo tecta v i r e b a n t.

utroque loco confer Heinsium. *ubere glebae* pro soli ubertate dicit, Virgilium imitatus Aen. I. v. 531:

Terra antiqua, potens armis, atque u b e r e
g l e b a e.

Id monere visum est Besselii causa, qui Miscellaneorum Philologico-Criticorum Syntagmatis p. 69. *ubere gleba* reponit.

163) *Miscuit undis Styga Sidoniis*) Ovid. Met. VII. v. 533:

Constat et in fontes vitium venisse lacusque.

Lucan. VI. v. 93:

coeloque paratior unda
Omne pati virus, duravit viscera coeno.

164) *Mors alta*) Wakefieldus ad Lucret. V. v. 376. aeque

Pandit, et omnes explicat alas.
Quique capaci turbida cymba
Flumina servat durus senio
Navita crudo, vix assiduo
Brachia conto lassata refert,
Fessus turbam vectare novam.
Quin Taenarei vincula ferri
Rupisse canem fama, et nostris
Errare locis: mugisse solum:

---

ut Heinsius corrigit *atra.* Scilicet viri docti non animadvertebant, Senecam ad mortem traduxisse, quod de Tisiphone dixerat Virgilius Georg. III. v. 553:

Saevit et in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone, morbos agit ante metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.

165) *omnes explicat alas*) Hoc ita expressit Statius Theb. VIII. v. 377:

Stygiisque emissa tenebris
Mors fruitur coelo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu.

170) *turbam vectare*) Quidam *portare* legunt. Vulgata confirmatur ex Virgilio, VI. Aen. 391:

Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

173) *nostris Errasse locis*) Florentiae legitur *Errare,* sensu magis erecto, ut bene judicat Broukhusius ad Propert. III. 1. 33. Eadem temporis enallage facta est in Hercule furente v. 474:

Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrare thyrsum.

Vaga per lucos simulacra virûm
Majora viris: bis Cadmeum
Nive discussa tremuisse nemus,
Bis turbatam sanguine Dircen:
Nocte silenti
Amphionios ululasse canes.
O dira novi facies leti,
Gravior leto! piger ignavos
Alligat artus languor; et aegro
Rubor in vultu, maculaeque caput
Sparsere leves: tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus urit;
Multoque genas sanguine tendit.
Oculique rigent, et sacer ignis

---

177) *turbatam sanguine)* Wakefieldus ad Lucret. I. v. 86. emendabat *turpatam* ex Virgilii Aen. X. v. 832:

Sanguine turpantem comtos de more capillos.

Sed et *turbatam* bene se habet. Silius XI. v. 139:

victor ut idem
Lydia Romano turbarit stagna cruore.

ubi doctus ille vir non reponeret *turparit*, si meminisset similis loci Siliani I. v. 49:

sua largo
Stagna reformidat Thrasymenus turbida tabo.

186) *genas sanguine tendit)* Sic legendum esse, non *tingit*, manifestum est ex imitatione Lucani VI. v. 95:

Jam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit.

187) *Oculique rigent)* Pro eo, quod Virgilius ait Georg. III. v. 523:

oculos stupor urguet inertes.

Pascitur artus. resonant aures,
Stillatque niger naris aduncae
Cruor, et venas rumpit hiantes.
Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens. tunc amplexu
Frigida presso saxa fatigant:
Quos liberior domus elato
Custode sinit, petitis fontes,
Aliturque sitis latice ingesto.
Prostrata jacet turba per aras,
Oratque mori. solum hoc faciles
Tribuere Dei. Delubra petunt,
Haud ut voto numina placent,
Sed juvat ipsos satiare Deos.
Quisnam ille propero regiam gressu petit?
Adestne clarus sanguine ac factis Creo?

Ibid.) *sacer ignis)* de quo vid. Heyn. ad Virg. Georg. III. v. 566.

192) *tunc amplexu*) Duo codices *jamque amplexu*, quod Delrius frustra explicare conatur. Locus adumbratus e Lucret. VI. v. 1169:

ad ventum et frigora semper,
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant.

195) *petitis fontes*) hoc est, petunt fontes. Imitatur Lucanus IV. v. 306:

Quoque minus possent siccos tolerare vapores,
Quaesitae fecistis aquae.

An aeger animus falsa pro veris videt?
Adest petitus omnibus votis Creo.

---

205) *Adest petitus)* Libri aliquot iambum hunc attribuunt Oedipo, inepte. Sibi ipsi respondet Chorus, ut infr. v. 910. Hipp. v. 830. Med. v. 176. Herc. Oet. v. 1130. et v. 1755.

ACTUS SECUNDUS.

OEDIPUS, CREON.

OED. Horrore quatior, fata quo vergant timens,
Trepidumque gemino pectus afflictu labat.
Ubi laeta duris mixta in ambiguo jacent,
Incertus animus scire cum cupiat, timet.
Germane nostrae conjugis, fessis opem
Si quam reportas, voce properata edoce.
CR. Responsa dubia sorte perplexa latent.
OED. Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.
CR. Ambage flexa Delphico mos est Deo

---

207) *gemino pectus eventu labat*) Heinsius *affectu* malit, si per vetustos codices detur, vel *in eventu.* Sed auctore Florentino reposui: *gemino pectus afflictu labat*, hoc est, spe metuque pulsatum labat.

209) *Incertus animus scire cum cupiat, timet*) Euripidis verba sunt Hipp. v. 912:

ἡ γὰρ ποθοῦσα πάντα καρδία κλύειν
κἂν τοῖς κακοῖσι λίχνος οὖσ' ἁλίσκεται.

214) *Ambage nexa*) Plerique codices *flexa.* Bene. quod ostendunt imitationes Lucani I. v. 637:

Arcana tegere. OED. Fare, sit dubium licet:
Ambigua soli noscere Oedipodae datur.
CR. Caedem expiari regiam exsilio Deus,
Et interemtum Laium ulcisci jubet.
Non ante coelo lucidus curret dies,
Haustusque tutos aetheris puri dabit.
OED. Ecquis peremtor incliti regis fuit?
Quem memoret, ede, Phoebus; ut poenas luat.
CR. Sit, precor, dixisse tutum visu et auditu horrida.
Torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit.
Ut sacrata templa Phoebi supplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite summisi manus:
Gemina Parnassi nivalis arx trucem sonitum dedit,

---

flexa sic omina Tuscus
Involvens, multaque tegens ambage canebat.
et Statii Theb. IV. v. 645:
Haec ubi fatus,
Labitur, et flexa dubios ambage reliquit.
Eodem adde Pacuvianum illud ex Periboea:
Flexa, non falsa, autumare dictio Delphis solet.

224) *Torpor insedit*) Perperam *incedit* Heinsius, quod horrori, tremori, pallori, dolori, similibusque perturbationibus vix, ignavo ac desidi *torpori* nullo modo conveniat.

227) *arx trucem sonitum dedit*) Florentinus *trucem fremitum*, variatione et alibi obvia. vid. Burman. ad Virg. Aen. IX. v. 715. Annaeano loco similis est Nonni Dionys. IV. v. 308. de Cadmo Delphicum oraculum consulente:

Imminens Phoebea laurus tremuit et movit domum,
Ac repente sancta fontis lympha Castalii stetit.
Incipit Letoa vates spargere horrentes comas,

καὶ ῥία Παρνησσοῖο τινάσσετο φοιβάδος ἠχοῦς
γείτονος εἰσαΐοντα, καὶ ὀμφήεντι ῥεέθρῳ
Κασταλίης πάφλαζε νοήμονος ἔνθεον ὕδωρ.

Cujus rei causam adfert Justinus 24. 6. *Media saxi rupes in formam theatri recessit. Quamobrem et hominum clamor, et si quando accedit tubarum sonus, personantibus et respondentibus inter se rupibus, multiplex audiri, ampliorque, quam editur, resonare solet. Quae res majorem majestatis terrorem ignaris rei, et admirationem stupentibus plerumque affert.*

230) *Incipit Lethaea vates spargere horrentes comas*) Deteriores libri *Phoebea.* sed hoc jam praecessit. et *Lethaea vates* ridiculum est. in Etrusco optimo codice *loeta vates*, unde ego olim *repleta.* Sed minima mutatione literis transpositis castigandum *Letoa vates*, hoc est, Apollinea, Phoebea. Nam *Latous* a Latona matre Phoebus, sive, ut in pervetustis Horatii ac Nasonis exemplaribus offendi scriptum, *Letous.* *Λητὼ*, *Λητῶος*, et Dorice *Λατὼ*, *Λατῶος καὶ Λατοῖος*. in Varronis versibus *Λατὼ* occurrit. apud Horatium lib. I. ode 31:

Frui paratis et valido mihi,
Letoe, dones.

ita manifeste exaratum offendi in codice Leidensis Bibliothecae vetustissimo. Apud Nasonem quoque exemplar Florentinum S. Marci praecipuae bonitatis Metamorphoseon libro VII. et VIII. *Letoidos* et *proles Letoia.* vide quae dixi ad Ovid. III. Trist. El. 2. v. 3. Ausonii liber venerandae antiquitatis in Bibliotheca Vossiana Epigrammate de Latona Epitaph. XXVII:

Et pati commota Phoebum. contigit nondum specum,
Emicat vasto fragore major humano sonus:
„Mitia Cadmeis remeabunt sidera Thebis,
„Si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes,
„Regis caede nocens, Phoebo jam notus et infans.
„Nec tibi longa manent sceleratae gaudia caedis.
„Tecum bella geres; natis quoque bella relinques;
„Turpis maternos iterum revolutus in ortus."

— — laesi numina Laetoidum.
sic *Thraex*, *Thraecus* et *Thraecidicus* in antiquis marmoribus ac voluminibus manu exaratis pervetusta, cum et *Threx*, et *Thrax* latine dicantur. *Letoa vates* igitur, quae *Cirrhea* post appellabitur. Apud Catullum quoque nuptiis Thetidis et Pelei cum hunc legatur v. 392:

Cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent laeti divum fumantibus aris.

dubitari possit, poetam ipsum dedisse,

Acciperent Laetonigenam fumantibus aris.

sic Nasoni lib. VI. Met. v. 160:

Et date Latonae Latonigenisque duobus
Cum prece tura pia.

Letoa igitur *vates* pro vate Latoi. sic Papinio in Silvis *Cyllarus Ledaeus*, cum Cyllarus revera non esset equus Ledae, sed Castoris, qui Ledae filius.

Heinsius.

Recepi posteriorem emendationem, ut faciliorem, et Burmanno ad T. I. Anthol. Lat. p. 601. probatam.

238) *bella relinques; Turpis)* Incesti reus merito *turpis* audit. Cicero Tusc. Quaest. IV. §. 75. *stupra dico, et corruptelas, et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est turpitudo.* Non est

OED. Quod facere monitu coelitum jussus paro,
Functi cineribus regis hoc decuit dari,
Ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
Regi tuenda maxime regum est salus.
Queritur peremtum nemo, quem incolumem timet.
CR. Curam peremti major excussit timor.
OED. Pium prohibuit ullus officium metus?
CR. Sphinx et nefandi carminis tristes minae.
OED. Nunc expietur numinum imperio scelus.
Quisquis Deorum regna placatus vides;
Tu, tu, penes quem jura praecipitis poli;
Tuque, o sereni maximum mundi decus,
Bis sena cursu signa qui vario regis,
Qui tarda celeri secula evolvis rota,
Sororque fratri semper occurrens tuo,
Noctivaga Phoebe; quique ventorum potens
Aequor per altum caerulos currus agis;
Et qui carentes luce disponis domos,

---

tamen inscite suspicatus Heinsius: *bella relinques turpia.* Claudianus XXI. v. 280. de bello, quod inter fratres geritur:

civile pudoris
Obtentu tacitum.

ubi Gesnerum vide.

242) *Regi tuenda maxime regum est salus*) Vertit in argutam sententiam, quod Oedipus apud Sophoclem Oed. Tyr. v. 141. sic ait:

ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανὼν, τάχ᾽ ἂν
κἄμ᾽ ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.
κείνῳ προσαρκῶν οὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ.

Adeste, cujus Laius dextra occidit,
Hunc non quieta tecta, non fidi lares,
Non hospitalis exsulem tellus ferat.
Thalamis pudendis doleat et prole impia.
Hic et parentem dextera perimat sua;
Faciatque (num quid gravius optari potest?)
Quidquid ego fugi. non erit veniae locus.
Per regna juro, quaeque nunc hospes gero,
Et quae reliqui: perque penetrales Deos;
Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi
Utrinque nostro geminus alludis solo.
Et ipse nostris vocibus testis veni
Fatidica vatis ora Cirrheae movens.
Ita molle senium ducat, et summum diem
Securus alto reddat in solio parens,

---

258) *quieta tecta*) *avita* malebat Heinsius. Apud Virgilium tamen Aen. I. v. 205:

Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
Ostendunt.

264) *quaeque nunc hospes gero*) *Regna gerere* dicit locutione Tibulliana I. 9. 80:

Et geret in gremio regna superba tuo.

271) *alto reddat in solio*) Noster *summum diem reddere* dicit, quod Valerius Maximus *lucem reddere* IX. 12. init. *Humanae vitae conditionem praecipue primus et ultimus dies continet. — eum demum felicem fuisse judicamus, cui et accipere lucem prospere, et reddere placide contigit;* Lucretius autem *reddere vitam* VI. v. 1196:

Aut etiam nona reddebant lampade vitam.

ubi vide Wakefieldum formulae vim bene explicantem.

Solasque Merope noverit Polybi faces,
Ut nulla sontem gratia eripiet mihi.
Sed quo nefandum facinus admissum loco est,
Memorato. aperto Marte, an insidiis jacet?
CR. Frondifera sanctae nemora Castaliae petens,
Calcavit arctis obsitum dumis iter;
Trigemina qua se spargit in campos via.
Secat una gratum Phocidos Baccho solum,
Unde altus ima deserit, coelum petens,
Clementer acto colle, Parnassos biceps.
At una bimares Sisyphi terras adit,

---

277) *Calcavit arctis obsitum dumis*) Heinsius conjicit *hirtis dumis.* Sed *arctis* est spissis, quomodo Silius loquitur X. v. 82:

Deprendit spissis arcana cubilia dumis.

280) *Unde altus ima deserit*) Tres codices *arva;* quasi velit contrarium ei, quod dixerunt Virgilius Ecl. IX. v. 7:

qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo.

Ovidius Fast. III. v. 835:

Coelius ex alto qua mons descendit in aequum,
Hic ubi non plana est, sed prope plana via.

et Curtius V. 4: *qua se jugum montium paulatim ad planiora demittit.* Sed praeterquam quod sequitur *Olenia in arva,* luculentior est oppositio inter *ima* et *coelum,* quam inter *arva* et *coelum,* ut jam alii viderunt.

282) *At una bimares Sisyphi terras adit, Olenia in arva:* *tertius trames cava Convalle serpens tangit errantes*

Olenia in arva: tertius trames cava
Convalle serpens tangit errantes aquas,
Gelidumque dirimit amnis Ilissi vadum.
Hic pace fretum subita praedonum manus
Aggressa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipso, sorte Phoebea excitus,
Tiresia tremulo tardus accelerat genu,
Comesque Manto luce viduatum trahens.

---

aquas, Gelidumque dirimit amnis Elei vadum) Mira hic Senecae Geographia. Olenus non potest esse Boeotiae, quam faciunt: nam Corinthus contraria Boeotiae via aditur. Est ergo Olenus Achajae, quam intelligit Seneca. Sed quid sibi vult hic *amnis Eleus*, quem nisi Alpheum interpretari non possumus. At eadem via, quae e Phocide Corinthum ducit, etiam ducit in Elidem, in remotiori Peloponnesi parte positam. Pausanias *Σχιστὴν* vocari ait viam, in qua Lajus occisus, et sic dirimi, ut alia in Boeotiam, alia Corinthum, alia in Atticam vertatur. Ergo Atticae nominari hic amnis debet, et aut fallor, aut is est *Ilissus*: ut scripserit forsan: *amnis Ilissi vadum*. Cujus *errantes* dicit *aquas*, quia et in Hippolyto Maeandro eum comparaverat. Mss. quidam non *Elei*, sed *Elidis*, vel *Ellidis*. Valde autem vereor, ne Ilissum acceperit pro Cephisso, in quo *γέφυρα* et *γεφυρισμοί*. Gronovius.

Reposui correctionem necessariam et certam. Productio syllabae occasionem interpolandi dedit librariis, qui similiter alucinati sunt in Hipp. v. 504:

niveo corpus Ilisso fovet.

ubi vide. Caeterum *Σχιστὴν* illam alii aliunde deducunt. Sententiarum de hac re varietatem exposuit Valckenaer ad Euripid. Phoenis. v. 38.

OEDIPUS, TIRESIAS, MANTO.

OED. Sacrate Divis, proximum Phoebo caput,
Responsa solve; fare, quem poenae petant.
TIR. Quod tarda fatu est lingua, quod quaerit moras,
Haud te quidem, magnanime, mirari addecet.
Visu carenti magna pars veri latet.
Sed quo vocat me patria, quo Phoebus, sequar.
Fata eruantur. si foret viridis mihi
Calidusque sanguis, pectore exciperem Deum.
Appellite aris candidum tergo bovem,
Curvoque nunquam colla depressum jugo.
Tu, lucis inopem, nata, genitorem regens,
Manifesta sacri signa fatidici refer.
MAN. Opima sanctas victima ante aras stetit.
TIR. In vota superos voce solemni voca,
Arasque dono turis Eoi exstrue.
MAN. Jam tura sacris coelitum ingessi focis.
TIR. Quid flamma, largas jamne comprendit dapes?

---

295) *Visu carenti*) Codices fere *carentem,* quod magis implet aures, judice Burmanno ad Ov. Fast. V. v. 361. Sed eadem constructione dicit imitator Lucanus I. v. 419:

mihi semper
Tu, quaecunque moves tam crebros causa meatus,
Ut superi voluere, late.

Et, si argutari velimus, exile senis personae convenientius est, quam plenum.

MAN. Subito refulsit lumine, et subito occidit.
TIR. Utrumne clarus ignis, et nitidus stetit,
Rectusque purum verticem coelo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam?
An latera circa serpit incertus viae,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. Non una facies mobilis flammae fuit:
Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quae magnâ poli
Curvata picto nuntiat nimbos sinu.
Quis desit illi, quisve sit, dubites, color.
Caerulea fulvis mixta oberravit notis,
Sanguinea rursus; ultima in tenebras abit.
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit, et se scindit unius sacri

---

309) *et nitidus stetit)* Tres Mss. *viridis.* id vero nemini placebit, qui Bentleium ad Horat. Epod. 17. v. 33. legerit. Wakefieldus ad Lucret. IV. v. 679. emendat *rigidus.* Alii aliter. Offendebant nimirum synonyma *clarus* et *nitidus.* At enim quot loca scriptorum utriusque linguae, in quibus ejusmodi esset redundantia, forent mutanda vel mutilanda.

310) *Rectusque purum)* Simile ostentum Atreo provenisse narratur Thyeste v. 774:

ipse fumus tristis, ac nebula gravis
Non rectus exit, seque in excelsum levans
Ipsos penates nube deformi obsidet.

Cujus non meminerat Pontanus, *Recensque* scribens.

312) *latera circa serpit)* Burmannus ad Propert. IV. 6. 6. e codice Trajectino profert *circum.* Vide quae de harum particularum permutatione annotavimus ad Herc. fur. v. 149.

Discors favilla. genitor, horresco intuens,
Libata Bacchi dona permutat cruor,
Ambitque densus regium fumus caput.
Ipsosque circa spissior vultus sedet,
Et nube tensa sordidam lucem abdidit.
Quid sit, parens, effare. TIR. Quid fari queam
Inter tumultus mentis attonitae vagus?

---

327) *Et nube densa*) Recte Barthius ad Stat. Theb. V. v. 176. scribit *nube tensa*, ne idem vocabulum tantillo intervallo repetatur. Homerus Il. XVI. v. 365:

ὅτε τε Ζεὺς λαίλαπα τείνῃ.

et XXI. v. 7:

ἠέρα δ' Ἥρη
πίτνα πρόσθε βαθεῖαν.

Quintus Calaber II. v. 346:

ὁππότε συννεφὲς ἦμαρ ἐπ' ἀνθρώποισι τανύσσῃ
Ζεύς.

Curtius IV. 3. *cum subito spissae nubes intendere se coelo, et quicquid lucis internitebat, effusa caligine exstinctum est.* Idem VIII. 13. *adeo spissae intendere se nubes, ut conderent lucem, vixque colloquentium inter ipsos facies noscitaretur. densus* autem et *tensus* frequenter in Mss. commutari, ostendit Burmannus ad Lucan. I. v. 531.

328) *Quid fari queam*) Heinsius conjicit *effari*, ut respondeat τῷ *effare.* Sed neque auctor ea sede tolerat Anapaestum, nec prius replicari necesse est. Infra v. 801:

Oed. Connubia matris Delphico admonitu tremo.
Sen. Timere vana desine.

329) *Inter tumultus mentis attonitae vagos*) Rectius ex Florentino legitur *vagus*, id est, incertus, quomodo interpreter. Seneca pater Contr. IV. p. 289. *confu-*

Quidnam loquar? sunt dira, sed in alto, mala.
Solet ira certis numinum ostendi notis.
Quid istud est, quod esse prolatum volunt,
Iterumque nolunt, et truces iras tegunt?
Pudet Deos nescio quid. huc propere admove,
Et sparge salsa colla taurorum mola.
Placidone vultu sacra et admotas manus
Patiuntur? MAN. Altum taurus attollens caput,
Primos ad ortus positus, expavit diem,
Trepidusque vultum solis et radios fugit.
TIR. Unone terram vulnere afflicti petunt?
MAN. Juvenca ferro semet imposito induit,
Et vulnere uno cecidit: at taurus, duos
Perpessus ictus, huc et huc dubius ruit,
Animamque fessus vix reluctantem exprimit.
TIR. Utrum citatus vulnere angusto micat,
An lentus altas irrigat plagas cruor?
MAN. Hujus per ipsam, qua patet pectus, viam
Effusus amnis: hujus exiguo graves
Maculantur ictus imbre. sed versus retro
Per ora multus sanguis atque oculos redit.

---

sum adolescentem subito, et tanto tumultu parum sibi constitisse. et Boëthius de Consol. philos. I. p. 952. *quoniam plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, diversumque te dolor, ira, moeror distrahunt.* Vide, sis, Ruhnken. ad Vellej. II. 79. 5. unde haec exempla depromsi.

339) *vultum solis et radios*) id est, vultum radiantem solis. *ἓν διὰ δυοῖν*. Senecam hac figura delectari vidimus ad Thyest. v. 833.

TIR. Infausta magnos sacra terrores cient.
Sed ede certas viscerum nobis notas.
MAN. Genitor, quid hoc est? non levi motu, ut solent,
Agitata trepidant exta, sed totas manus
Quatiunt: novusque prosilit venis cruor.
Cor marcet aegrum penitus, ac mersum latet;
Liventque venae; magna pars fibris abest;
Et felle nigro tabidum spumat jecur.
Ac, semper omen unico imperio grave,
En capita paribus bina consurgunt toris;
Sed utrumque caesum tenuis abscondit caput
Membrana latebram rebus occultis negans.
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit. has omnes retro
Prohibens reverti limes obliquus secat.
Mutatus ordo est. sede nil propria jacet;
Sed acta retro cuncta. non animae capax
In parte dextra pulmo sanguineus jacet.
Non laeva cordi regio. non molli ambitu
Omenta pingues viscerum obtendunt sinus.
Natura versa est. nulla lex utero manet.
Scrutemur, unde tantus hic extis rigor.
Quod hoc nefas? conceptus innuptae bovis,
Nec more solito positus, alieno in loco

---

369) *Non laeva cordis regio*) Elegantius in Florentino legitur *cordi.* Supple cum Gronovio: integra vel salva est. Centies autem Dativus ille culpa librariorum abiit in Genitivum. vid. Oudendorp. ad Lucan. I. v. 193. V. v. 481. et alibi.

Implet parentem. membra cum gemitu movet.
Tremulo rigore debiles artus micant.
Infecit atras lividus fibras cruor;
Tentantque turpes mobilem trunci gradum:
Et inane surgit corpus. ac sacros petit
Cornu ministros. viscera effugiunt manum.
Neque ipsa, quae te pepulit, armenti gravis
Vox est, nec usquam territi resonant greges:
Immugit aris ignis, et trepidant foci.
OED. Quid ista sacri signa terrifici ferant,
Exprome: voces aure non timida hauriam.
Solent suprema facere securos mala.
TIR. His invidebis, quibus opem quaeris, malis.
OED. Memora, quod unum scire coelicolae volunt,
Contaminarit rege quis caeso manus.
TIR. Nec alta coeli quae levi penna secant,
Nec fibra vivis rapta pectoribus potest
Ciere nomen. alia tentanda est via.
Ipse evocandus noctis aeternae plagis
Emissus Erebo, ut caedis auctorem indicet.
Reseranda tellus. Ditis implacabile
Numen precandum. populus infernae Stygis
Huc extrahendus. ede, cui mandes sacrum.
Nam te, penes quem summa regnorum est, nefas
Invisere umbras. OED. Te, Creo, hic poscit labor,
Ad quem secundum regna respiciunt mea.
TIR. Dum nos profundae claustra laxamus Stygis,
Populare Bacchi laudibus carmen sonet.

CHORUS.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
Mollia Nysaeis armatus brachia thyrsis,
Lucidum coeli decus, huc ades votis,

---

403) *Effusam redimite comam nutante corymbo)* *nutante* scilicet uvis, corymbum gravantibus. Ita *rami pondere*, puta pomorum, *nutare* dicuntur Ovidio Art. Am. II. v. 263. Alibi mens erat Heinsii, cum reponeret *nodante*. Imitatur autem haec invocatio Nasonianam illam Fast. VI. v. 483:

Bacche racemiferos hedera redimite capillos.

404) *armatus brachia thyrsis)* *armati* ubique lectum erat ante Dan. Heinsium, qui arbitrio suo locum ita constituit:

Lucidum coeli decus, huc ades votis
Mollia Nysaeis *armatae* *brachia thyrsis,*
Quae tibi etc.

Ego certam Florentini codicis lectionem in textu expressi. *armatus* accipe pro armate, et refer ad Bacchum, qui, ipso teste Seneca Herc. fur. v. 473, non erubescit

effusos tener
Sparsisse comas, nec *manu molli* *levem*
Vibrare thyrsum.

Nominativum Vocativo conjunctum quoties imperiti corruperint librarii, ostendit Valckenaer. ad Euripid. Phoenis. v. 198. et v. 1332. *lucidum coeli decus* ex Horatio translatum est, Carm. Saec. v. 2. ubi Senecam laudans Mitscherlichius bene observat, Bacchum ita indigitari ob *vultum sidereum* v. 409. s. perpetuam juventutem. Quod qui minus attendunt, temere transferentem reprehendunt, ut Heinrich V. Cl. ad Musaeum p. 42.

Quae tibi nobiles Thebae, Bacche, tuae
Palmis supplicibus ferunt.
Huc adverte favens virgineum caput,
Vultu sidereo discute nubila,
Et tristes Erebi minas,
Avidumque fatum.
Te decet vernis comam floribus cingi,
Te caput Tyria cohibere mitra;
Ederave mollem baccifera
Religare frontem;
Spargere effusos sine lege crines,
Rursus adducto revocare nodo.
Qualis iratam metuens novercam
Creveras falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo,
Luteam vestem retinente zona.
Inde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma.
Vidit aurato residere curru,
Veste cum longa tegeres leones,
Omnis Eoae plaga vasta terrae,
Qui bibit Gangem, niveumque quisquis
Frangit Araxen.
Te senior turpi sequitur Silenus asello,
Turgida pampineis redimitus tempora sertis.
Condita lascivi deducunt orgia mystae.
Te Bassaridum comitata cohors,
Nunc Edoni pede pulsavit
Sola Pangaei; nunc Threicio

Vertice Pindi; nunc Cadmeas
Inter matres impia Maenas
Comes Ogygio venit Iaccho,
Nebride sacra praecincta latus.
Tibi commotae pectora matres
Fudere comam: thyrsumque levem
Vibrante manu, jam post laceros
Pentheos artus Thyades oestro
Membra remissae, velut ignotum
Videre nefas.

Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi,
Nereidumque choris Cadmeia cingitur Ino.
Jus habet in fluctus magni puer advena ponti
Cognatus Bacchi, numen non vile, Palaemon.

Te Tyrrhena, puer, rapuit manus,
Et timidum Nereus posuit mare,

---

435) *Threicio vertice Pindi)* Ad *Pindi* subaudiendum *sola*, *ἀπὸ κοινοῦ*. Monuit jam Bernardinus.

450) *timidum Nereus posuit mare)* Praeclare Florentinae Gronoviique membranae *timidum*, nempe dei, magna majestate verendi. Nonnus Dionys. I. v. 64. de Europa Agenoris:

ἀειδομένην δὲ γυναῖκα
θαῦμα φόβῳ κεράσας, ἐπεδείκνυε Δωρίδι Νηρεὺς
ξεῖνον ἰδὼν πλωτῆρα κερασφόρον.

Anyte l. Analect. vet. poet. Graec. p. 198. in statuam Veneris in litore collocatam et mare prospicientem:

ἀμφὶ δὲ πόντος
δειμαίνει, λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον.

Apuleius Met. V. p. 104. *mitis fluvius, in honorem Dei* (Cupidinis) *scilicet, qui et ipsas aquas*

Caerula cum pratis mutat freta.
Hinc verno platanus folio viret,
Et Phoebo laurus carum nemus:
Garrula per ramos avis obstrepit.
Vivaces ederas ramus tenet,
Summa ligat vitis carchesia.
Idaeus prora fremuit leo.
Tigris puppe sedet Gangetica.
Tum pirata freto pavidus natat;
Et nova demersos facies habet.
Brachia prima cadunt praedonibus,
Illisumque utero pectus coit.
Parvula dependet lateri manus,
Et dorso fluctum curvo subit:
Lunata scindit cauda mare,
Et sequitur curvus fugientia carbasa delphin.
Divite Pactolus vexit te Lydius unda,
Aurea torrenti deducens flumina ripa.
Laxavit victos arcus Geticasque sagittas

---

urere consuevit, metuens sibi, confestim eam (Psychen) *innoxio volumine super ripam florentem herbis exposuit.* Claudianus VII. v. 122. ad Honorium:

submissus adorat
Eridanus, blandosque jubet mitescere fluctus.

Alia dedit Mitscherlich. ad Horat. Od. II. 9. 22.

464) *dorso fluctum curvo subit)* Ante oculos erat Propertius III. 15. 25:

Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate.

Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.
Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi.
Sensere terrae te Dacûm feroces:
Et quos vicinus Boreas ferit
Arva mutantes; quasque Maeotis
Alluit gentes frigida fluctu:
Quasque despectat vertice summo
Sidus Arcadium, geminumque plaustrum.
Ille dispersos domuit Gelonos:
Arma detraxit trucibus puellis:
Ore dejecto petiere terram

---

470) *qui pocula sanguine miscet*) Claudianus I. in Rufin. 311:

qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes.

475) *Alluit gentes frigida fluctu*) Florentinus *rigido*, qui quomodo gentes alluere possit, non video. *gelidam Maeotida* dixit Herc. fur. v. 1327.

480) *Ore dejecto petiere terram Thermodontiacae graves catervae*) An *gravem terram?* certe τὸ *graves* aberat a Florentino. An,

Ore dejecto posuere terra
Thermodontiacae genu puellae.

Sic Hercule Fur. v. 1046. *ruere ad terram genu flexo.* nam illud *ore dejecto* supplices potius designat, quam mortuas, cum tamen mortuas velint designari interpretes. sed si mortuae, quomodo factae Maenades? Possis et, *Crure dejecto.* Heinsius.

Nihil certius, quam de supplicibus agi. *petiere terram,* id est, ad pedes Bacchi procubuere. Virgilius Aen. III. v. 93:

Submissi petimus terram.

Thermodontiacae graves catervae:
  Positis tandem levibus sagittis,
Maenades factae. sacer et Cithaeron
Sanguine inundavit,
Ophioniaque caede.
  Proetides silvas petiere: et Argos
Praesente Bacchum coluit noverca.
Naxos Aegeo redimita ponto
  Tradidit thalamis virginem relictam,
Meliore pensans damna marito.
  Pumice sicco
  Fluxit Nyctelius latex.
  Garruli gramen secuere rivi,
Combibit dulces humus alta succos,
  Niveique lactis candida fontes

---

quod suum fecit Seneca, variaturus illud de Hippolyte dictum Herc. fur. v. 546:

Victorem posito suspiciens genu.

graves autem *catervae* sunt, fortes, bellicosae; de quo significatu vide Servium ad Virg. Aen. V. v. 114. et XII. v. 458. vel Nonium IV. 218.

434) *Sanguine inundavit*) Exquisite pro, Cithaeronem sanguis inundavit. Virgilius Aen. X. v. 24:

inundant sanguine fossae.

485) *Ophioniaque caede*) Grotius castigabat *Echioniaque caede.* Nam Pentheus Echionis filius aut nepos. Verum *Ophionia,* quod est Thebana, splendidius dicitur.

495) *Niveique lactis candida fontes)* Illepide *candidos* alii. *candida* nimirum lacte, quo fluxit humus, ut est apud Euripidem in Bacchis v. 142. *lactis uberes*

Et mixta odoro Lesbia cum thymo.
Ducitur magno nova nupta coelo.
Solemne Phoebus carmen
Edit infusis humero capillis.
Concutit taedas geminus Cupido.
Coelum deposuit Jupiter igneum,
Oditque Baccho veniente fulmen.

Lucida dum current annosi sidera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem,
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos praedicet Lucifer ortus,
Altaque caeruleum dum Nerea nesciet Arctos;
Candida formosi venerabimur ora Lyaei.

---

rivos dixit Horatius, idem Bacchi miraculum celebrans, Od. II. 19. 10.

ACTUS TERTIUS.

OEDIPUS, CREON.

OED. Etsi ipse vultus flebiles praefert notas,
Exprome, cujus capite placemus Deos.

510) *Expone, cujus capite*) Florentinus *Exprome*, quod Annaei stilum magis sapit. Supra v. 385:

Quid ista sacri signa terrifici ferant,
Exprome.

Hipp. v. 851:

Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
Expromat aliquis.

Troad. v. 1065:

Exprome seriem caedis, et duplex nefas
Prosequere.

Agam. v. 419:

Exprome. clades scire qui refugit suas,
Gravat timorem.

Idem Apocolocynthosi: *quo terribilior esset, tragicus fit, et ait:*

Exprome propere, sede qua genitus cluas.

CR. Fari jubes, tacere quae suadet metus.
OED. Si te ruentes non satis Thebae movent,
At sceptra moveant lapsa cognatae domus.
CR. Nescisse cupies, nosse quae nimium expetis.
OED. Iners malorum remedium ignorantia est.
Itane et salutis publicae indicium obrues?
CR. Ubi turpis est medicina, sanari piget.
OED. Audita fare; vel malo domitus gravi,
Quid arma possint regis irati, scies.
CR. Odere reges dicta, quae dici jubent.
OED. Mitteris Erebo vile pro cunctis caput,
Arcana sacri voce ni retegis tua.
CR. Tacere liceat. nulla libertas minor
A rege petitur. OED. Saepe vel lingua magis
Regi atque regno muta libertas obest.
CR. Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?
OED. Imperia solvit, qui tacet, jussus loqui.
CR. Coacta verba placidus accipias, precor.
OED. Ulline poena vocis expressae fuit?

Expromere vero et *exponere* saepe permutari, ostendit Drakenborch. ad Liv. VII. 31. 8.

516) *indicium obrues*) Heinsius *abnues* malebat. Sed *obrues* accipe pro celabis, non ostendes vel patefacies.

523) *nulla libertas minor A rege petitur*) Florentinus per interrogationem: *ulla libertas minor A rege petitur?* At sic bis idem quaeritur. Mox enim infert:

Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?

529) *Ulline poena vocis expressae fuit*) Heinsius conjiciebat: *Ulline poenam vocis expressae luunt?* vel *Ullusne poenas vocis expressae luit?* Sed nulla opus est

CR. Est procul ab urbe lucus illicibus niger,
Dircaea circa vallis irriguae loca.
Cupressus altis exserens silvis caput
Virente semper alligat trunco nemus;
Curvosque tendit quercus et putres situ
Annosa ramos. hujus abrupit latus
Edax vetustas: illa jam fessa cadens
Radice, fulta pendet aliena trabe.
Amara baccas laurus; et tiliae leves;
Et Paphia myrtus; et per immensum mare
Motura remos alnus; et Phoebo obvia
Enode Zephyris pinus opponens latus.
Medio stat ingens arbor, atque umbra gravi
Silvas minores urget; et magno ambitu
Diffusa ramos, una defendit nemus.

---

mutatione. *fuit* enim ἀορίστως graeco more sumitur, ut in Thyeste v. 501:

praeda cum propior f u i t,
Cervice tota pugnat.

ubi plura vide.

536) *illa jam fessa cadens Radice*) Pro *fessa* in Florentino est *spissa*, falsumque existimat Plinius Hist. Nat. XVI. 56. quod nonnulli prodidere, radices arborum vetustate minui. Lucano tamen I. v. 138. annosa quercus describitur

nec jam validis radicibus haerens.

544) *una defendit nemus*) Recte receptum *una*, cum olim *umbra* esset. Ovidius Heroid. XV. v. 160:

Est nitidus, vitreoque magis perlucidus amni,
Fons sacer: hunc multi numen habere putant:

Tristis sub illa lucis et Phoebi inscius
Restagnat humor, frigore aeterno rigens.
Limosa pigrum circuit fontem palus.
Huc ut sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus. praestitit noctem locus.
Tunc fossa tellus, et super rapti rogis
Jaciuntur ignes. ipse funesto integit
Vates amictu corpus, et frondem quatit.

Quem supra ramos expandit aquatica lotos,
Una nemus.

ubi Senecam comparavit Burmannus, quem vide.

545) *Phoebi inscius Restagnat humor)* Manifesta imitatio Nasonis Met. III. v. 412:

Gramen erat circa, quod proximus humor alebat,
Silvaque, sole lacum passura tepescere nullo.

Eandem rem sic expressit Dantes in Comoedia XXXVIII. v. 32:

un rio
— si muova, bruna bruna,
Sotto l' ombra perpetua, che mai
Raggiar non lascia Sole ivi nè Luna.

550) *fossa tellus)* Intellige de scrobe, sub terram acta, unde

Manes elicerent, animas responsa daturas.

et confer Interpretes ad Homer. Od. XI. v. 25. vel Barthium ad Stat. Theb. IV. v. 451.

552) *et frontem quatit)* Immo *frondem*, quod in aliis est, et Florentinus adstruit. Ramum lustralem designat. Medea v. 804:

Tibi jactatus tristis Stygia
Ramus ab unda.

Lugubris imos palla perfundit pedes.
Squallente cultu moestus ingreditur senex.
Mortifera canam taxus adstringit comam.
Nigro bidentes vellere atque atrae boves
Retro trahuntur. flamma praedatur dapes,
Vivumque trepidat igne ferali pecus.

Agamemnone v. 588:

Effrena Phoebas entheas laurus quatit.

quod intelligendum de ramo laureo, quem manibus gerebat, non de corona laurea. Apollo apud Nasonem lib. II. Artis 495:

In manibus laurus, sacris inducta capillis
Laurus erat.

Heinsius.

Hanc lectionem, Barthio etiam probatam ad Stat. Theb. IV. v. 468., sine dubitatione recepi. Aristoph. Plut. v. 213:

ἔχω τὶν' ἀγαθὴν ἐλπίδ', ἐξ ὧν εἶπέ μοι
ὁ Φοῖβος αὐτὸς, Πυθικὴν σείσας δάφνην.

557) *Retro trahuntur*) pro simplici mactantur vel, ut Statius hic ait Theb. IV. v. 463:

In vulnus cecidere greges.

Pindarus Olymp. XIII. v. 114:

ὅταν δ' εὐρυσθενεῖ
καρταίποδ' αὖ ἐρύῃ Γαιαόχῳ.

ubi Scholiastes: *ἀντὶ τοῦ σφάζῃ, θύῃ, ἀπὸ τοῦ παρακολουθοῦντος.*

558) *Vivumque trepidat*) id est, palpitat. Virg. Aen. I. v. 212:

Pars in frusta secant, verubusque trementia
figunt.

Nostrum imitatur Statius Theb. IV. v. 466:

Semineces fibras, et adhuc spirantia reddit
Viscera.

Vocat inde Manes: teque, qui Manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacus:
Carmenque magicum volvit, et rabido minax
Decantat ore, quidquid aut placat leves
Aut cogit umbras. irrigat sanguis focos,

---

560) *letalis lacus*) Heinsius volebat *Lethaei lacus.* Vulgata satis défenditur ex Lucret. V. v. 1231:

violento turbine saepe
Correptus nihilo fertur minus ad vada leti.

561) *rabido minax Decantat ore*) *rapido* tres libri. Sed rabidum accommodatius vati, praesertim minaci. Virgilius Aen. VI. v. 102. de Sibylla:

Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt.

cfr. ibid. v. 49. et v. 80. Tiresias apud Statium Theb. IV. v. 504:

an, rabido jubeat si Thessala cantu,
Ibitis?

et paulo post:

et nobis saevire facultas.
Scimus enim et quidquid dici, noscique timetis,
Et turbare Hecaten.

563) *irrigat sanguis focos: Solidasque*) Duo fere codices,

sanguinem libat focis,
Solidasque pecudes urit.

meliore forma, inquit Fabricius, adsentiente Gronovio, qui sic edidit. Sed *que* frequenter transitioni servit. vid. Ernest. ad Sueton. Ner. c. 38. Sic in Hercule Oetaeo v. 512:

Prohibetur undis; meque complexus ferens
Gressum citabat.

v. 738:

quidquid illa tabe contactum est, labat.
Tumensque tacita sequitur, et quassat caput.

Solidasque pecudes urit, et multo specum
Saturat cruore. libat et niveum insuper
Lactis liquorem; fundit et Bacchum manu
Laeva, canitque rursus, et terram intuens,
Graviore Manes voce et attonita citat.
Latravit Hecates turba. ter valles cavae
Sonuere moestum. tota succusso solo
Pulsata tellus. audior, vates ait,
Rata verba fudi. rumpitur caecum Chaos,
Iterque populo Ditis ad superos datur.
Subsedit omnis silva, et erexit comam.

---

v. 833:

Sed causa tamen est. vixque sufficiens malo
Nunc ore terram languidus prono ferit.

v. 1726:

Venio pater. vultusque non idem fuit.

item Octavia v. 544:

Tandem quod ardens statuit ulcisci dolor:
Dignamque thalamis conjugem inveni meis.

567) *canitque rursus*) Intellige, *nondum adventantibus umbris*, ex Statio Theb. IV. v. 500.

568) *voce et attonita ciet*) In Florentino *citat*, quod praepollet. Claudianus III. v. 154:

Saepius horrendos Manes sacrisque citavi
Nocturnis Hecaten.

ubi confer Heinsium. *attonita* pro, faciente attonitos, stupenda, ut apud Virgilium Aen. VI. v. 53:

neque enim ante dehiscent
Adtonitae magna ora domus.

574) *Subsedit omnis silva*) Gronovius *Subsidit.* Sed haud sane interest multum. vide ad Herc. fur. v. 776. Locus expressus est e Virgilio Aen. VI. v. 256. et Ovidio

Duxere rimas robora; et totum nemus
Concussit horror. terra se retro dedit,
Gemuitque penitus: sive tentari abditum
Acheron profundum mente non aequa tulit:
Sive ipsa tellus, ut daret functis viam,
Compage rupta sonuit: aut ira furens
Triceps catenas Cerberus movit graves.
Subito dehiscit terra, et immenso sinu
Laxata patuit. ipse pallentes Deos
Vidi inter umbras: ipse torpentes lacus
Noctemque veram. gelidus in venis stetit
Haesitque sanguis. saeva prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus

Met. XIV. v. 406. quos etiam imitatus videtur Statius, eadem sacra describens, Theb. IV. v. 447.

Ibid.) *erexit comam*) Quidam *comas* legunt. Sed alterum efficacius. Ita apud Lucanum I. v. 553:

tum cardine tellus
Subsedit, veteremque jugis nutantibus Alpes
Discussere nivem.

ubi vide notata Burmanno.

586) *saeva prosiluit cohors*) Vide, ut haec imitator dilataverit Statius Theb. IV. v. 552:

Primus sanguineo summittit inertia Cadmus
Ora lacu. juxtaque virum Cythereïa proles.
Effluit amborum gemino de vertice serpens.
Terrigenae comites illos, gens Martia, cingunt.
His aevi mensura dies; manus omnis in armis,
Omnis et in capulo. prohibent, obstantque, ruuntque
Spirantum rabie. nec tristi incumbere sulco
Cura, sed alternum cuperent haurire cruorem.

Fratrum, catervae dente Dircaeo satae,
Avidumque populi Pestis Ogygii malum.
Tum torva Erinnys sonuit, et caecus Furor,
Horrorque, et una quidquid aeternae creant
Celantque tenebrae: Luctus evellens comam,
Aegreque lassum sustinens Morbus caput,
Gravis Senectus sibimet, et pendens Metus.
Nos liquit animus. ipsa, quae ritus senis
Artesque norat, stupuit. intrepidus parens,
Audaxque damno, convocat Ditis feri
Exsangue vulgus: illico ut nebulae leves
Volitant, et auras libero coelo trahunt,
Non tot caducas educat frondes Eryx;
Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Cum examen alto nectitur densum globo;
Fluctusque non tot frangit Ionium mare;
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hiemes ales, et coelum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas nives:

---

689) *Pestis Ogygii malum*) *Pestis* est Sphinx, quam sic vocat imitatione Ovidii Met. VII. v. 764:

Protinus Aoniis immittitur altera Thebis
Pestis.

ubi vide Heinsium.

600) *caducas educat frondes Eryx*) Alii legunt *Oeta.* Sed *Eryx* hic aptius nominatur, quia, ut ait Ovidius Fast. IV. v. 478. *Zephyro semper apertus patet.* Ad rem facit Claudiani locus XXXV. v. 309:

Conveniunt animae, quantus truculentior Auster
Decuit arboribus frondes.

Quot ille populos vatis eduxit sonus.
Pavidae latebras nemoris umbrosi petunt
Animae trementes. primus emergit solo
Dextra ferocem cornibus taurum premens
Zethus; manuque sustinens laeva chelyn,
Qui saxa dulci traxit, Amphion, sono.
Interque natos Tantalis tandem suos
Tuto superba fert caput fastu gravi,
Et numerat umbras. pejor hac genitrix adest
Furibunda Agave; tota quam sequitur manus
Partita regem. sequitur et Bacchas lacer

---

608) *Pavidae latebras nemoris umbrosi petunt Animae trementes*) Marklandus ad Stat. Silv. V. 1. 111. emendat: *Avide latebras nemoris umbrosi petunt.* Heinsius: *Animae ac trementes.* Offendebat nempe, quod duo epitheta uni substantivo junguntur. Sed hoc non raro fieri, et in primis ubi alterum est participium, ostendit vir doctus in Observationibus Miscellaneis Vol. I. T. I. p. 10. *latebras petunt*, quippe lucifugae. Herc. fur. v. 293:

Lucisque pavidos ante te populos age.

614) *fert caput fastu gravi*) Florentinus et Heinsianus minor, *grave.* Perperam. *gravis* molestum significat. Euripides Hipp. v. 94:

τίς δ' οὐ σεμνὸς ἀχθεινὸς βροτῶν;

Cicero Verr. V. §. 36. *cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima.*

617) *sequitur et Bacchas lacer Pentheus*) Florent. *Bacchis.* sive conjungas cum verbo, per hellenismum, *ἕπεσθαί τινι;* sive cum *τῷ lacer.* nam per eas erat laniatus. Gronovius.

Pentheus, tenetque saevus etiam nunc minas.
Tandem, vocatus saepe, pudibundum extulit
Caput, atque ab omni dissidet turba procul,
Celatque semet. instat et Stygias preces
Geminat sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos Laius. fari horreo.
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Paedore foedo squalidam obtentus comam,
Et ore rabido fatur: O Cadmi effera,
Cruore semper laeta cognato domus,
Vibrate thyrsos. enthea natos manu
Lacerate potius. maximum Thebis scelus
Maternus amor est. patria, non ira Deûm,
Sed scelere raperis. non gravi flatu tibi
Luctificus Auster, nec parum pluvio aethere
Satiata tellus halitu sicco nocet:
Sed rex cruentus, pretia qui saevae necis
Sceptra, et nefandos occupat thalamos patris,

Ego priorem rationem praeferam, quamvis elegantiam hujus graecismi non cernens. Nam et Med. v. 438. optimus liber:

quippe sequeretur neci
Proles parentum.

620) *ab omni dissidet turba procul*) Hoc ita variavit Statius Theb. IV. v. 608:

non ille aut sanguinis haustus,
Cetera seu plebes, aliumve accedit ad imbrem.

624) *sanguine effuso horridus*) id est, foedus adspectu. Octavia v. 18:

Oraque foedo sparsa cruore.

Invisa proles, (sed tamen pejor parens,
Quam natus: utero rursus infausto gravis,)
Egit qui in ortus semet; et matri impios
Foetus regessit; quique vix mos est feris,
Fratres sibi ipse genuit; implicitum malum,
Magisque monstrum Sphinge perplexum sua.
Te, te, cruenta sceptra qui dextra geris,
Te pater inultus urbe cum tota petam,
Et mecum Erinnys pronubas thalami traham,

---

638) *Egit qui in ortus*) *Egitque in ortus* multi codices, ad vitandam scilicet asperitatem, habent. Sed frequens est talis vocum trajectio. Vid. Cannegieter. ad Avian. p. 150. Imitator loci Statius Theb. IV. v. 631:

qui semet in ortus
Vertit, et indignae regerit sua pignora matri.

ubi frustra Delrius malebat *indignum*. Nam *indignae* dicit pro eo, quod dixerat ibid. I. v. 235:

immeritae gremium incestare parentis
Appetiit, proprios monstro revolutus in ortus.

639) *quique vix mos est feris*) Hippolyt. v. 913:

Ferae quoque ipsae Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.

641) *Erinnys pronubas*) *Erinnys* contracte pro *Erinnyas* dicitur ad exemplum Homeri Iliad. IX. v. 454:

στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐριννῦς.

Hesiodus Theogonia v. 472:

τίσαιτο δ' Ἐριννῦς πατρὸς ἑοῖο.

Notavit id Heinsius, qui tamen et ipse malebat *Erinnyn pronubam*, credens, unam tantum pronubam adhibitam fuisse, non plures. Falso. Nam et Apuleius Met. VIII. p. 161. dixit: *ultrices habebis pronubas.* Mox idem Heinsius rescribit: *traham Torta*

Traham sonantes verbera: incestam domum
Vertam, et penates impio Marte obteram.
Proinde pulsum finibus regem ocius
Agite exsulem. quocumque funesto gradu
Solum relinquet, vere florifero virens
Reparabit herbas. spiritus puros dabit
Vitalis aura. veniet et silvis decor.
Letum, Luesque, Mors, Labor, Tabes, Dolor,

---

insonantem verbera pro, *traham Traham sonantes verbera*, cujus tamen geminationis plurima sunt exempla. Quinctilianus IX. 3. 44. *Prioris sententiae verbum ultimum, ac sequentis primum frequenter est idem: quo quidem schemate utuntur Poëtae saepius,*

Pierides, vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas.

Sed ne oratores quidem raro: Hic tamen vivit: vivit? immo vero etiam in senatum venit.

648) *quodcumque funesto gradu*) Bentleius ad Horat. Od. I. 6. 3. refingit *quumcumque.* Quippe sententiam esse, quandocumque, quum primum solum relinquet. Neque aliud ac Thebaicum solum intelligi, quod tum peste ac fame laborabat. Sed contextui reddidimus elegantissimam Florentini codicis lectionem: *quocumque funesto gradu Solum relinquet.* Quocumque, inquit Lajus, ibit, solum, a tergo relictum, vere florifero virens reparabit herbas vel revirescet. Idem commutate dicit Oedipus, in exsilium pergens, v. 1005:

mitior coeli status
Post terga sequitur.

Comitatus illo dignus, excedent simul,
Et ipse rapidis gressibus sedes volet
Effugere nostras: sed graves pedibus moras
Addam, et tenebo. repet incertus viae,
Baculo senili triste praetentans iter.
Praeripite terras, auferam coelum pater.
OED. Et ossa et artus gelidus invasit tremor.
Quidquid timebam facere, fecisse arguor.
Tori jugalis abnuit Merope nefas,
Sociata Polybo. sospes absolvit manus
Polybus meas. uterque defendit parens
Caedem, stuprumque. quis locus culpae est super?
Multo ante Thebae Laium amissum gemunt,
Boeota gressu quam meo tetigi loca.
Falsusne senior, an Deus Thebis gravis?
Jam jam tenemus callidi socios doli.
Mentitur ista praeferens fraudi Deos
Vates, tibique sceptra despondet mea.
CR. Egon' ut sororem regia expelli velim?
Si me fides sacrata cognati laris
Non contineret in meo certum statu;
Tamen ipsa me Fortuna terreret, nimis
Sollicita semper. liceat hoc tuto tibi

---

658) *Praeripite terras)* Florentinus *Eripite*, quod correctoris habeo.

Ibid.) *auferam coelum)* hoc est, adspectum coeli. Virgilius Aen. III. v. 198:

nox humida coelum
Abstulit.

Exuere pondus, nec recedentem opprimat.
Jam te minore tutior pones loco.
OED. Hortaris etiam, sponte deponam ut mea
Tam gravia regna? CR. Suadeam hoc illis ego,
In utrumque queis est liber etiam nunc status.
Tibi jam necesse est ferre fortunam tuam.
OED. Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica, et otium ac somnum loqui.
Ab inquieto saepe simulatur quies.
CR. Parumne me tam longa defendit fides?
OED. Aditum nocenti perfido praestat fides.
CR. Solutus onere regio, regni bonis
Fruor, domusque civium coetu viget;
Nec ulla vicibus surgit alternis dies,
Qua non propinqui munera ad nostros lares
Sceptri redundent; cultus, opulentae dapes,
Donata multis gratia nostra salus.

---

676) *ne recedentem opprimat)* Florentinus *nec;* idque rectius. Vult enim, ut in otia tuta recedat, antequam opprimatur. Cicero pro Rosc. Am. 4. *opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere.* Turbabat heic librarios participium, cujus expediendi viam nobis munivit Vossius lib. IV. de Analog. c. 14.

684) *Ab inquieto saepe simulatur quies)* Facit huc illud Taciti XIV. An. 57. de Sulla: *simulatorem segnitiae, dum temeritati locum reperiret.*

685) *longa defendit fides)* Recte ita rescriptum pro *dies.* Oedipus apud Sophoclem Oed. Tyr. v. 385:

Κρέων ὁ πιστός, οὑξ ἀρχῆς φίλος.

Quid tam beatae deesse fortunae rear?
OED. Quod deest. secunda non habent unquam modum.
CR. Incognita igitur ut nocens causa cadam?
OED. Num ratio vobis reddita est vitae meae?
Num audita causa est nostra Tiresiae? tamen
Sontes videmur. facitis exemplum; sequor.
CR. Quid si innocens sum? OED. Dubia pro certis solent
Timere reges. CR. Qui pavet vanos metus,
Veros meretur. OED. Quisquis in culpa fuit,
Dimissus odit. omne, quod dubium est, eat.

---

694) *Quod deest. secunda non habent unquam modum)* Respicit, opinor, illud Horatianum Od. III. 24. 64:

Scilicet improbae
Crescunt divitiae: tamen
Curtae nescio quid semper abest rei.

702) *Dimissus odit omne, quod dubium putat)* Florentinus: *quod obvium est, eat.* Lege ac distingue:

Quisquis in culpa fuit,
Dimissus odit. omne, quod dubium est, eat.

Dimissus odit, quia, ut ipse noster ait II. de Ira 33. *hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes, quos laeserunt, et oderunt.* Tacitus Agric. 42. *Proprium humani ingenii est, odisse, quem laeseris.* Curtius VI. 8. in simili causa: *Quaedam beneficia odimus. meruisse mortem confiteri pudet. eat*, id est, abeat, cadat, pereat. Euripides Med. v. 699:

ἴτω νυν, εἴπερ, ὡς λέγεις, ἐστὶν κακός.

Idem Heraclid. v. 456:

οὐ φιλεῖν δεῖ τὴν ἐμὴν ψυχήν. ἴτω.

CR. Sic odia fiunt. OED. Odia qui nimium timet,
Regnare nescit. regna custodit metus.
CR. Qui sceptra duro saevus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.
OED. Servate sontem saxeo inclusum specu:
Ipse ad penates regios referam gradum.

CHORUS.

Non tu tantis causa periclis,
Non haec Labdacidas petunt

Lucretius III. v. 525:

saepe hominem paullatim cernimus ire.

pro, interire, mori; cujus euphemismi plura exempla dedit Wakefield. IV. Silv. Crit. p. 105.

706) *Timet timentes)* Idem Epist. 105. *qui timetur, timet; nemo potuit terribilis esse secure..* Et de Ira II. 11. *Quid, quod semper in auctores redundat timor, nec quisquam metuitur, ipse securus? — —*

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

709) *Non tu)* Choro pulcherrimo exilem materiam praebuit Sophocl. Oed. Colon. v. 965. Ad illustrationem ejus plurimum conferre possunt Eurip. Phoenis. v. 4. Non. Dionys. XLVI. v. 255. et Ovid. Met. III. v. 138. sqq.

710) *Labdacidas premunt)* Scribe cum Florentino *petunt,* id est, impetunt, invadunt, in Thebanos irruunt. Poëta noster ad verbum expressit illa Sophoclis Oed. Tyr. v. 470:

ἔνοπλος γὰρ ἐπ' αὐτὸν ἐπενθρώσκει
πυρὶ καὶ στεροπαῖς ὁ Διὸς γενέτας·
δειναὶ δ' ἅμ' ἕπονται
Κῆρες ἀπλάκητοι.

Fata: sed veteres Deûm
Irae sequuntur. Castalium nemus
Umbram Sidonio praebuit hospiti,
Lavitque Dirce Tyrios colonos:
Ut primum magni natus Agenoris,
Fessus per orbem furta sequi Jovis,
Sub nostra pavidus constitit arbore,
Praedonem venerans suum;
Monituque Phoebi, jussus erranti
Comes ire vaccae, quam non flexerat
Vomer, aut tardi juga curva plaustri,
Deseruit fugas, nomenque genti
Inauspicata de bove tradidit.
Tempore ex illo nova monstra semper
Protulit tellus. aut anguis imis
Vallibus editus, annosa supra
Robora sibilat, supraque pinus,
Supra Chaonias celsior arbores
Caeruleum erexit caput,
Cum majore sui parte recumberet,
Aut foeta tellus impio partu
Effudit arma.
Sonuit reflexo classicum cornu,
Lituusque adunco stridulos cantus
Elisit aere. ante non linguas
Agiles et ora vocis ignotae
Clamore primum hostico experti,
Agmina campos cognata tenent.
Dignaque jacto semine proles
Uno aetatem permensa die,

Post Luciferi nata meatus,
Ante Hesperios occidit ortus.
Horret tantis advena monstris,
Populique timet bella recentis:
Donec cecidit saeva juventus;
Genitrixque suo reddi gremio
Modo productos vidit alumnos.
Hac transierit civile nefas:
Illa Herculeae norint Thebae
Proelia fratrum.
Quid Cadmei fata nepotis,
Cum vivacis cornua cervi
Frontem ramis texere novis,
Dominumque canes egere suum?
Praeceps silvas montesque fugit
Citus Actaeon, agilique magis
Pede per saltus et saxa vagus
Metuit motas Zephyris plumas,
Et, quae posuit, retia vitat:
Donec placidi fontis in unda
Cornua vidit vultusque feros,
Ubi virgineos foverat artus
Nimium saevi Diva pudoris.

---

742) *occidit ortus)* Pars librorum *decidit.* Sed *occidit* notabiliorem habet cum *ortus* dissimilitudinem, et ita variare solent codices. vide Burman. ad Ov. Heroid. IV. v. 94.

ACTUS QUARTUS.

OEDIPUS, JOCASTA.

OED. Curas revolvit animus, et repetit metus.
Obiisse nostro Laium scelere autumant
Superi inferique. sed animus contra innocens,
Sibique melius quam Deis notus, negat.
Redit memoria tenue per vestigium,
Cecidisse nostri stipitis pulsu obvium
Datumque Diti, cum prior juvenem senex
Curru superbus pelleret, Thebis procul,
Phocaea trifidas regio qua scindit vias.
Unanima conjux, explica errorem, precor.
Quae spatia moriens Laius vitae tulit?
Primone in aevo viridis, an fracto occidit?
JOC. Inter senem juvenemque; sed propior seni.
OED. Frequensne turba regium cinxit latus?

---

768) *Redit memoria*) Sic et Quinctilianus loquitur XI. 2. 7. *nec manet semper memoria, sed aliquando etiam redit.* Manenti memoriae, quam Huic memoriolae convenientius est Heinsii *Sedit memoriae*.

JOC. Plures fefellit error ancipitis viae;
Paucos fidelis curribus junxit labor.
OED. Aliquisne cecidit regio fato comes?
JOC. Unum fides virtusque consortem addidit.
OED. Teneo nocentem. convenit numerus, locus.
Sed tempus adde. JOC. Decima jam metitur seges.

SENEX, OEDIPUS.

SEN. Corinthius te populus in regnum vocat
Patrium. quietem Polybus aeternam obtinet.
OED. Ut undique in me saeva Fortuna irruit!
Edissere agedum, quo cadat fato parens.
SEN. Animam senilem mollis exsolvit sopor.
OED. Genitor sine ulla caede defunctus jacet.
Testor, licet jam tollere ad coelum pie
Puras, nec ulla scelera metuentes manus.
Sed pars magis metuenda fatorum manet.
SEN. Omnem paterna regna discutient metum.

---

782) *convenit numerus, locus*) Similiter in simili re loquitur Justinus I. 5. *Atque ita cum et vultus similitudo, et expositionis tempora et pastoris confessio convenirent, nepotem agnovit.* Quare non est, ut cum Heinsio reponamus: *convenit numerus loco.*

783) *Decima jam*) Barthius ad Stat. Theb. I. v. 297. malebat *vigesima* vel *tricesima metitur seges*, quia, cum se excoecaret Oedipus, jam regnare poterant incesto nati filii. Sed excusatius Tragicus in temporum rationem quam carminis legem peccat. Vid. Lessing. Hamb. Dramaturg. P. I. p. 185. sqq.

OED. Repetam paterna regna, sed matrem horreo.
SEN. Metuis parentem, quae tuum reditum expetens
Sollicita pendet? OED. Ipsa me pietas fugat.
SEN. Viduam relinques? OED. Tangis, en, ipsos metus.
SEN. Effare, mersus quis premat mentem timor.
Praestare tacitam regibus soleo fidem.
OED. Connubia matris Delphico admonitu tremo.
SEN. Timere vana desine, et turpes metus
Depone. Merope vera non fuerat parens.
OED. Quod subditivi praemium nati petiit?
SEN. Regum superbam liberi adstringunt fidem.
OED. Secreta thalami, fare, quo excipias modo.
SEN. Hae te parenti parvulum tradunt manus.
OED. Tu me parenti tradis? at quis me tibi?
SEN. Pastor nivoso sub Cithaeronis jugo.
OED. In illa temet nemora quis casus tulit?

---

804) *Regnum. superbam liberi*) Optimus liber cum aliquot retro vulgatis:

Regum superbam liberi adstringunt fidem.

sicque legendum, judice etiam Heinsio, qui Advers. p. 211. *superbam fidem* recte interpretatur regum fidem, advocans in hunc intellectum *superbas exuvias* ex Agam. v. 880. *superbas domos* ex Herc. Oet. v. 569. et id genus alia. Sententiae auctor Euripides Med. v. 597:

φῦναι τυράννους παῖδας, ἔρυμα δώμασι.

Confirmator Tacitus Hist. IV. 52. *Non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum.*

SEN. Illo sequebar monte cornigeros greges.
OED. Nunc adice certas corporis nostri notas.
SEN. Forata ferro gesseras vestigia,
Tumore nactus nomen ac vitio pedum.
OED. Quis fuerit ille, qui meum dono dedit
Corpus, requiro. SEN. Regios pavit greges.
Minor sub illo turba pastorum fuit.
OED. Eloquere nomen. SEN. Prima languescit senum
Memoria, longo lassa sublabens situ.
OED. Potesne facie noscere ac vultu virum?
SEN. Fortasse noscam. saepe jam spatio obrutam
Levis exoletam memoriam revocat nota.
OED. Ad sacra et aras omne compulsum pecus
Duces sequantur. ite propere, arcessite,
Famuli, penes quos summa consistit gregum.
SEN. Sive ista ratio, sive fortuna occulit,
Latere semper patere, quod latuit diu.
Saepe eruentis veritas patuit malo.
OED. Malum timeri majus his aliquod potest?
SEN. Magnum esse, magna mole quod petitur, scias.
Concurrit illinc publica, hinc regis salus,
Utrinque paria. contine medias manus.

---

818) *longo lassa sublabens situ)* pro eo, quod Plautus ait Epid. IV. 1. 18:

longa
Dies meum incertat animum.

831) *Utrimque paria)* ils sont tous deux appuyez sur des forces egales, ut bene vertit Marollus.

Ut nil lacessas, ipsa se fata explicant.
Non expedit concutere felicem statum.
OED. Tuto movetur, quidquid extremo in loco
est.
SEN. Nobilius aliquid genere regali appetis?
Ne te parentis pigeat inventi, vide.
OED. Vel poenitendi sanguinis quaeram fidem,
Si nosse libeat. ecce, grandaevus senex,
Arbitria sub quo regii fuerant gregis,
Phorbas. refersne nomen aut vultum senis?
SEN. Arridet animo forma. nec notus satis,
Nec rursus iste vultus ignotus mihi.
Regnum obtinente Laio famulus greges
Agitasti opimos sub Cithaeronis plaga?

---

832) *Ut nil lacessas, ipsa se fata explicant*) Florentinus: *Nihil lacessas: ipsa se fata explicent*, quod ab emendatore putem esse.

841) *Arridet animo forma*) id est, agnosco formam. Haud dissimiliter apud Plautum Epidic. IV. 1. 10. Periphanes ait:

noscito ego hanc.
Nam videor, nescio ubi, me vidisse prius. estne ea an non
Est, quam animus retur meus?

843) *Regnum obtinente*) Gronovius hos duo versus Oedipo assignandos censet, ne hero praesente servi praecedat oratio. At sic hero servus interloquitur, ut qui mox roget: *Noscisne memet?* cum pergere deberet Oedipus: *Noscisne senem?* Efficacior tamen ad agnitionem vulgaris est ratio, cui et favere videri possit Sophocl. Oed. Tyr. v. 1132.

PHORBAS, SENEX, OEDIPUS.

PHOR. Laetus Cithaeron pabulo semper novo
Aestiva nostro prata summittit gregi.
SEN. Noscisne memet? PHOR. Dubitat anceps
memoria.
OED. Huic aliquis a te traditur quondam puer?
Effare. dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quaeris? veritas odit moras.
PHOR. Obducta longo temporum tractu moves.
OED. Fatere, ne te cogat ad verum dolor.
PHOR. Inutile isti munus infantem dedi.

---

848) *a te traditur*) pro, traditus fuit; cujus generis exempla multa collegit Vigerus in: De praec. graec. dict. idiotism. p. 209.

852) *cogat ad verum dolor*) Ms. Coloniensis *ad nervum.* Improbe. Plautus Truc. IV. 3. 9:

Vis subegit verum fateri; ita lora laedunt brachia.

Martialis X. 5. 18:

cum fateri Furia jusserit verum.

853) *Munus infantem*) Florentinus *infantis*, quod minus eleganter diceretur. Phoenis. v. 508:

dona non auro graves
Gazas socer, non arva, non urbes dedit.

Valerius Flaccus II. v. 408:

haesuraque caro
Dona duci promit chlamydem textosque labores.

Idem IV. v. 362:

Indomitamque bovem, da carae munera nuptae.

Non potuit ille luce, non coelo frui.
SEN. Procul sit omen. vivit, et vivat precor.
OED. Superesse quare traditum infantem negas?
PHOR. Ferrum per ambos tenue transactum pedes
Ligabat artus: vulneri innatus tumor
Puerile foeda corpus urebat lue.
SEN. Quid quaeris ultra? fata jam accedunt prope.
OED. Quis fuerit infans, edoce. PHOR. Prohibet fides.
OED. Huc aliquis ignem. flamma jam excutiet fidem.
Per tam cruentas vera quaerenti vias
Ignosce quaeso, si ferus videor tibi,
Et impotens. parata vindicta in manu est.
Dic vera. quisnam, quove generatus patre,
Qua matre genitus? PHOR. Conjuge est genitus tua.
OED. Dehisce, tellus. tuque tenebrarum potens,
In Tartara ima, rector umbrarum, rape
Retro reversas generis ac stirpis vices.
Congerite, cives, saxa in infandum caput.

---

et V. v. 512:

Munera tu contra victum mihi vecta per aequor
Accipe, Taenarii chlamydem de sanguine aheni.

857) *Ferrum per ambos tenue transactum pedes*) Eandem verbi structuram adhibuit Silius XIII. v. 376:

Bellatorem alacer per pectora transigit ensem.

Quare non est necesse cum Heinsio scribere *transutum* pro *transactum*.

Mactate telis: me petat ferro parens,
Me natus. in me conjuges arment manus,
Fratresque; et aeger populus ereptos rogis
Jaculetur ignes. seculi crimen vagor,
Odium deorum, juris exitium sacri;
Qua luce primum spiritus hausi rudes,
Jam morte dignus. redde nunc animos, parens.
Nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.
I, perge, propero regiam gressu pete.
Gratare matri liberis auctam domum.

CHORUS.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Vela, ne pressae gravi
Spiritu antennae tremant.

---

872) *Mactate telis*) hoc est, interficite. Attius in Antenoridis:

Aut navis uram, aut castra mactabo in mare.

878) *redde nunc animos parens*) Apposite Lucanus VIII. v. 410:

cui fas implere parentem,
Quid rear esse nefas?

886) *antennae tremant*) Iacobo de Rhoer Fer. Daventr. p. 45. melius videtur *gemant*, ob adjunctum *pressae*, et similem Horatii locum Od. I. 14. 5:

Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant.

Lenis et modicum fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me media vehat
Vita decurrens via.
Cnossium regem timens,
Alta dum demens petit,
Artibus fisus novis,

Sed idem Seneca Hipp. v. 316. de Sole Lunae currum premente:

tremunt axes graviore curru.

et Valerius Flaccus in descriptione tempestatis I. v. 620:

Vela super tremulum subitus volitantia malum
Turbo rapit.

887) *modicum fluens*) Male poëtae consuluit Gronovius, cum ex duobus Mss. substitueret *modice fluens*. Illud enim doctius et exquisitius est. Sic Ovidio Ponticor. IV. 10. 43:

Notus, adverso tepidum qui spirat ab axe.

ubi vid. Heins. et Heyn. ad Virg. Georg. IV. v. 370.

893) *Alta dum demens*) Sic omnes omnium editiones usque ad Gronovium, qui ex Florentino scribens *astra*, veram lectionem in glossema corrupit. *Alta* sunt astra vel coelum. Ita apud Statium Theb. XI. v. 46:

trux moeret ab alto
Amphitryoniades Nemaea in sanguine terga,
Et similes ramos, similesque videre pharetras.

et Ovidium Fast. I. v. 109:

Flamma petit altum; propior locus aëra cepit.

ubi hunc vocis usum pluribus exemplis illustravit Heinsius.

Certat et veras aves
Vincere, ac falsis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Daedalus librans iter
Nube sub media stetit,
Alitem exspectans suam:
Qualis accipitris minas
Fugit, et sparsos metu
Colligit foetus avis:
Donec in ponto manus
Movit implicitas puer,
Comes audacis viae.
Quidquid excessit modum,
Pendet instabili loco.
Sed quid hoc? postes sonant.
Moestus it famulus manu

---

896) *nimis Imperat)* Fallitur Heinsius, qui *minus* legendum esse censet. *nimis imperat pennis* expone: nimis exercet pennas, nimium ab iis exigit. De hac verbi potestate, non omisso Senecae loco, docte et diligenter Cortius ad Plin. Epist. V. 19. 6. Ante oculos erat Ovidius Trist. I. 1. 89:

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.

912) *Moestus et famulus manu Regius quassat caput)* Repone:

Moestus it famulus manu
Regius quassans caput.

Regius quassans caput.
Ede, quid portes novi.

---

quassans ex scriptis editisque vetustis. Pulsare, percutere caput, mos est dolentium et lugentium, de quo vide Dorvillium ad Charit. p. 347. Noster Herc. Oet. v. 739. in simili causa:

Tumensque tacita sequitur, et quassat caput.

it dicitur pro venit. Sic apud Terentium Adelph. III. 3. 7:

Sed eccum Syrum ire video.

Virgilius Aen. VI. v. 392:

Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Adcepisse lacu.

Frequenter autem *it* cum *et* a librariis permutari, ostendit Drakenborch. ad Sil. II. v. 521.

ACTUS QUINTUS.

NUNTIUS.

Praedicta postquam fata, et infandum genus
Deprendit, ac se scelere convictum Oedipus
Damnavit ipse; regiam infestus petens
Invisa propero tecta penetravit gradu;
Qualis per arva Libycus insanit leo,
Fulvam minaci fronte concutiens jubam:
Vultus furore torvus, atque oculi truces,
Gemitus, et altum murmur, et gelidus fluit

---

920) *concutiens jubam*) *comam* Arntzenius in: De colore et tinctura comarum p. 7. malit ex Ms. Bibl. Traj., laudans Achill. Tatium, qui II. Erot. p. 113. leones habere dicit *πολλὴν περὶ τὸν αὐχένα κόμην*. Atqui *πολλὴν* dicendo *jubam* confirmat. Nam *juba* est coma promissior. vid. Heins. ad Ov. Fast. III. v. 452.

922) *gelidus fluit Sudor*) Heinsius volebat *gelidos artus*. Sed idem Seneca Troad. v. 487:

Sudor per artus frigidus totos cadit.

Et sic prior dixerat Virgilius Aen. III. v. 175:

gelidus toto manabat corpore sudor.

Sudor per artus. spumat, et volvit minas,
Ac mersus alte magnus exundat dolor.
Secum ipse saevus grande nescio quid parat,
Suisque fatis simile. Quid poenas moror?
(Ait) hoc scelestum pectus aut ferro petat,
Aut fervido aliquis igne vel saxo domet.
Quae tigris, aut quae saeva visceribus meis
Incurret ales? ipse tu scelerum capax,
Sacer Cithaeron, vel feras in me tuis
Emitte silvis, mitte vel rabidos canes.
Nunc redde Agaven. anime, quid mortem times?
Mors innocentem sola fortunae eripit.
Haec fatus, aptat impiam capulo manum,
Ensemque ducit. Itane tam magnis breves
Poenas sceleribus solvis? atque uno omnia
Pensabis ictu? moreris? hoc patri sat est.
Qui deinde matri? quid male in lucem editis
Natis? quid ipsi, quae tuum magna luit

---

931) *Sacer Cithaeron*) *Sacer* est festus, ad sacra natus, ut cum vocat Ovidius Met. II. v. 223.

Ibid.) *tuis Emitte silvis*) In Florentino corrupte legitur *tuas*. *πολυθηρότατον νάπος* Cithaeron audit Euripidi Phoenis. v. 808.

936) *breves Poenas*) Heinsius malebat *leves Poenas*. At quis non videt, aptius contra *magnis* opponi *breves*, id est, parvas. Ovidius Ponticorum I. 7. 42:

Parva relegari poena futura fuit.

Imitatus auctor hoc ex Heraclidis Euripidis v. 959:

χρὴ γὰρ οὐχ ἅπαξ
θνήσκειν σὲ, πολλὰ πήματ᾽ ἐξειργασμένον.

Scelus ruina, flebili patriae dabis?
Solvendo non es. Illa quae leges ratas
Natura in uno vertit Oedipoda, novos
Commenta partus, suppliciis eadem meis
Novetur. iterum vivere, atque iterum mori
Liceat; renasci semper: ut toties nova
Supplicia pendas. utere ingenio miser.
Quod saepe fieri non potest, fiat diu.
Mors eligatur longa. quaeratur via,
Qua nec sepultis mixtus, et vivis tamen
Exemtus erres. morere, sed citra patrem.
Cunctaris, anime? subitus en vultus gravat
Profusus imber, ac rigat fletu genas.
Et flere satis est? hactenus fundent levem
Oculi liquorem. sedibus pulsi suis
Lacrimas sequantur. hi maritales statim
Fodiantur oculi. dixit, atque ira furit.
Ardent minaces igne truculento genae;
Oculique vix se sedibus retinent suis.
Violentus, audax vultus, iratus, ferox,
Tantum eruentis. Gemuit, et dirum fremens

---

946) *renasci semper*) Voluit *ἀπὸ κοινοῦ* repeti *liceat;* quales ellipses apud poëtas obviae. vid. Burman. ad Propert. II. 16. 17.

961) *Tantum eruentis*) non etiam sensum habituri crudelitatis. Oedipus duplicem sustinebat personam, punientis et supplicium patièntis; ipse erat, et qui eruebat et cui eruebantur oculi; ipse sibi noxius et lictor. At vultus parati ad supplicium, quasi ageret tantum, non ipse etiam pateretur. Simile acumen in Herc. Oct. (v. 1744):

Manus in ora torsit. at contra truces
Oculi steterunt, et suam intenti manum
Ultro insequuntur. vulneri occurrunt suo.
Scrutatur avidus manibus uncis lumina.
Radice ab ima funditus vulsos simul
Evolvit orbes. haeret in vacuo manus,
Et fixa penitus unguibus lacerat cavos
Alte resessus luminum, et inanes sinus;
Saevitque frustra, plusque, quam sat est, furit;
Tantum est periclum lucis. attollit caput,
Cavisque lustrans orbibus coeli plagas,
Noctem experitur. quidquid effossis male
Dependet oculis, rumpit; et victor Deos
Conclamat omnes: Parcite, heu, patriae, precor;
Jam jussa feci. debitas poenas tuli.

---

urere ardentem putes.

Tantum, ut apud Tacitum (An. XIV. 64): *cum jam viduam se et tantum sororem testaretur.*

Gronovius Observ. II. 19.

962) *at contra truces oculi steterunt*) Vir doctus in margine editionis Fabricianae conjicit *haud contra*, sed frustra. *stantes oculos* intellige rectos, contra intentatas manus non conniventes. Noster de Brev. vit. c. 3. *quando in statu suo vultus, quando animus intrepidus.* Lucanus V. v. 214;

Stat nunquam facies.

ubi plura Oudendorpius.

963) *et suam intenti manum*) Hoc ita extulit Phoenis. v. 175:

vixque cupientes sequi
Eduxit oculos.

976) *jussa feci*) conf. v. 658.

Inventa thalamis digna nox tandem meis.
Rigat ora foedus imber, et lacerum caput
Largum revulsis sanguinem venis vomit.

CHORUS.

Fatis agimur. cedite fatis.
Non sollicitae possunt curae
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto;
Servatque suae decreta colus
Lachesis, dura revoluta manu.
Omnia certo tramite vadunt:

Ibid.) *poenas tuli*) *lui* mavult Heinsius, quod sic soleat noster. Sed aeque frequens in his tragoediis est *ferre poenas.* vide saltem Phoenis. v. 644. Med. v. 201.] et Herc. Oet. v. 1466.

984) *ex alto*) h. coelo, Jove.

987) *Omnia certo tramite vadunt*) Haec vera lectio, quicquid turbant libri veteres. *certus* est fixus, ratus vel, ut loquitur Herc. Oet. v. 676. stabilis trames. Idem de Provid. c. 5. *Nihil cogor, nihil patior invitus, nec servio Deo, sed assentio. eo quidem magis, quod scio omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere. Fata nos ducunt, et quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa, privata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum est: quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas: et quamvis magna videatur va-*

Primusque dies dedit extremum.
Non illa Deo vertisse licet,
Quae nexa suis currunt causis.
It cuique ratus, prece non ulla
Mobilis, ordo. multis ipsum
Metuisse nocet. multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent.
Sonuere fores, atque ipse suum,
Duce non ullo, molitur iter
Luminis orbus.

OEDIPUS, CHORUS, JOCASTA.

OED. Bene habet, peractum est. justa persolvi patri.
Juvant tenebrae. quis Deus tandem mihi
Placatus atra nube perfundit caput?
Quis scelera donat? conscium evasi diem.

---

rietate singulorum vita distingui, summa in unum venit. accepimus peritura perituri. Manilius IV. v. 14:

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Longaque per certos signantur tempora cursus.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Similes de fato locos veterum reperies apud Pricaeum ad Apulei. Met. IX. p. 177.

991) *prece non ulla mobilis*) Videtur Seneca ob oculos habuisse illud Euripidis Alcest. v. 975:

μόνας δ' οὔτ' ἐπὶ βωμοὺς
ἐλθεῖν, οὔτε βρέτας θεᾶς
ἐστὶν, οὐ σφαγίων κλύει.

Nil, parricida, dexterae debes tuae.
Lux te refugit. vultus Oedipoda hic decet.
CHOR. En, ecce, rapido saeva prosiluit gradu
Jocasta vecors: qualis attonita et furens
Cadmea mater abstulit nato caput,
Sensitve raptum. Dubitat, afflictum alloqui
Cupit, pavetque. jam malis cessit pudor,
Et haeret ore primo vox. JOC. Quid te vocem?
Natumne? dubitas? natus es. natum pudet.
Invite loquere nate. quo avertis caput,
Vacuosque vultus? OED. Quis frui et tenebris
vetat?
Quis reddit oculos? matris, heu, matris sonus.
Perdidimus operam. congredi fas amplius
Haud est. nefandos dividat vastum mare,
Dirimatque tellus abdita: et quisquis sub hoc
In alia versus sidera, ac solem avium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.
JOC. Fati ista culpa est. nemo fit fato nocens.
OED. Jam parce verbis, mater, et parce auribus.
Per has reliquias corporis trunci peto,

1003) *vultus Oedipodem hic decet*) In Florentino est *Oedipodam.* Lege, ut Gronovius conjecit, *Oedipoda,* declinatione graeca poëtis admodum familiari. Exempla reperiuntur apud Burmannum ad Claudian. VIII. v. 652.

1021) *corporis trunci precor*) *peto* Florentinus; et sic efficacius rogat. Nam *petere* est, quum aliquid humiliter et cum precibus postulamus, ut ex Varrone notat Servius ad Virg. Aen. IX. v. 193.

Per inauspicatum sanguinis pignus mei,
Per omne nostri nominis fas ac nefas.
Ioc. Quid, anime, torpes? socia cur scelerum dare
Poenas recusas? omne confusum perit,
Incesta, per te juris humani decus.
Morere, et nefastum spiritum ferro exige.
Non si ipse mundum concitans Divûm sator
Corusca saeva tela jaculetur manu,
Unquam rependam sceleribus poenas pares
Mater nefanda. mors placet. mortis via
Quaeratur. agedum, commoda matri manum,
Si parricida es. restat hoc operi ultimum.
Rapiatur ensis. hoc jacet ferro meus
Conjux. quid illum nomine haud vero vocas?
Socer est. utrumne pectori infigam meo
Telum? an patenti conditum jugulu imprimam?
Eligere nescis vulnus. hunc, dextra, hunc pete
Uterum capacem, qui virum et natum tulit.

1023) *fas et nefas)* Pro *et* in Florentino est *ac*, quod arctius utrumque conjungit, decetque magis Oedipum, post mixtum et confusum nomen conjugis, nati, patris. conf. Herc. fur. v. 388. et Phoenis. v. 133.

1027) *Morere, ac nefastum)* Hic rursus pro *ac* in Florentino est *et*. Prius connectit, posterius explicat. Utrum igitur sit praeferendum, facile patet.

1039) *Uterum capacem, qui virum et gnatum tulit) capacem*, quod uno utero maritum et filium peperisset Jocasta. In tanta luce miror Gronovium emendare: *qui virum e gnato tulit.*

CHOR. Jacet peremta. vulneri immoritur
manus;
Ferrumque secum nimius ejecit cruor.
OED. Fatidice te, te, praesidem veri Deum,
Compello. solum debui fatis patrem,
Bis parricida, plusque quam timui nocens.
Matrem peremi. scelere confecta est meo.
O Phoebe mendax, fata superavi impia.
Pavitante gressu sequere fallentes vias;
Suspensa plantis efferens vestigia.
Caecam tremente dextera noctem rege.
I, gradere praeceps, lubricos ponens gradus.
I, profuge, vade. siste, ne in matrem incidas.
Quicunque fessi corpore et morbo graves
Semianima trahitis pectora, (en fugio, exeo)
Relevate colla. mitior coeli status
Post terga sequitur. quisquis exilem jacens
Animam retentat, vividos haustus levis

1047) *fallaces vias*) Rectius in Florentino legitur: *sequere fallentes vias*, id est, erroribus te committe, ut Gronovius accepit. Supra v. 656. Laius:

repet incertus viae
Baculo senili triste praetentans iter.

Fallentes et *fallaces* crebro in Mss. confusa esse, docet Burmannus ad Claudian. III. v. 238.

1056) *vividos haustus levis Concipiat*) *vividos haustus* cum Heinsio refer ad salubrem auram, quae pestilentiae ac coelo infecto medeatur. *levis* eam concipere dicitur, qui ex facili spirat, ad discrimen horum, qui exilem animam retentant et difficulter spirant.

Concipiat. ite, ferte depositis opem.
Mortifera mecum vitia terrarum extraho.
Violenta fata, et horridus morbi tremor,
Maciesque, et atra pestis, et rabidus dolor
Mecum ite, mecum. ducibus his uti libet.

Contra Val. Flaccus *tenuem animam spirare* dixit IV. v. 436. Mallet quidem Heinsius *Jovis*, id est, aurae. Sed hoc in *vividos* per se intelligitur, adeoque superfluit.

1058) *vitia terrarum*) ut supra v. 658:
Praeripite terras.
puta, Thebanas.

TROADES.

DRAMATIS PERSONAE.

HECUBA.
CHORUS TROADUM.
TALTHYBIUS.
AGAMEMNON.
CALCHAS.
HELENA.
PYRRHUS.
ANDROMACHA.
SENEX.
ULYSSES.
ASTYANAX.
NUNTIUS.
POLYXENA, muta persona.

ACTUS PRIMUS.

HECUBA.

Quicunque regno fidit, et magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit deos,
Animumque rebus credulum laetis dedit,
Me videat, et te, Troja. non unquam tulit
Documenta Fors majora, quam fragili loco
Starent superbi. columen eversum occidit
Pollentis Asiae, coelitum egregius labor.
Ad cujus arma venit, et qui frigidum

2) *nec leves metuit deos*) *leves deos*, id est, levitatem Fortunae, cito munera sua transferentis, ut loquitur Idem Consolat. ad Polyb. c. 28.

8) *et qui frigidum*) Florentinus,

— et quae frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit.

ut Amazones Tanaitides intelligantur. nam de Maeoticis mox aget. Utrasque etiam conjungit Hippolyto v. 401.

Qualis relictis frigidi Ponti plagis
Tanaitis, aut Maeotis.

Heinsius.

Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui renatum primus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto;
Et quae vagos vicina prospiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit.
Excisa ferro est Pergamum. incubuit sibi.
En alta muri decora congestis jacent

Vereor, ne Amazones illas, tam incerto signo descriptas, praeter ipsum agnoscat nemo. Rhesus intelligitur: de quo vid. Hom. Il. X. v. 433 sqq.

10) *Et qui renatum primus*) Memnon ex India. *πρῶτοι γὰρ ἀνατέλλοντα τὸν θεὸν ὁρῶσιν Ἰνδοί*, ut ait Achil. Tatius IV. 5.

11) *rubenti Tigrin immiscet freto*) *fretum rubens* est, sole rubescens. Virgilius Georg. III. v. 359. de sole:

Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.

ubi vide Heynium.

13) *Ripam catervis Ponticam viduis ferit*) *terit* legendum suspicatur Marklandus ad Stat. Silv. IV. 7. 51. Sed nihil necesse est. Idem Seneca Hipp. v. 100. de Hippolyte:

Egit catervas, Atticum pulsans solum.

Nam *ferire* et *pulsare*, ut docet Burmannus ad Val. Flac. VIII. v. 23. socia et similia verba sunt.

15) *congesti jacent Tectis adustis*) *murus congestus* nihili est. Florentinus: *muri decora congestis jacent Tectis adusti.* Recte vero. *adustus murus*, igne circumdato. Turnus apud Virgilium Aen. IX. v. 153:

nec equi caeca condemur in alvo;
Luce, palam, certum est igni circumdare muros.

alta muri *decora* sunt turres. Infra v. 1075:

Haec nota quondam turris, et muri decus,
Nunc saeva cautes.

Tectis adusti. regiam flammae ambiunt;
Omnisque late fumat Assaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus;
Diripitur ardens Troja, nec coelum patet
Undante fumo. nube ceu densa obsitus,
Ater favilla squallet Iliaca dies.
Stat avidus irae victor, et lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoscit annis. horret afflictam quoque;
Victamque quamvis videat, haud credit sibi
Potuisse vinci. spolia populator rapit
Dardania. praedam mille non capiunt rates.
Testor Deorum numen adversum mihi,
Patriaeque cineres, teque rectorem Phrygum,
Quem Troja toto conditum regno tegit,
Tuosque manes, quo stetit stante Ilion,
Et vos meorum liberûm magni greges,
Umbrae minores. quidquid adversi accidit,
Quaecunque Phoebas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, praedixit mala,
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Cassandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes

---

26) *Potuisse vinci)* Simile est illud Justini XXXII. 1. *Philopoemenem in theatrum duci jusserunt, ut omnes contuerentur, quem potuisse capi incredibile singulis videbatur.*

36) *Prior Hecuba vidi gravida)* Incertus Tragicus:
Quia mater gravida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba.

Nocturnus in vos sparsit, aut fallax Sinon.
Meus ignis iste est. facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas urbis eversae gemis
Vivax senectus? respice infelix ad hos
Luctus recentes. Troja jam vetus est malum.
Vidi exsecrandum regiae caedis nefas,
Ipsasque ad aras majus admissum scelus
Aeacidae armis: cum ferox scaeva manu

---

40) *Meus ignis iste est)* Auctor Epitomes Iliados v. 338. de concubitu Paridis et Helenae:

illa soluto
Accepit flammas gremio Trojaeque suasque.

46) *Ajacis armis)* Mss. *Aeacidae,* quod recte tuetur Heynius ad Virg. Aen. II. v. 550. nec intelligo, quemadmodum potuerint docti viri mutare, Scaliger in *Aeacidis,* Gronovius in *Ajacis,* cum docuisset Avantius, Diphthongum saepe retineri, sequente vocali, commentario de generibus carminum apud Senecam. Vide et Vossium de Art. Gram. II. 14.

Ibid.) *cum ferox saeva manu)* Reddidit Gallus interpres: *lors que l' impitoyable Neoptoleme empoigna le Roy par les cheveux, qu' il luy fit tourner la teste d'une main impitoyable.* Hoc est tautologiam tautologia rependere. Nam *ferox* est, interprete Nonio IV. 192., saevus et indomabilis. Omnino cum Florentino legendum: *scaeva manu.* Virgilius, eandem rem narrans, Aen. II. v. 552:

Inplicuitque comam laeva.

Et ibidem XII. v. 302:

Caesariem laeva turbati conripit hostis,
Inpressoque genu nitens terrae adplicat ipsum:
Sic rigido latus ense ferit.

Coma reflectens regium torta caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;
Quod penitus actum cum recepisset libens,
Ensis senili siccus e jugulo rediit.
Placare quem non potuit a caede effera
Mortalis aevi cardinem extremum premens?
Superique testes sceleris? et quondam sacrum
Regni jacentis? Ille tot regum parens
Caret sepulcro Priamus, et flamma indiget
Ardente Troja. non tamen superis sat est.
Dominum, ecce, Priami nuribus et natis legens

Q. Cicero de Petitione Consulatus c. 3. *Quid ego nunc dicam, petere eum consulatum, qui hominem carissimum populo Romano, M. Marium, inspectante populo Romano, vitibus per totam urbem ceciderit? ad bustum egerit? ibi omni cruciatu vivum lacerarit? stanti collum gladio sua dextera secuerit, cum sinistra capillum ejus a vertice teneret?* Apud ipsum Senecam Hippolytus, novercam interempturus:

En impudicum crine contorto caput
Laeva reflexi.

scaevus vero et *saevus* confunduntur saepissime. vid. Burman. ad T. II. Anthol. Lat. p. 110.

56) *non tamen superis sat est)* Certe non Junoni sat est. Venus apud Virgilium Aen. V. v. 786:

Junonis gravis ira, nec exsaturabile pectus,
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Jovis imperio fatisve infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, nec poenam traxe per
omnem

Sortitur urna. praeda quem vilis sequar?
Hic Hectoris conjugia despondet sibi;
Hic optat Heleni conjugem; hic Antenoris;
Nec deest tuos, Cassandra, qui thalamos petat.
Mea sors timetur. sola sum Danais metus.
Lamenta cessant? turba, oaptivae, mea,
Ferite palmis pectora, et planctus date,
Et justa Trojae facite. jumdudum sonet
Fatalis Idae judicis diri domus.

CHORUM TROADUM, HECUBA.

CHOR. Non rude vulgus, lacrimisque novum
Lugere jubes. hoc continuis
Egimus annis, ex quo tetigit
Phrygius Grajas hospes Amyclas,
Secuitque fretum pinus matri
Sacra Cybellae.
Decies nivibus canuit Ide,

Reliquias: Trojae cineres atque ossa peremtae Insequitur.

58) *praeda quem vilis sequar) vilis,* quia vetula. Tacitus Hist. III. 43. *grandaevos senes, exacta aetate feminas, viles ad praedam, in ludibrium trahebant.*

66) *Fatalis Idae)* Frustra est Vossius, *Ide* scribens ad Val. Flaccum II. v. 519. *Idae domus* eo modo dicitur, quo *nemoris opulenti domus* Herc. fur. v. 239. et *Lyrnessi domus* Virgilio Aen. XII. v. 547.

Ide nostris nudata rogis;
Et Sigeis trepidus campis
Decumas secuit messor aristas;
Ut nulla dies moerore caret,
Sed nova fletus causa ministrat.
Ite ad planctus,
Miseramque leva, regina, manum.
Vulgus dominam vile sequemur.
Non indociles lugere sumus.
HEC. Fidae casus nostri comites,
Solvite crinem. per colla fluant
Moesta capilli tepido Trojae
Pulvere turpes. paret exsertos
Turba lacertos. veste remissa
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus. cui conjugio
Pectora velas, captive pudor?
Cingat tunicas palla solutas.
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus. placet hic habitus,
Placet. agnosco Troada turbam.
Iterum luctus redeunt veteres.
Solitum flendi vincite morem.
Hectora flemus.
CHOR. Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem.

---

79) *Ite ad planctus*) Gronovius edidit *Ito*, quia sequitur *leva*. Sed mutatio numerorum apud poetas frequentissima. vid. Burman. ad T. I. Anthol. Lat. p. 301.

Coma demissa est libera nodo;
Sparsitque cinis fervidus ora.
HEC. Complete manus. hoc ex Troja
Sumsisse licet. CHOR. Cadit ex humeris
Vestis apertis, imumque tegit
Suffulta latus. HEC. Jam nuda vocant

---

100) *Coma demissa est libera nodo*) Heinsius rescribit *dimisso.* Minus bene. *demissa est*, de more funereo, quem noster et Med. v. 803. tangit. Ovidius Heroid. X. v. 137:

Adspice demissos lugentis in ore capillos.

Metamorph. VI. v. 289:

stabant cum vestibus atris
Ante toros fratrum demisso crine sorores.

Fast. VI. v. 441:

Attonitae flebant demisso crine ministrae.

103) *cadat ex humeris Vestis apertis: imumque tegat Suffulta latus*) Liber optimus, *Cadit:* et, *imumque tegit*, non *utrumque tegat.* Suspicor haec verba esse Chori, non Hecubae. Illa jam ante imperaverat, ut crinem solverent cineribusque aspergerent, ut veste pectora nudarent. Ad prius respondent Iliades vers. 98. *Solvimus crimen* etc. ubi mentione cineris facta interloquitur Hecuba: *Complete manus. hoc ex Troja sumpsisse licet.* Pergunt Iliades exsequi imperata priora, et vestem dejiciunt dicuntque simul: *Cadit ex humeris Vestis apertis, imumque tegit Suffulta latus.* Rursus Hecuba: *jam nuda vocant* etc. Nihil commodius. Gronovius.

Ita mihi certa videtur correctio, ut ei locum in textu dederim. *Suffulta latus* est subligata. Auctor Moreti v. 99:

laeva vestem setosa sub inguine fulcit.

Pectora dextras. nunc nunc vires
Exprome, dolor, tuas.
Rhoetea sonent litora planctu.
Habitansque cavis montibus Echo
Non, ut solita est, extrema brevis
Verba remittat; totos reddat
Trojae gemitus. audiat omnis
Pontus, et aether. saevite, manus,
Pulsu vasto tundite pectus.
Non sum solito contenta sono.
Hectora flemus.
CHOR. Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos.
Tibi nostra caput dextera pulsat.
Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent. fluit, et multo
Sanguine manat, quamcunque tuo
Funere feci, rupta cicatrix.
Columen patriae, mora fatorum,
Tu praesidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras; humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit. summusque dies
Hectoris idem patriaeque fuit.
HEC. Vertite planctus. Priamo vestros
Fundite fletus. satis Hector habet.
CHOR. Accipe, rector Phrygiae, planctus:
Accipe fletus, bis capte senex.
Nil Troja semel te rege tulit.
Bis pulsata Dardana Grajo

Moenia ferro; bisque pharetras
Passa Herculeas. post elatos
Hecubae partus, regumque gregem,
Postrema pater funera cludis;
Magnoque Jovi victima caesus
Sigea premis litora truncus.
HEC. Alio lacrimas flectite vestras.
Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades. Felix Priamus,
Dicite cunctae. liber Manes
Vadit ad imos: nec feret unquam
Victa Grajum cervice jugum.
Non ille duos vidit Atridas,
Nec fallacem cernit Ulyssem.
Non Argolici praeda triumphi,
Subjecta feret colla tropaeis.
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit; currusque sequens
Agamemnonios, aurea dextra
Vincula gestans, laetis fiet
Pompa Mycenis. CHOR. Felix Priamus,
Dicimus omnes. secum excedens
Sua regna tulit. nunc Elysii
Nemoris tutis errat in umbris,

---

156) *Felix Priamus*) Apud Ovidium XIII. Met. 520. Hecuba:

quis posse putaret
Felicem Priamum, post diruta Pergama, dici?
Felix morte, nec te, mea nata, peremtam
Adspicit, et vitam pariter regnumque reliquit.

Interque pias felix animas
Hectora quaerit. Felix Priamus!
Felix, quisquis bello moriens
Omnia secum consumpta videt!

---

163) *Omnia secum consumpta videt)* Duo codices *tulit*, cui hic nullus locus. Bene ad rem Claudianus, ab Opitio laudatus, V. v. 19:

Everso juvat orbe mori. solatia leto
Exitium commune dabit.

ACTUS SECUNDUS.

TALTHYBIUS, CHORUS TROADUM.

TAL. Quam longa Danais semper in portu mora,
Seu petere bellum, petere seu patriam volunt.
CHOR. Quae causa ratibus faciat et Danais moram,
Effare: reduces quis Deus cludat vias.
TAL. Pavet animus. artus horridus quassat tremor.
Majora veris monstra vix capiunt fidem.
Vidi ipse, vidi. summa jam Titan juga

---

168) *artus horridus quassat tremor)* Heinsius malit *artus horridos.* Vulgata confirmatur imitatione Auctoris Octaviae v. 735:

Quatit ora et artus horridus nostros tremor.

170) *summa jam Titan juga Stringebat. ortus vicerat noctem dies)* Gronovius notat in Florentino legi: *Stringebat ortu. vicerat noctem dies.* confertque Justini 18. (c. 3.) *Ubi vero dies adventare coepit, editissimisque culminibus urbis Oriens splendere.* Nec

Stringebat ortu. vicerat noctem dies:
Cum subito caeco terra mugitu fremens
Concussa, totos traxit ex imo sinus.
Movere silvae capita, et excelsum nemus
Fragore vasto tonuit, et lucus sacer.
Idaea ruptis saxa ceciderunt jugis.
Nec sola tellus tremuit: et pontus suum
Adesse Achillen sensit, ac stravit vada.

---

dubitavi recipere, praesertim confirmatum a Seneca, qui sic ait Herc. fur. v. 124:

clarescit dies.
Ortuque Titan lucidus croceo subit.

et similiter Hipp. v. 315:

dies tardo remeavit ortu.

vicerat noctem, ut Herc. fur. v. 126:

nox victa vagos
Contrahit ignes.

173) *totos traxit ex imo sinus*) *traxit sinus*, ut fluctus apud Virgilium Georg. III. v. 328:

ex altoque sinum trahit.

id est, Heynio interprete, sinum facit, sinuatur. De terra non multo secus, quam Seneca, dixit Lucilius in Aetna v. 174:

Introrsus cessante solo, trahit undique venas.

ubi conf. Wernsdorf.

177) *Nec sola tellus tremuit: et pontus*) Florentinus: *Nec terra solum tremuit*, quod glossema videtur. Singularem emphasin *τοῦ et*, plus quam etiam significantis, jam observavit Burmannus ad Propert. II. 19. 31.

178) *Adesse Achillem sensit*) *Achillen* Florentinus: atque ita veteres enuntiasse, docet Heinsius ad Ov. Amor. II. 18. 1. ubi eadem diversitas est.

Tum scissa vallis aperit immensos specus;
Et hiatus Erebi pervium ad superos iter
Tellure fracta praebet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Thessalici ducis,
Threïcia qualis arma proludens tuis
Jam, Troja, fatis stravit: aut Neptunium
Cana nitentem perculit juvenem coma:
Aut cum inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes clusit; et quaerens iter
Tardus cruento Xanthus erravit vado:
Aut cum superbo victor in curru stetit,
Egitque habenas, Hectorem et Trojam trahens.
Implevit omne litus irati sonus:
Ite, ite inertes. debitos manibus meis
Auferte honores. solvite ingratas rates
Per nostra ituri maria. non parvo luit
Iras Achillis Graecia. at magno luet.

---

190) *Egitque habenas)* Vir doctus in margine editionis Fabricianae conjicit *Rexitque habenas.* Sed nihil opus est. Nam *agere* pro gubernare vel regere ponitur, ut apud Ovidium II. Met. 62:

Non agat hos currus.

ubi plura Burmannus, quem vide.

192) *manibus meis)* Fallor, aut ultimam in *manibus*, eliso *S*, corripuit, exemplo Lucretii III. v. 52:

Et nigras mactant pecudes, et manibus divis.

Eadem figura Catullus CXVI. v. 8:

At fixus nostris tu dabis supplicium.

195) *at magno luet)* si nempe manibus meis debiti non reddantur honores, quos auferri vetat, cum dicit: *Ite, ite inertes.* Dicit enim εἰρωνικῶς, ut apud Vir-

Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, et tumulum riget.
Haec fatus, alta nocte divisit diem,
Repetensque Ditem, mersus ingentem specum
Coeunte terra junxit. immoti jacent
Tranquilla pelagi. ventus abjecit minas,
Placidumque fluctu murmurat leni mare.
Tritonum ab alto cecinit hymenaeum chorus.

PYRRHUS, AGAMEMNON, CALCHAS.

PYRRH. Cum laeta pelago vela rediturus dares,
Excidit Achilles: cujus unius manu

---

gilium Aen. IV. v. 381. Dido: *I sequere Italiam ventis.*

198) *alta voce, dimisit diem)* Florentinus cum Palatinis fere omnibus,

Haec fatus; alta nocte divisit diem.

Nihil verius. *dividere diem nocte* est, interponere tenebras luci. Sic *diffindere diem insititio somno meridie* pro, interponere somnum negotiis diurnis Varro dixit I. Rer. Rust. II. 5. ubi Criticos vide.

203) *Tritonum ab alto cecinit hymenaeum chorus)* Ut in nuptiis Jovis et Europes, a Luciano descriptis in Dialogo marino, qui inscribitur *Zephyri et Noti: τό, τε τῶν Τριτώνων γένος, καὶ εἴ τι ἄλλο μὴ φοβερὸν ἰδεῖν τῶν θαλαττίων, ἅπαντα περιεχόρευε τὴν παῖδα.*

205) *cujus unius manu Impulsa Troja [corruit tandem solo Brevi repensans] quidquid adjecit morae [Scyros, fretumque Lesbos Aegae-*

Impulsa Troja, quidquid adjecit morae
Illo remoto, dubia, quo caderet, stetit.
Velis licet, quod petitur, ac properes dare;

---

um secans] Illo remoto, dubia quo caderet, stetit) Quis hic mendum suspicatus est? Pessime tamen habitum locum arguit Florentinus: in quo solummodo: *Impulsa Troja quicquid adjecit morae Illo remoto dubia quo caderet stetit.* Media omnia desunt. Et versum quidem 207. *Scyros fretumque Lesbos Aegaeum secans*, hic otiosum et alienum, eaedem membranae reddunt infra ante versum 225. ubi adhuc aenigma nemini intellectum obhaeserat. *Quicquid adjecit morae,* ipsa haud dubie Troja: quod quia non capiebant, Scyron et Lesbon interjecerunt, moram Achillis in itinere ad Trojam somniantes. Sed *adjicere moram* nihil aliud est quam facere moram, interponere moram: ut *addere gradum* Livio procedere, accelerare iter. *Quicquid morae*, sibi puta, *adjecit*, quantum temporis superfuit. Suetonius Domitiano: *Exhaustis operum ac munerum impensis, stipendioque quod adjecerat.* Sequentem versum misere interpretantur: quod nisi fecisset, dubia stetisset Lesbos, cui parti faveret; vel, ex oraculi responso sine Achille in dubio erat, an Troja posset capi. Nihil hic de Lesbo, quam viginti versibus hinc distare voluit Seneca: et ex oraculi responso certum et citra dubium erat, Trojam sine Achille capi non posse. Quam durum deinde, *dubia quo caderet, ἀντὶ τοῦ*, a quo dejiceretur, vel cui caderet. Quo magis considero, eo planius fit mihi, laciniam istam, *corruit tandem solo Brevi repensans*, esse inepti et audacis fartoris, Senecam autem scripsisse, ut habetur Florentiae: *cujus unius manu Impulsa Troja, quicquid adjecit morae Illo remoto, dubia, quo ca-*

Sero es daturus. jam suum cuncti duces
Tulere pretium. quae minor merces potest
Tantae dari virtuti? an is meruit parum,
Qui, fugere bellum jussus, et longa sedens

---

deret, stetit. Sensum en rotundum expeditumque: cujus manu in occiso Hectore labefactata Troja, quicquid superfuit post mortem ejusdem Achillis, (hoc enim est, *Illo remoto*) non stetit firma et nixa vestigiis suis, sed extraxit breve momentum titubando, dubitando et quasi deliberando, quam in partem procumberet. Solet hoc evenire labantibus, ut paullum temporis sumant seque sustineant minando in diversas partes lapsum. Sic in Thyeste: *educto stetit ferro cadaver, cumque dubitasset diu, Hac parte an illa caderet, in patruum cadit.* Ovidius lib. 10. *utque securi Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat, Quo cadat, in dubio est, omnique a parte timetur.* Statius lib. 9. *Getico qualis procumbit in Haemo Seu Boreae furiis, putri seu robore quercus. Illam nutantem nemus et mons ipse tremiscit, Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas.* Noster natural. quaest. 6. 1. *Nam et Herculanensis oppidi pars ruit, dubieque stant etiam, quae relicta sunt.* Eodem libro cap. 9. *Aut cum diu dubitavere, super ea se, quae supersunt stantque, componunt.* Et mox: *tunc diu agitata fastigia concidunt, et tam diu differuntur atque incerta sunt, donec in solido resederunt.* Ubi possis etiam *deferuntur.* Petitus ut multa frustra carpit et tentat in Seneca, ita et transponit versum vulgatae, *Brevi repensans,* post 213. *Falsasque vestes:* alterum, *Scyros fretumque,* post 222. *Et causa litis,* Observ. 1, 3. utroque tamen merito offensus.

Gronovius.

Aevum senecta degere, ac Pylii senis
Transcendere annos, exuens matris dolos,
Falsasque vestes, fassus est armis virum?
Inhospitali Telephus regno impotens
Dum Mysiae ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemque eandem sensit et mitem manum.
Cecidere Thebae. vidit Eetion capi
Sua regna victus. clade subversa est pari
Apposita celso parva Lyrnessos jugo;
Captaque tellus nobilis Briseide,
Et, causa litis regibus, Chryse jacet;
Et nota fama Tenedos; et quae pascuo

Reposui lectionem codicis Florentini. *impulsa* labefacta est, sublato, qui fulciebat, Hectore. Nam, ut canit Horatius Od. II. 4. 10:

ademtus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.

Hinc ibid. IV. 6. 3. Achilles *Trojae prope victor* audit.

221) *Imposita celso parva Lyrnessos jugo*) Immo *Apposita*, ut recte ante Gruterum legebatur. *apposita celso jugo*, id est, sub Idaeo monte sita. Virgilius Aen. XII. v. 546:

domus alta sub Ide;
Lyrnessi domus alta.

confer de hoc usu vocis Heinsium ad Ov. Amor. III. 6. 7.

225) *Et nota fama Tenedos*) Heinsius *fama* in *famae* mutans, non cogitabat de Virgilio, qui II. Aen. 21. sic ait:

Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula.

Foecunda pingui Thracios nutrit greges,
Syros, fretumque Lesbos Aegaeum secans,
Et cara Phoebo Cilla. quid? quas alluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?
Haec tanta clades gentium ac tantus pavor,
Sparsae tot urbes, turbinis vasti modo,
Alterius esset gloria ac summum decus:
Iter est Achillis. sic meus venit pater,
Et tanta gessit bella, dum bellum parat.
Ut alia sileam merita, non unus satis

---

226) *Thracios nutrit greges Syros*) Simile quiddam de Laurentino suo tradit Plinius Epist. II. 17. 3. *Multi greges ovium, multa ibi equorum boumque armenta: quae montibus hieme depulsa, herbis et tepore verno nitescunt.* ubi *depulsa* ad *armenta* referre nemo dubitabit, qui legerit Iter Bonstettenii Latium pag. 154.

228) *sacra Phoebo Cilla*) Florentinus *cara Phoebo*, quod confirmatur Apollinem invocantis Chrysae verbis apud Homerum Il. I. v. 37:

ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,
Κίλλαν τε ζαθέην.

Utrasque voces crebro inter se commutari, ostendit Burmannus ad Ov. Met. III. v. 156.

231) *Sparsae tot urbes*) Heinsius mallet *Stratae*, quomodo noster infra v. 889. iterum v. 911. ac saepius locutus est. Sed hic *sparsae* elegantius dicitur ob sequentem turbinis comparationem.

235) *non unus satis Hector fuisset*) Heinsius rescribit: *nonne unus satis Hector fuisset*, praeter rem. Interrogat enim *non*, ut in hoc Ovidii Trist. III. 4. 24:

Nam pennas ambo non habuere suas?

ubi plura Burmannus.

Hector fuisset? Ilium vicit pater,
Vos diruistis. inclitas laudes juvat,
Et clara magni facta genitoris sequi.
Jacuit peremtus Hector ante oculos patris,
Patruique Memnon, cujus ob luctum parens
Pallente moestum protulit vultu diem,
Suique victor operis exemplum horruit;
Didicitque Achilles, et Dea natos mori.
Tum saeva Amazon ultimus cecidit timor.
Debes Achilli, merita si digne aestimas,
Etsi Mycenis virginem atque Argis petat.
Dubitatur etiam? placita nunc subito improbas?
Priamique natam Pelei nato ferum
Mactare credis? at tuam natam parens
Helenae immolasti. solita jam et facta expeto.
AGAM. Juvenile vitium est, regere non posse impetum.
Aetatis alios fervor hic primae rapit,
Pyrrhum paternus. spiritus quondam truces,

---

238) *facta genitoris sequi)* id est, persequi, narrare. Propertius II. 8. 23:

Haec ego castra sequar vates.

243) *Tum saeva Amazon)* Heinsius conjectabat *Thressa Amazon.* Sed vera est recepta lectio. Claudianus XI. v. 33:

Saevas petisses pulcer Amazonas.

Noster infra v. 672:

qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon stravit.

244) *ultimus cecidit timor) Amazon timor* dicitur, ut Ovidio Fast. I. v. 551:

Minasque tumidi lentus Aeacidae tuli.
Quo plura possis, plura patienter feras.
Quid caede dira nobiles clari ducis
Aspergis umbras? noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu:
Moderata durant. quoque Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere, metuentem Deos
Nimium faventes. magna momento obrui
Vincendo didici. Troja nos tumidos facit
Nimium ac feroces? stamus hoc Danai loco,

Cacus, Aventinae timor atque infamia silvae.

256) *nobilem clari ducis Aspergis umbram*) Florentinus aliique ex antiquioribus multi: *nobiles clari ducis Aspergis umbras.* Graviter plurali numero utitur. Sic in Hercule furenti v. 495:

Umbrae Creontis et penates Labdaci.

Pari modo Virgilius Aen. VI. v. 510:

Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.

et Ovidius Metamorph. VI. v. 541. ex Philomelae persona:

vacuas habuissem criminis umbras.

260) *quoque Fortuna altius evexit*) Simile Tiberii dictum refert Tacitus An. I. 72. *cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico.* Quinctilian. Declam. IX. 17. *Et hercle quo quisque plus potest, quoque latius patet ad fortunae incursus, hoc magis cogitare debet atque respicere, quantum in nos fortunae regnum sit, quam instabili sede humana consistant.*

Unde illa cecidit, fateor, aliquando impotens
Regno ac superbus, altius memet tuli;
Sed fregit illos spiritus haec, quae dare
Potuisset alii, causa, Fortunae favor.
Tu me superbum, Priame? tu timidum facis.
Ego esse quidquam sceptra, nisi vano putem
Fulgore tectum nomen, et falso comam
Vinclo decentem? casus haec rapiet brevis;
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus Fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixisse hoc tua,
Argiva tellus, liceat) affligi Phrygas
Vincique volui. ruere, et aequari solo,
Etiam arcuissem. sed regi frenis nequit
Et ira, et ardens hostis, et victoria
Commissa nocti. quidquid indignum aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebraeque, per quas ipse se irritat furor,
Gladiusque felix, cujus infecti semel

---

271) *Tu me superbum, Priame, tu timidum facis*) Distingue:

Tu me superbum, Priame? tu timidum facis.

Nam, si fregit spiritus illos victoria, quomodo superbum facit victus?

274) *casus haec rapiet brevis*) Fuit vir doctus, qui *levis* conjiceret. Vulgata firmatur dicto Silii IV. v. 734:

Brevis est magni Fortuna favoris.

284) *ipse se irritat*) Sic etiam loquitur de Tranquil. 3. *nec finem ideo faciebat, sed irritabat se ipsa saevitia.*

Vecors libido est. quidquid eversae potest
Superesse Trojae, maneat. exactum satis
Poenarum, et ultra est. regia ut virgo occidat,
Tumuloque donum detur, et cineres riget,
Et facinus atrox caedis ut thalamos vocent?
Non patiar. in me culpa cunctorum redit.
Qui non vetat peccare, cum possit, jubet.
PYRRH. Nullumne Achillis praemium manes ferent?
AGAM. Ferent; et illum laudibus cuncti canent;
Magnumque terrae nomen ignotae audient.
Quod si levatur sanguine infuso cinis,
Opima Phrygii colla caedantur gregis,
Fluatque nulli flebilis matri cruor.
Quis iste mos est, quando in inferias homo est,

---

290) *Et facinus atrox caedis ut thalamos vocem, Non patiar.*) Optime Florentinus,

Et facinus atrox caedis ut thalamos vocent?
Non patiar.

hoc est, facinus atrox caedis ut thalamus vel conjugium vocetur. Idem Herc. Oet. v. 1836:

Fortes vetant moerere, degeneres jubent.

pro, vetamur, jubemur. Atque ita poetae frequenter. vid. Burman. ad Ov. Heroid. XIV. v. 42. *Non patiar,* ut apud Ciceronem Epist. ad Att. XIII. 42. *mihi, inquit, iratus est. cur pateris? inquam. malo enim ita dicere, quam, cur committis? non patiar, inquit, ut* indignatur, quomodo et Medea v. 893:

Egon' ut recedam?

Impensus homini? detrahe invidiam tuo
Odiumque patri, quem coli poena jubes.
PYRRH. O tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos: timide, cum increpuit metus:
Regum tyranne, jamne flammatum geris
Amore subito pectus, ac Veneris novae?
Solusne toties spolia de nobis feres?
Hac dextra Achilli victimam reddam suam:
Quam si negas retinesque, majorem dabo,
Dignamque, quam det Pyrrhus. et nimium diu
A caede nostra regia cessat manus,
Paremque poscit Priamus. AGAM. Haud equidem nego
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,
Saevo peremtus ense quod Priamus jacet,
Supplex paternus. PYRRH. Supplices nostri patris
Hostesque eosdem novimus. Priamus tamen
Praesens rogavit. tu gravi pavidus metu
Nec ad rogandum fortis, Ajaci preces
Ithacoque mandas, clusus, atque hostem tremens.
AGAM. At non timebat tunc tuus, fateor, parens,
Interque caedes Graeciae, atque ustas rates,
Segnis jacebat, belli et armorum immemor,

---

300) *detrahe invidiam)* Phrasi eadem utitur de Benefic. V. 16. *quasi potentiae suae detracturus invidiam.*

305) *flammatum geris Amore subito pectus, ac Veneris novae) Subito ac Veneris novae amore* pro, subito ac novo amore, ut bene cepit Heusingerus.

Levi canoram verberans plectro chelym.
PYRRH. Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,
Cantus Achillis timuit: et tanto in metu
Navalibus pax alta Thessalicis fuit.
AGAM. Nempe iisdem in istis Thessalis navalibus
Pax alta rursus Hectoris patri fuit.
PYRRH. Est regis alti, spiritum regi dare.
AGAM. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
PYRRH. Mortem misericors saepe pro vita dabit.
AGAM. Et nunc misericors virgines busto petis.
PYRRH. Jamne immolari virgines credis nefas?
AGAM. Praeferre patriam liberis regem decet.
PYRRH. Lex nulla capto parcit, aut poenam impedit.
AGAM. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
PYRRH. Quodcunque libuit facere victori, licet.

---

330) *Mortem misericors saepe pro vita dabit)* Eandem sententiam pronuntiavit in: De Ira I. 16. *interim optimum misericordiae genus est, occidere.* et alibi saepius. Exemplum vero Marianus ille servus, qui dominum suum, ut Sullanae crudelitatis expertem faceret, gladio trajectum interemit; cum magna praemia sibi proposita videret, si eum victori tradidisset. Rem narrat Val. Maximus VI. 8. 2. hoc addito: *Cujus dexterae tam opportunum ministerium nihil eorum pietati cedit, a quibus salus dominorum protecta est. Quia eo tempore Mario non vita, sed mors in beneficio reposita erat.*

331) *At nunc misericors)* Florentinus *Et nunc misericors,* acriore ironia, ut recte judicat Gronovius.

AGAM. Minimum decet libere, cui multum licet.
PYRRH. His ista jactas, quos decem anno-
rum gravi
Regno subactos Pyrrhus exsolvit jugo?
AGAM. Hos Scyrus animos? PYRRH. Scelere
quae fratrum caret.
AGAM. Inclusa fluctu. PYRRH. Nempe co-
gnati maris.
Atrei et Thyestae nobilem novi domum.
AGAM. Ex virginis concepte furtivo stupro,
Et ex Achille nate, sed nondum viro.
PYRRH. Illo ex Achille, genere qui mundum suo,
Sparsus per omne coelitum regnum, tenet,
Thetide aequor, umbras Aeaco, coelum Jove.
AGAM. Illo ex Achille, qui manu Paridis jacet.
PYRRH. Quem nec Deorum cominus quis-
quam petiit.
AGAM. Compescere equidem verba, et au-
dacem malo

---

346) *genere qui mundum suo Sparsus per omnem coelitum regnum tenet*) Itane Pyrrhus Achilles regno depulit Jovem, ut Jupiter Saturnum? Flor. *per omne.* Recte, modo distinguas: *genere qui mundum suo, Sparsus per omne coelitum regnum, tenet.* Devinctum necessitudinibus habet, divisus inter consanguineos deos: qui coelo, mari, inferis imperant.

Gronovius.

Sequor. *omne regnum* dixit pro, omnia regna. Sic Albinovanus Eleg. in Drus. v. 202:

Funeris exsequiis adsumus omnis Eques.

ubi vid. Burman. et ad Petron. c. CVII.

Poteram domare: sed meus captis quoque
Scit parcere ensis. potius interpres Deûm
Calchas vocetur. fata si poscunt, dabo.
Tu, qui Pelasgae vincla solvisti rati,
Morasque bellis, arte qui reseras polum,
Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,
Et stella longa semitam flamma trahens
Dant signa fati, cujus ingenti mihi
Mercede constant ora, quid jubeat Deus,
Effare, Calcha, nosque consilio rege.
CAL. Dant fata Danais, quo solent pretio, viam.
„Mactanda virgo est Thessali busto ducis;
„Sed quo jugari Thessalae cultu solent,
„Ionidesve, vel Mycenaeae nurus.
„Pyrrhus parenti conjugem tradat suo.
„Sic rite dabitur. non tamen nostras tenet
„Haec una puppes causa. nobilior tuo,
„Polyxene, cruore debetur cruor,
„Quem fata quaerunt: turre de summa cadat
„Priami nepos Hectoreus, et letum oppetat.
„Tum mille velis impleat classis freta.

---

364) *Ionidesve*) id est, Argivae, genus ab Io ducentes. Heusingero nominativus *Io* postulare videbatur *Ioïdes.* Sed non meminerat, eundem casum *n* litera terminari. Ovidius in Ibide v. 624:

Quem memor a sacris nunc quoque pellit Ion.

CHORUS TROADUM.

Verum est? an timidos fabula decipit,
Umbras corporibus vivere conditis?
Cum conjux oculis imposuit manum,
Supremusque dies solibus obstitit,
Et tristis cineres urna coercuit;
Non prodest animam tradere funeri,
Sed restat miseris vivere longius?
An toti morimur? nullaque pars manet
Nostri; cum profugo spiritus halitu
Immixtus nebulis cessit in aera,
Et nudum tetigit subdita fax latus?
Quidquid Sol oriens, quidquid et occidens
Novit: caeruleis Oceanus fretis
Quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
Aetas Pegaseo corripiet gradu.
Quo bis sena volant sidera turbine,
Quo cursu properat secula volvere
Astrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus;
Hoc omnes petimus fata: nec amplius,
Juratos Superis qui tetigit lacus,
Usquam est. ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidus;
Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreae disjicit impetus;

---

396) *disjicit impetus*) Alii *dissipat*, quod glossema est. Ovidius Met. X. v. 179:
oppositas disjecit pondere nubes.

Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil,
Velocis spatii meta novissima.
Spem ponant avidi; solliciti metum.
Quaeris, quo jaceas post obitum loco?
Quo non nata jacent.
Tempus nos avidum devorat, et chaos.
Mors individua est noxia corpori,
Nec parcens animae. Taenara, et aspero
Regnum sub domino, limen et obsidens
Custos non facili Cerberus ostio,
Rumores vacui, verbaque inania,
Et par sollicito fabula somnio.

---

ubi Criticos vide.

402) *Quo non nata jacent)* Epicureum dogma. Torquatus apud Ciceronem de fin. I. §. 49. *robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, cum et mortem contemnit, qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati.*

404) *Mors individua est noxia corpori)* *individuo* tentabat Heinsius; quasi de Atomis hic sermo esset, quae philosophis *individua corpora* dicuntur. Equidem sequar interpretationem Gronovii: Mors est labes corporis, quae ab eo dividi ac separari non potest.

ACTUS TERTIUS.

ANDROMACHA, SENEX, ULYSSES.

ANDR. Quid moesta, Phrygiae, turba lace-
ratis comas,
Miserumque tunsae pectus effuso genas
Fletu rigatis? levia perpessae sumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modo,
Mihi cecidit olim, cum ferus curru incito
Mea membra raperet, et gravi gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque eversa, quodcunque accidit,

---

413) *Si flenda patimur*) Nam, ut ait Achill. Tatius III. 11. *ἐν δὲ τοῖς ὑπερβάλλουσι δεινοῖς φεύγει καὶ τὰ δάκρυα, καὶ προδίδωσι καὶ τοὺς ὀφθαλμούς. ἐντυχοῦσα γὰρ αὐτοῖς ἀναβαίνουσιν ἡ λύπη, ἵστησί τε τὴν ἀκμὴν, καὶ μετοχετεύει καταφέρουσα σὺν αὑτῇ κάτω.*

414) *Mihi cecidit*) Idem modulus, ut in Thyest. v. 289:
Nisi capere vellet. regna nunc sperat mea.
ubi vide.

417) *Tunc obruta atque eversa*) Euripidem imitatus est, qui Andromach. v. 454:

Torpens malis rigensque, sine sensu fero.
Jam erepta Danais conjugem sequerer meum,
Nisi hic teneret. hic meos animos domat,
Morique prohibet. cogit hic aliquid Deos
Adhuc rogare. tempus aerumnae addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
Nihil timere. prosperis rebus locus
Ereptus omnis: dira, qua veniant, habent.
Miserrimum est timere, cum speres nihil.
SEN. Quis re repens commovit afflictam metus?
ANDR. Exoritur aliquod majus e magno malum.
Nondum ruentis Ilii fatum stetit.
SEN. Et quas reperiet, ut velit, clades Deus?
ANDR. Stygis profundae claustra, et obscuri specus
Laxantur: et, ne desit eversis metus,
Hostes ab uno conditi Dite exeunt.
Solisne retro pervium est Danais iter?
Certe aequa mors est. turbat atque agitat Phrygas

ἐμοὶ δὲ θάνατος οὐχ οὕτω βαρύς.
ὡς σοὶ δέδοκται· κεῖνα γάρ μ᾽ ἀπώλεσεν,
ὅθ᾽ ἡ τάλαινα πόλις ἀναλώθη Φρυγῶν,
πόσις θ᾽ ὁ κλεινός.

435) *Certe aequa mors est)* Ironice dictum accipe pro, favet alteri parti, contra quam adseverant Horatius Od. II. 18. 32:

Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris: nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum

Communis iste terror. hic proprie meum
Exterret animum noctis horrendae sopor.
SEN. Quae visa portent, effer in medium, metus.
ANDR. Partes fere nox alma transierat duas,

Tantalum, atque Tantali
Genus coercet etc.

Noster Epist. 30. *Mors necessitatem habet aequam et invictam.* Lucianus Dial. Mort. XXV. *ἰσονομία γὰρ ἐν ᾅδου, καὶ ὅμοιοι ἅπαντες.*

436) *hic proprie meum Exterret animum*) *terror* superiori versu praecesserat. nec *proprie* satisfacit. Scribe:

— — turbat atque agitat Phrygas
Communis ista terror. hic propius meum
Exercet animum noctis horrendae sopor.

De somniis Ausonius Cupidine crucifixo v. 100:

Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam casso terrore quietem.

ista, non *iste*, *communis terror*. mors nimirum. nam praecessit, *certe aequa mors est. propius exercere* eleganter dictum. sic infra v. 515:

Levius solet timere, qui propius timet.

De *exercendi* verbo Gronovius ad Thyesten v. 165.

Heinsius.

At *terror* iste non mortis est, sed quem umbra facit Achillis. Eleganter vero etiam *communis terror* et *proprius terror* sibi opponuntur. Cicero Epist. ad Fam. VI. 1. 4. *Nec debes tu, cum de tuis cogitas, aut praecipuam aliquam fortunam postulare, aut communem recusare.*

439) *nox alma*) Heinsius mallet *alta.* Sed nihil est opus. Idem Seneca in Medea v. 876:

Nox condat alma lucem.

Clarumque septem verterant stellae jugum:
Ignota tandem venit afflictae quies,
Brevisque fessis somnus obrepsit genis;
Si somnus ille est mentis attonitae stupor;
Cum subito nostros Hector ante oculos stetit:
Non qualis ultro bella in Argivos ferens,
Gajas petebat facibus Idaeis rates;
Nec caede multa qualis in Danaos furens
Vera ex Achille spolia simulato tulit.
Non ille vultus flammeum intendens jubar,
Sed fessus ac dejectus, et fletu gravis,
Similisque nostro, squallida obtectus coma.
Juvat tamen vidisse. tum quassans caput,
Dispelle somnos, inquit, et natum eripe,

---

et in Agamemnone v. 74:

nox illis alma recessus
Praebet tutos.

Statius Thebaid. I. v. 503. ad Noctem:

Tu mihi perplexis quaesitam erroribus ultro
Advehis alma fidem.

Homero est ἀμβροσίη νύξ. vid. Heyn. Exc. ad Il. v. 529.

445) *Non qualis ultro bella in Argivos ferens*) Colorem duxit ex Propertiana descriptione Phoebi IV. 6. 35:

Non ille adtulerat crines in colla solutos,
Aut testudineae carmen inerme lyrae.
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis.
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, inbelles quem timuere lyrae.

453) *Dispelle somnos*) Proba lectio *Dispelle*. Silius VII. v. 329:

O fida conjux. lateat. haec una est salus.
Omitte fletus. Troja quod cecidit, gemis?
Utinam jaceret tota! festina. amove
Quocunque nostrae parvulam stirpem domus.
Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit,
Oculosque nunc huc pavida, nunc illuc ferens,
Oblita nati, misera quaesivi Hectorem.
Fallax per ipsos umbra complexus abit.
O nate, magni certa progenies patris,
Spes una Phrygibus; unica afflictae domus,
Veterisque soboles sanguinis nimium incliti,

---

inversa quatiens — dispulit hasta
Bellantem somnum.

456) *festina. amove*) Heinsius tolli vult distinctionem, ut *festina* sit adjectivum, et hic sensus: festina amoveto, propere amoveto. Per imperativum tamen modum infra v. 630. dicitur:

perge, festina, attrahe.

et apud Virgilium Aen. II. v. 373:

Festinate, viri. nam quae tam sera moratur
Segnities?

458) *tremor somnum excutit*) Florentinus *expulit.* Sed alterum gravius, et sic Auctor Octaviae, hunc locum imitatus, v. 123:

Tunc tremor et ingens excutit somnos pavor.

Ovidius Ibide v. 158:

tacitis ego noctis in umbris
Excutiam somnos, visus adesse, tuos.

Apuleius Met. VIII. p. 159. *velut quodam tormento inquieta quiete excussa.*

464) *sanguinis nimium incliti*) Heinsium, *inclita* corrigere tentantem, bene refellit eruditus Anglus in Miscel-

Nimiumque patri similis: hos vultus meus
Habebat Hector. talis incessu fuit,
Habituque talis, sic tulit fortes manus.
Sic celsus humeris, fronte sic torva minax,
Cervice fusam dissipans lata comam.
O nate, sero Phrygibus, at matri cito,
Eritne tempus illud, ac felix dies,
Quo Troici defensor et vindex soli,

---

lan. Observ. I. 1. p. 68. Libet ipsius verba ponere. „Qua „ratione puer jam *nimium inclita soboles* dici possit, „non video. Cum vetus sanguis regum Trojanorum „nimium inclitus invidiam et iram moverit Graecis, ut „tentaverint omnem a stirpe excidere, et quia in „puero jam Hectoris imago et indoles adpareret, hunc „praecipue exstinguere voluerunt, ne ultor paternae „caedis superesset, et, ubi adolevisset, vices referret „Graecis. Duo vero Epitheta *vetus* et *inclitus* viden- „tur non placuisse viro docto. Sed ignorare non de- „bebat id millies factum. Vid. Giphan. Indic. Lucret. „in Epitheta geminata; Broukhous. ad Tibul. III. 22. „Burman. ad Ovid. XV. Met. 229. et infinitos alios.“

465) *hos vultus meus Habebat Hector*) Ex Homer. Od. IV. v. 149. ubi Menelaus de Telemacho Ulyssi comparato:

κείνου γὰρ τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες,
ὀφθαλμῶν τε βολαὶ, κεφαλή τ', ἐφύπερθέ τε χαῖται.

469) *dissipans lata comam*) Florentinus *jacta*, quod ridiculum facit Hectorem. Nam *jacere cervicem* actionis est vitium, ut patet ex illo Ciceronis in Verr. III. §. 49: *tamenne putamus patronum tuum in hoc crimine cerviculam jactaturum, et populo se ac coronae daturum? cervice lata* rectum. Poëtae enim Diis et Heroibus ingentia corpora et membra tribuunt. Vide Burman. ad Albinov. Epiced. in Drusum v. 224.

Recidiva ponas Pergama, et sparsos fuga
Cives reducas? nomen et patriae suum,
Phrygibusque reddas? Sed mei fati nemor,
Tam magna timeo vota. quod captis sat est,
Vivamus. heu me, qui locus fidus meo
Erit timori? quave te sede occulam?
Arx illa pollens opibus et muris Deûm,
Gentes per omnes clara, et invidiae capax,
Nunc pulvis altus. strata sunt flamma omnia,
Superestque vasta ex urbe ne tantum quidem,
Quo lateat infans. quem locum fraudi legam?
Est tumulus ingens conjugis cari sacer,
Verendus hosti; mole quem immensa parens

---

473) *Recidiva ponas)* id est, restituas, iterum excites. Habet a Virgilio, qui IV. Aen. 344:

Et recidiva manu posuissem Pergama victis.

477) *quis locus)* Melius in Florentino legitur *qui locus.* Ovidio Met. XIV. v. 162:

Qui te casusve, Deusve,
Servat, Achaemenide?

ubi vide Burman. et Bauer. ad Sanct. Minerv. p. 699.

480) *invidiae capax)* Florentinus *invidiae gravis*, quod correctoris manum olet. *invidiae capax* est invidiae objecta, invidenda. Apud Ovidium Epist. VII. v. 120. Dido:

Urbem constitui, lateque patentia fixi
Moenia, finitimis invidiosa locis.

484) *conjugis cari sacer)* *sacer* cum genitivo struxit exemplo Ciceronis in Verr. I. 18. *insula horum deorum sacra putatur.*

Opibusque magnis struxit, in luctus suos
Rex non avarus. optime credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit.
Omen tremisco misera feralis loci.
SEN. Haec causa multos una ab interitu arcuit,
Credi periisse. ANDR. Vix spei quidquam est super.
Grave pondus illum, magna nobilitas, premit.
SEN. Ne prodat aliquis, amove testes doli.
ANDR. Si quaeret hostis? SEN. Urbe in eversa periit.
ANDR. Quid proderit latuisse redituro in manus?
SEN. Victor feroces impetus primos habet.
ANDR. Quid? quod latere sine metu magno nequit?
SEN. Miser occupet praesidia, securus legat.
ANDR. Quis te locus, quae regio seducta, invia
Tuto reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui semper, etiam nunc tuos,
Hector, tuere; conjugis furtum piae

---

488) *Sudor per artus frigidus totos cadit*) Pro eo dixit Apuleius Met. I. p. 10. *sudore frigido miser perfluo.*

490) *Haec causa multos*) Ex multis unum nominasse sufficiat Oresten, qui apud Sophoclem Electr. v. 62. sic ait:

δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.
ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
λόγῳ μάτην θνήσκοντας· εἶθ', ὅταν δόμους
ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον.

496) *feroces impetus primos habet*) Eodem prope modo loquitur de Ira II. 28. *graves habet impetus primos.*

Serva, et fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo, nate. quid retro fugis,
Turpesque latebras spernis? agnosco indolem.
Pudet timere. spiritus magnos fuga,
Animosque veteres. sume quos casus dedit.
En intuere, turba quae simus super,
Tumulus, puer, captiva. cedendum est malis.
Sanctas parentis conditi sedes, age,

---

509) *Tumulus, puer, captiva)* Nescio quid *tumulus* inter has personas faciat. Melius esset,

Vetulus, puer, captiva.

vel,

Famulus, puer, captiva.

Famulus, id est, senex ille servus. Auctor hujus Tragoediae forsan hunc Ovidii locum voluit imitari, I. Epist. Her. 97:

Tres sumus inbelles numero, sine viribus uxor,
Laërtesque senex, Telemachusque puer.

Vir doctus in Observ. Miscel. Crit. Vol. I. T. I. p. 69.

Interpretes *tumulum* paternum accipiunt. Sed est, ni fallor, ipse Laërtes, quem sic proverbiali vocat figura. Euripides Med. v. 1209:

τίς τὸν γέροντα τύμβον ὀρφανὸν σέθεν
τίθησιν;

ubi Scholiastes: *τὸν πλησίον θανάτου ὄντα. τύμβους δὲ καλοῦσι τοὺς γέροντας, παρόσον πλησίον εἰσὶ τοῦ θανάτου καὶ τοῦ τάφου.* Idem Euripides Heraclid. v. 168:

γέροντος οὕνεκα
τύμβου, τὸ μηδὲν ὄντος, ὡς εἰπεῖν ἔπος.

Laberius apud Macrob. Sat. II. 7:

Sepulcri similis nihil nisi nomen retineo.

Hoc amplius apud Plautum Bacch. V. 2. 33. de sene decrepito dicitur:

Aude subire. fata si miseros juvant,
Habes salutem. fata si vitam negant,
Habes sepulcrum. SEN. Claustra commissum tegunt.
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teque diversam amove.
ANDR. Levius solet timere, qui propius timet.
Sed, si placet, referamus hinc alio pedem.
SEN. Cohibe parumper ora, questusque opprime.
Gressus nefandos dux Cephallenûm admovet.
ANDR. Dehisce tellus, tuque conjux ultimo
Specu revulsam scinde tellurem, et Stygis
Sinu profundo conde depositum meum.
Adest Ulysses; et quidem dubio gradu
Vultuque. nectit pectore astus callidos.
UL. Durae minister sortis, hoc primum peto,
Ut ore quamvis verba dicantur meo,
Non esse credas nostra. Grajorum omnium
Procerumque vox est, petere quos seras domos
Hectorea soboles prohibet. hanc fata expetunt.
Sollicita Danaos pacis incertae fides
Semper tenebit, semper a tergo timor
Respicere coget, arma nec poni sinet,

---

odiosum est mortem amplexari.

524) *nectit pectore astus callidos)* Heinsio concinnius videtur *nectit pectore astus callido.* Sed est, quod dubitemus, an *astus* nude posuerit Seneca, cum legimus apud eundem Hipp. v. 503:

callidas tantum feris
Struxisse fraudes novit.

et Oedip. v. 668:

Dum Phrygibus animos natus eversis dabit,
Andromacha. ANDR. Vester augur hoc Calchas canit?
UL. Et si taceret augur haec Calchas, tamen
Dicebat Hector, cujus et stirpem horreo.
Generosa in ortus semina exsurgunt suos.
Sic ille magni parvus armenti comes,
Primisque nondum cornibus findens cutem,
Cervice subito celsus, et fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quae tenera caeso virga de trunco stetit,
Par ipsa matri tempore exiguo subit,
Umbrasque terris reddit, et coelo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit. est quidem injustus dolor
Rerum aestimator: si tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quod bella post hiemes decem,
Totidemque messes jam senex miles timet,
Aliasque clades rursus, ac nunquam bene
Trojam jacentem. magna res Danaos movet,

Jamjam tenemus callidi socios doli.

537) *Generosa in ortus)* Imitatur notissimos versus Horatii IV. Od. 4. 30:

Fortes creantur fortibus et bonis;
Est in juvencis, est in equis, patrum
Virtus: neque inbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

550) *nunquam bene Trojam jacentem)* Exemplo pari Mucianus Vitellii filium interfici jubet, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset, ut auctor est Tacitus Hist. IV. 80.

Futurus Hector. libera Grajos metu.
Haec una naves causa deductas tenet;
Heic classis haeret. neve crudelem putes,
Quod sorte jussus Hectoris natum petam:
Petissem Orestem. patere, quod victor tulit.
ANDR. Utinam quidem esses, nate, materna in manu,
Nossemque, quis te casus ereptum mihi
Teneret, aut quae regio. non hostilibus
Confossa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus praestricta, non acri latus
Utrumque flamma cincta, maternam fidem
Unquam exuissem. nate, quis te nunc locus,
Fortuna quae possedit? errore avio
Vagus arva lustras? vastus an patriae vapor
Corripuit artus? saevus an victor tuo
Lusit cruore? numquid immanis ferae
Morsu peremtus pascis Idaeas aves?
UL. Simulata remove verba. non facile est tibi
Decipere Ulyssem. vicimus matrum dolos,
Etiam Dearum. cassa consilia amove.
Ubi natus est? ANDR. Ubi Hector? ubi cuncti Phryges?
Ubi Priamus? unum quaeris. ego quaero omnia.

---

554) *Heic classis haeret)* Heinsius malebat *Hae*, ut subintelligatur *causa*. Sed idem notat *Heic*. Terentius Heaut. IV. 3. 31:

Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero.

UL. Coacta dices, sponte quod fari abnuis.
ANDR. Tuta est, perire quae potest, debet, cupit.
UL. Magnifica verba mors prope admota excutit.
ANDR. Si vis, Ulysse, cogere Andromacham metu,
Vitam minare, nam mori votum est mihi.
UL. Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui
Quodcunque celas, adiget invitam dolor,
Et pectore imo condita arcana eruet.
Necessitas plus posse, quam pietas, solet.
ANDR. Propone flammas, vulnera, et diras mali
Doloris artes, et famem, et saevam sitim,
Variasque pestes undique, et ferrum inditum
Visceribus ustis, carceris caeci luem,
Et quidquid audet victor iratus, tumens:
Animosa nullos mater admittit metus.
UL. Stulta est fides, celare quod prodas statim.
Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor,
Consulere parvis liberis Danaos monet.
Post arma tam longinqua, post annos decem,
Minus timerem quos facit Calchas metus,
Si mihi timerem, bella Telemacho paras.
ANDR. Invita Ulyssi gaudium ac Danais dabo.
Dandum est, fatere, quos premis luctus, dolor.
Gaudete, Atridae; tuque laetifica, ut soles,
Refer Pelasgis. Hectoris proles obiit.
UL. Et esse verum hoc qua probas Danais fide?
ANDR. Ita quod minari maximum victor potest,
Contingat, et me fata maturo exitu
Facilique solvant, ac meo condant solo,
Et patria tellus Hectorem leviter premat;

Ut luce cassus inter exstinctos jacet,
Datusque tumulo debita exanimis tulit.
UL. Expleta fata stirpe sublata Hectoris,
Solidamque pacem laetus ad Danaos feram.
Quid agis, Ulysse? Danaidae credent tibi?
Tu cui? parenti. fingit an quisquam hoc parens,
Nec abominandae mortis auspicium pavet?
Auspicia metuunt, qui nihil majus timent.
Fidem alligavit jurejurando suam.
Si pejerat, timere quid gravius potest?
Nunc advoca astus, anime; nunc fraudes, dolos,
Et totum Ulyssem. veritas nunquam perit.
Scrutare matrem. moeret, illacrimat, gemit,
Et huc et illuc anxios gressus refert,

---

604) *ut luce caret, ut inter extinctos jacet*) *caruit* Florentinus. Legendum, ut habet editio Parisiensis anni 1514. et conjecit Heinsius:

Ut luce cassus inter extinctos jacet.

Virgilius Aen. II. v. 85:

cassum lumine lugent.

et XI. v. 104:

Nullum cum victis certamen et aethere cassis.

608) *Danaidae credent tibi?*) Heinsius emendat: *Danai, da, credant tibi*, quod sit: fac credant, praesta, ut credant. Equidem non video molliorem esse concessionem, quam dubitationem.

610) *mortis auspicium*) hoc est, omen. Menelaus apud Euripidem Helen. v. 1057:

κακὸς μὲν ὄρνις· εἰ δὲ κερδανῶ λέγων,
ἕτοιμός εἰμι, μὴ θανὼν, λόγῳ θανεῖν.

615) *veritas nunquam perit*) Livius XII. 39. *Veritatem laborare nimis saepe, ajunt, exstingui nunquam.*

Missasque voces aure sollicita excipit.
Magis haec timet, quam moeret. ingenio est opus.
Alios parentes alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,
Quem mors manebat saeva, praecipitem datum
E turre, lapsis sola quae muris manet.
ANDR. Me liquit animus, membra quatiuntur, labant,
Torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
UL. Intremuit. hac, hac parte quaerenda est mihi.
Matrem timor detexit. iterabo metum.
Ite, ite, celeres, fraude materna abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam,
Ubicunque latitat, erutam in medium date.
Bene est. tenetur. perge, festina, attrahe.
Quid respicis, trepidasque? jam certe perit.
ANDR. Utinam timerem! solitus ex longo est metus.
Dediscit animus sero, quod didicit diu.
UL. Lustrale quoniam debitum muris puer
Sacrum antecessit; nec potest vatem sequi
Meliore fato raptus: hoc Calchas ait
Modo piari posse redituras rates,
Si placet undas Hectoris sparsi cinis,
Ac tumulus imo totus aequetur solo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem,

---

626) *En tremuit)* Emendatiores libri *Intremuit.* Ovidius Metam. II. v. 180:
Palluit, et subito genua intremuere timore.

Erit admovenda sedibus sacris manus.
ANDR. Quid agimus? animum distrahit geminus timor:
Hinc natus, illinc conjugis cari cinis.
Pars utra vincet? testor immites Deos,
Deosque veros, conjugis manes mei,
Non aliud, Hector, in meo nato mihi
Placere, quam te. vivat, ut possit tuos
Referre vultus. prorutus tumulo cinis
Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
Disjecta vastis? potius hic mortem oppetat.
Poteris nefandae deditum mater neci
Videre? poteris celsa per fastigia
Missum rotari? potero. perpetiar. feram,
Dum non meus post fata victoris manu
Jactetur Hector. hic suam poenam potest
Sentire; at illum fata jam in tuto locant.
Quid fluctuaris? statue, quem poenae extrahas.
Ingrata, dubitas? Hector est illic tuus.
Erras. utrinque est Hector. hic sensus potens,
Forsan futurus ultor exstincti patris.
Utrique parci non potest. quidnam facis?
Serva e duobus, anime, quem Danai timent.
UL. Responsa peragam. funditus busta eruam.
ANDR. Quae vendidistis? UL. Pergam, et e summo aggere

656) *hic suam poenam potest*) Non secus mulier illa misericors apud Petronium c. 112. *Malo mortuum impendere, quam vivum occidere.*

Traham sepulcra. ANDR. Coelitum appello fidem,
Fidemque Achillis. Pyrrhe, genitoris tui
Munus tuere. UL. Tumulus hic campo statim
Toto jacebit. ANDR. Fuerat hoc prorsus nefas
Danais inausum. templa violastis, Deos
Etiam faventes. busta transierat furor.
Resistam. inermes offeram armatis manus.
Dabit ira vires. qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon stravit; aut qualis Deo
Percussa Maenas, entheo silvas gradu
Armata thyrso terret, atque expers sui
Vulnus dedit, nec sensit; in medios ruam,
Tumuloque cineris socia defenso cadam.
UL. Cessatis? et vos flebilis clamor movet,
Furorque cassus feminae? jussa ocius
Peragite. ANDR. Me, me sternite heic ferro prius.

---

672) *inermes offeram*) Heinsius volebat *afferam.* Sed *offeram* exquisite dicitur pro intentem, ut apud Virgilium Aen. VI. v. 291:

strictamque aciem venientibus o b f e r t.

ubi vide Heynium et Nonium c. IV. §. 339.

673) *Dabit ira vires*) Ovidius Amor. I. 7. 66:

Quamlibet infirmas adjuvet ira manus.

Metamorph. XIII. v. 562:

facit ira valentem.

679) *flebilis clamor*) Non adsentiendum Heinsio *debilis* rescribenti. Apuleius Met. VIII. p. 165. *Quo dolore commota, statim* f l e t u c u m c l a m o r e *sublato, maritum suum pastorem illum suppetiarum ciet.* Idem IX. p. 195. *intolerabili dolore commotus sublato* f l e b i l i c l a m o r e. Facit huc etiam illud Ciceronis in Verr. IV. §. 39. *minitari absenti Diodoro: vociferari palam: lacrymas interdum vix tenere.*

Repellor? heu me! rumpe fatorum moras.
Molire terras, Hector, ut Ulyssem domes.
Vel umbra satis est. arma concussit manu.
Jaculatur ignes. cernitis, Danai, Hectorem?
An sola video? UL. Funditus cuncta erue.
ANDR. Quid agis? ruina mater et natum et virum
Prosternis una. forsitan Danaos prece
Placare poteris. conditum elidet statim
Immane busti pondus. intereat miser
Ubicunque potius, ne pater natum obruat,
Prematque patrem natus. ad genua accido
Supplex, Ulysse, quamque nullius pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.

---

682) *Repellor? heu me!*) Res tota in actione consistit. Objicit enim sepulcro se Andromache, et ruit in satellitum Ulysseorum gladios. Cui intercedit heros, ipsam repellit et locum facit irruentibus in tumulum latronibus. *Me me sternite heic ferro prius.* Agnoscis foeminam commasculatam affectu audentemque plus, quam muliebri audacia ingerere se strictis ensibus. At postquam Ulyssis manum sensit et vim viri se pellentis, sidunt isti animi et sexum reminiscitur. Hinc voces flebiles: *Repellor? heu me!* ut in Thyeste: *Negatur ensis?* Rursus autem reviviscit opinio de marito, et velut in rabiem efferata mortuum invocat. Quam graphice figurat auctor, cum inducit dicentem: *cernitis, Danai, Hectorem? An sola video?*
Gronovius Observ. II. 19.

684) *Vel umbra satis est*) Grotius malit: *Vel umbra satis es.* Vulgata confirmatur ex Herc. Oet. v. 1962:
Quid timuere tui manes precor?
Umbra quoque est Diti nimis horrida.

Miserere matris, et preces placidus pias
Patiensque recipe; quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme.
Misero datur quodcunque, fortunae datur.
Sic te revisat conjugis sanctae torus,
Annosque, dum te recipit, extendat suos
Laerta! sic te juvenis excipiat tuus,
Et vota vincens vestra felici indole,
Aetate avum transcendat, ingenio patrem!
Miserere matris. unicum afflictae mihi
Solamen hoc est. UL. Exhibe natum, et roga.
ANDR. Huc e latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miserae.
Hic est, hic est, terror, Ulysse,

---

698) *fortunae datur*) Hinc Ovidius Trist. V. 6. 33.

Si mihi non parcis, fortunae parcere debes.

701) *sic te juvenis excipiat tuus*) Heinsius, probante Burmanno ad T. I. Anthol. Lat. p. 305., emendat: *sic te juvenis exhibeat tuus*, et explicat: sic te reddat, exprimat tam animo, quam corpore. Sed hujus voti gratiam faciunt, quod sequitur: *transcendat ingenio patrem*, et Telemachi vox apud Homerum Odyss. XVI. v. 70:

πῶς γὰρ δὴ τὸν ξεῖνον ἐγὼν ὑποδέξομαι οἴκῳ;

705) *Solamen hoc est*) Multi codices *hic*, ex interpretatione scilicet.

708) *Hic puer, hic est terror, Ulysse*) Florentinus,

Hic est, hic est, terror, Ulysse.

non *puer*, quod, ipso praesente, melius abest. Eadem infra v. 740:

An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit? hae manus Trojam erigent?

Mille carinis. Submitte manus,
Dominique pedes supplice dextra
Stratus adora: nec turpe puta,
Quidquid miseros Fortuna jubet.
Pone ex animo reges atavos,
Magnique senis jura per omnes
Inclita terras. excidat Hector.
Gere captivum; positoque genu,
Si tua nondum funera sentis,
Matris fletus imitare tuae.
Vidit pueri regis lacrimas
Et Troja prior, parvusque minas
Trucis Alcidae flexit Priamus.
Ille, ille ferox, cujus vastis
Viribus omnes cessere ferae,
Qui perfracto limine Ditis
Caecum retro patefecit iter,
Hostis parvi victus lacrimis,
Suscipe, dixit, rector, habenas,
Patrioque sede celsus solio,
Sed sceptra fide meliore tene.
Hoc fuit illo victore capi.

---

730) *Hoc fuit illo victore capi*) *Hoc*, nempe regnum accipere, et de fide, praecipuo regni fulcro, monitum, fuit capi illo victore. Ut infra: *Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.* *Illud*, nempe desponsari Achilli aut Pyrrho, putabat mortem, *hoc*, ad Achillis tumulum mactari, thalamos.

Gronovius Observ. II. 19.

Discite mites Herculis iras.
An sola placent Herculis arma?
Jacet ante pedes non minor illo
Supplice supplex, vitamque petit.
Regnum Trojae, quocunque volet,
Fortuna ferat.

ULYSSES, ANDROMACHA, ASTYANAX.

UL. Matris quidem me moeror attonitae movet:
Magis Pelasgae me tamen matres movent,
Quarum iste magnos crescit in luctus puer.
ANDR. An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit? hae manus Trojam erigent?
Nullas habet spes Troja, si tales habet.
Non sic jacemus Troes, ut cuiquam metus
Possimus esse. spiritus genitor facit?
Sed nempe tractus. ipse post Trojam pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala.
Si poena petitur, quae peti gravior potest?
Famulare collo nobili subeat jugum.

---

731) *mites Herculis iras*) *iras mites*, id est, temperantes victoriae. De singulari mansuetudine Herculis in hostes vide quae memorat Aelianus Var. Hist. XII. 27.

745) *Sed nempe tractus*) *fractus* est in Florentino, probatque Burmannus ad Ov. Epist. I. v. 86. Sed alterum invidiosius, et ipsum Homeri verbum de eodem Il. XXII. v. 465:

ταχέες δέ μιν ἵπποι
ἕλκον ἀκηδέστως κοίλας ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.

Servire liceat. aliquis hoc regi negat?
UL. Non hoc Ulysses, sed negat Calchas tibi.
ANDR. O machinator fraudis, o scelerum artifex,
Virtute cujus bellica nemo occidit,
Dolis et astu maleficae mentis jacent
Etiam Pelasgi; vatem et insontes Deos
Praetendis? hoc est pectoris facinus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Jam solus audes aliquid, et claro die.
UL. Virtus Ulyssis Danaidis nota est satis,
Nimisque Phrygibus. non vacat vanis diem
Conterere verbis. ancoras classis legit.
ANDR. Brevem moram largire, dum officium parens
Nato supremum reddo, et amplexu ultimo
Avidos dolores satio. UL. Misereri tui
Utinam liceret! quod tamen solum licet,
Tempus moramque dabimus. arbitrio tuo
Implere lacrimis. fletus aerumnas levat.

---

752) *nemo occidit*) Similiter virtutem Ulyssis extenuat Neptunus apud Lucianum in Dialogo Marino, qui inscribitur *Cyclopis et Neptuni.*

766) *fletus aerumnas levat*) Non debebat Heinsius *levat* in *levet* mutare. Vetus enim verbum est, *aerumnas fletu levari.* Ovidius Trist. IV. 3. 48:

Expletur lacrimis egeriturque dolor.

Seneca pater Controv. V. 30. *Nescio quomodo miserum esse interdum in miseria juvat, et plerumque omnis dolor per lacrimas effluit.* Idem Excerpt. Controv. IV. 1. *Quousque, inquit, flebis? Est quaedam in ipsis malis miserorum voluptas, et omnis*

ANDR. O dulce pignus! o decus lapsae domus!
Summumque Trojae funus! o Danaûm timor!
Genitricis o spes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar; vota destituit Deus.
Iliaca non tu sceptra regali potens
Gestabis aula; jura nec populis dabis,
Victasque gentes sub tuum mittes jugum:
Non Graja caedes terga. non Pyrrhum trahes;
Non arma tenera parva tractabis manu;
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris; nec stato lustri die
Solemne referens Troici lusus sacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages:
Non inter aras mobili velox pede
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.
O morte dira tristius leti genus!
Flebilius aliquid Hectoris magni nece

---

adversa fortuna habet in querelis levamentum. Euripides Troad. v. 604:

ὡς ἡδὺ δάκρυα τοῖς κακῶς πεπονθόσιν,
θρήνων τ' ὀδυρμοὶ, Μοῦσα θ', ἣ λύπας ἔχει.

Plutarchus in: De ira cohibenda c. V. *αἵ τε τοῖς πενθοῦσιν ἐφέσεις τοῦ ἀποκλαῦσαι καὶ ἀποδύρασθαι, πολύ τι τῆς λύπης ἅμα τῷ δακρύῳ συνεξάγουσιν.*

784) *leti genus*) Virum doctum, in Miscel. Observ. Vol. I. p. 69. *mortis* legere tentantem, bene refellit ibi vir doctus alius ex ingrato sibilo vocum *tristius mortis genus.*

Muri videbunt. UL. Rumpe jam fletus parens.
Magnus sibi ipse non facit finem dolor.
ANDR. Lacrimis, Ulysse, parva, quam petimus, mora est.
Concede, paucis ut mea condam manu
Viventis oculos. occidis parvus quidem,
Sed jam timendus. Troja te exspectat tua.
I, vade liber. liberos Troas vide.
AST. Miserere, mater. ANDR. Quid meos retines sinus,
Manusque matris? cassa praesidia occupas.

---

787) *Magnus sibi ipse non facit finem dolor*) Creontis vox est ad Chorum in Sophoclis Antigona v. 883:

ἆρ' ἴστ', ἀοιδὰς καὶ γόους πρὸ τοῦ θανεῖν
ὡς οὐδ' ἂν εἷς παύσαιτ' ἄν, εἰ χρείη λέγειν.

789) *Concede, parvos ut mea condam manu Viventis oculos*) Vox *parvus* tribus versibus toties repetita quas non offendat aures, nisi parum detersas? In Florentino est *Concede paucos*, unde Heinsius Advers. p. 22. probante Burmanno ad Propert. IV. 7. 25. conjicit *patulos oculos*. Sed facili emendatione scribendum:

Concede, paucis ut mea condam manu
Viventis oculos.

paucis, intellige, verbis. Nam condens natum adfatur, et sic Ovidius Fast. I. v. 183:

Desierat paucis; nec longa silentia feci.

paucus vero et *parvus* alibi quoque permutata, ut apud Ovidium Fast. III. v. 192. *condam* pro cludam, quod morientibus faciebant propinqui. Ovidius Trist. III. 3. 43:

Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus.

Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum juvencus applicat matri latus:
At ille saevus matre summota leo,
Praedam minorem morsibus vastis premens
Frangit, vehitque: talis e nostro sinu
Te rapiet hostis. oscula, et fletus, puer,
Lacerosque crines excipe, et plenus mei
Occurre patri. pauca maternae tamen
Perfer querelae verba: Si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor;
Servire Grajo pateris Andromachen jugo,
Crudelis Hector? lentus et segnis jaces?
Rediit Achilles. sume nunc iterum comas,
Et sume lacrimas, quidquid e misero viri
Funere relictum est. sume, quae reddas tuo
Oscula parenti. matris hanc solatio
Relinque vestem. tumulus hanc tetigit meus,

---

ubi Ciofan. et Heins. vide.

798) *morsibus vastis premens*) Florentinus *tenens*, ex interpolatione. Lucretius III. v. 663:

Ipsam seque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti ut morsu premat icta dolore.

Silius VII. v. 719:

Ceu, stimulante fame, rapuit cum Martius agnum
Averso pastore lupus, fetumque trementem
Ore tenet presso; tum, si vestigia cursu
Auditis celeret balatibus obvia pastor,
Jam sibimet metuens, spirantem dentibus imis
Rejectat praedam, et vacuo fugit aeger hiatu.

799) *Frangit vehitque*) Heinsius malit *Frangitque agitque.*

Manesque cari. quidquid heic cineris latet,
Scrutabor ore. UL. Nullus est flendi modus.
Abripite propere classis Argolicae moram.

CHORUS TROADUM.

Quae vocat sedes habitanda captas?
Thessali montes, et opaca Tempe?
An viros tellus dare militares
Aptior Phthie? meliorque foetu
Fortis armenti lapidosa Trachin?
An maris vasti domitrix Iolcos?
Urbibus centum spatiosa Crete?
Parva Gortyne, sterilisque Tricce?
An frequens rivis levibus Mothone?

---

quasi Seneca non usus fuisset altera formula Phoenis. v. 578:

Mater triumphi praeda fraterni vehar.

813) *Nullus est flendi modus*) Plutarch. de Vitiosit. c. 2. *θυμῷ δὲ οὐκ ἂν ἐπιτάξειας ἡσυχίαν, οὐδὲ πένθει σιωπήν.* Seneca pater Excerpt, Controv. IV. 1. *Nemo sibi ipsi finem flendi fecit. Pudet illos desinere: cogi volunt.*

822) *Parva Gortyne*) Figura est, haud dispar illi apud Lucanum III. v. 185:

centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnososque agitare pharetras
Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.

ubi vide Interpp. *parva προληπτικῶς;* nam Iliacis temporibus magni fuit ambitus, observante Meursio in Creta I. 10.

823) *frequens ruscis levibus*) Liber optimus, ut et duo

Quae sub Oetaeis latebrosa silvis
Misit infestos Troiae ruinis
Non semel arcus?
Olenos tectis habitata raris?
Virgini Pleuron inimica Divae?
An maris lati sinuosa Troezen?
Pelion regnum Prothoi superbum,
Tertius coelo gradus? hic recumbens
Montis exesi spatiosus antro
Jam trucis Chiron pueri magister,
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tunc quoque ingentes acuebat iras
Bella canendo.
An ferax varii lapidis Carystos?
An premens litus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet vento faciles Calydnae?
An carens nunquam Gonoessa vento?
Quaeque formidat Borean Enispe?
Attica pendens Peparethos ora?

Delrii, *rivis*. Probe. Messeniam enim, in qua Mothone, describit Euripides Cresphonte

καταῤῥυτόν τε μυρίοισι νάμασι.

828) *Virginis Pleuron inimica*) Florentinus *Virgini*, quod praestat. Apud Virgilium Aen. I. v. 67. Juno:

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor.

843) *Attica pendens Peparethos ora*) Forte *Thracia pendens ora*, hoc est, pendens a Thracia ora. sic apud Silium lib. III. Himilce,

Mene oblite tua nostram pendere salutem
Abnuis inceptis comitem.

An sacris gaudens tacitis Eleusin?

---

sic *pendere cursu* Phaedrus Fab. 89. Stat. VI. Theb. v. 85. *pendent per mutua fulti brachia.* Certe Peparethos Thraciae vicina fuisse videtur; nam apud Sophoclem Philoctete v. 565. mercator introducitur in Lemnon Thraciae quoque vicinam appellens, qui se ex Ilio contendere Peparethon asseverat: nam si Atthidi Peparethos vicina, quomodo Lemnon delatus sit emporus iste, vix video.

πλέων γὰρ, ὡς ναύκληρος, οὐ πολλῷ στόλῳ
ἀπ' Ἰλίου πρὸς οἶκον ἐς τὴν εὔβοτρυν
Πεπάρηθον.

ubi Scholiastes: *Πεπάρηθος, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, καὶ μία τῶν Κυκλάδων νήσων.* De Lemno Thraciae vicina omnia sunt nota. hinc adagium de Atho Thraciae monte:

Ἄθως καλύπτει πλευρὰ Λημνίας βοός.

Hinc et vinum Peparethium. Ovidius *olivae feracem* dixit Met. VII. v. 470:

— — *nitidaeque ferax Peparethos olivae.*

Plinius quoque lib. IV. cap. 12. Nat. Hist. Atho Thraciae monti vicinam Peparethum facit. ut jam causa appareat, cur Macedoniae regibus eam paruisse Livius dicat lib. XXVIII. nam et Macedonia, Thracia, Thessalia, utpote vicinae regiones, saepe confunduntur. *Thracii agri* noster Medea v. 630. *Thracii fluctus* Hercule Oetaeo v. 1383. et sic porro. Frustra igitur Delrius in loco Senecae *Peparethon* in *Lycabetton*, *Sybaleton*, *Perithoedon* mutari voluit.

Heinsius.

Puto legendum:

Attica pendens Peparethos uva.

ut *Attica uva* dicatur pro oliva, quae Atticae propria est. Ausonius Ord. Nobil. Urb. IX. 3. de Acropoli:

Paciferae primum cui contigit arbor olivae.

Numquid Ajacis Salamina veram?
Aut fera notam Calydona saeva?

Hinc idem Ausonius *olivum Actaeum* vocat Mosel. v. 136. et Pindarus *κύλικας Ἀθηναίας* pro crateris olei dicit Scol. III. v. 5. *pendens uva*, quae est uva pendenti. Sic apud Virgilium *pendentia pumice tecta* Georg. IV. v. 374. ubi vid. Heyn.

845) *Numquid Ajacis Salamina veram?*) Intellige *procella mittet* ex v. 852. Pari ellipsi dicit Propertius II. 16. 17:

Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
Ambos una fides auferet, una dies.

ubi *fidelem* intelligimus ex *fides*. Eruditi cujusdam Britanni conatus emendandi *Numquid Ajacis Salamina visam?* refutatos vide in Miscel. Observ. Vol. I. p. 71.

846) *Aut fera notam Calydona saeva?*) Nempe *procella nos mittet;* quo suppleto reliqui quoque vagi constant accusativi. Withofius Praemet. Cruc. Crit. p. 199. corrigere tentabat, *Aut feret fatum Calydona servas:* quod bene refellit Dorvillius ad Charit. p. 707. Verba ejus ipsa posui. „Duriora occurrunt, si mo„do duri quidquam iste locus habet. Mihi secus vi„detur. Accusativi et alii casus saepe a remotis vo„cabulis pendent vel intellectis; ex. gr. in Propertii „III. 21. 37. legas:

„*Arboreasque cruces Sinis et non hospita Grajis*
„*Saxa, et curvatas in sua fata trabes.*

„ubi sive *Sinis* sit nominativi, sive patrii casus, sem„per verbum vix inveneris in superioribus, cui *ar„boreas cruces, saxa, curvatas trabes* connectas com„mode: nam *nec valuit* qui conveniat? Ut tria ver„ba adhuc faciam circa Tragici loca: mihi in *Calydo„ne* non intempestivius memorari videtur *aper, fera „illa saeva,* quam in *Elide coronae Olympiacae,* vel

Quasque perfundit subiturus aequor
Segnibus terras Titaressos undis?
Bessan et Scarphen? Pylon an senilem?
Pharin? an Pisam, Jovis et coronis
Elida claram?
Quolibet tristis miseras procella
Mittat, et donet cuicunque terrae:
Dum luem tantam Troiae atque Achivis

„in *Carysto varium marmor*, vel in *Enispe Boreas.*
„Quod objicitur: Non (*ventos*) *feras*, sed *dominos*
„*tyrannos* metuisse Troades, etiam huic ῥήσει appli-
„cari posset: et *Eleusis nota satis sine periphrasi.*
„Solent poetae in recensendis locis, taedii et sterili-
„tatis vitandae causa, ea singula suis commendare
„dotibus: id hic Seneca facundissime praestitit, ex-
„cepto in uno oppido *Pharis*, nulla re famoso. In-
„tempestivissime autem et ineoncinne hic *servas* in-
„terponitur. Non enim hic magis, quam ad cujusvis
„alius loci mentionem, id vocabuli necesse erat in-
„trudere. Plane fulciendi et supplendi versus gratia,
„quasi nequisset id eleganti epitheto facere poeta,
„hic compareret. Semel in principio Chori se *captas*
„Troades vocarunt: semel in fine hujus poeticae di-
„lationis se vocarunt *miseras*. Id sufficit.“

847) *Quasque profundit*) Rectius utique Trajectinus alter et Parisiensis excusus *perfundit*, hoc est, alluit. Virgilius Aen. III. v. 397:

Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quae nostri p e r f u n d i t u r *aequoris aestu.*

ubi Mss. quidam apud Burmannum pari errore, *profunditur.*

848) *terras*) Perrhaebiam.

849) *Bessan et Scarphen*) urbes Locrorum Opuntiorum.

Quae tulit, Sparte procul absit: absit
Argos, et saevi Pelopis Mycenae;
Neritos parva brevior Zacyntho,
Et nocens saxis Ithace dolosis.
Quod manet fatum, dominusque quis te,
Aut quibus terris, Hecube, videndam
Ducet? in cujus moriere regno?

ACTUS QUARTUS.

HELENA, ANDROMACHA, HECUBA, POLYXENA, muta persona.

HEL. Quicunque hymen funestus, illaetabilis
Lamenta, caedes, sanguinem, gemitus habet,
Est auspice Helena dignus. eversis quoque
Nocere cogor Phrygibus. ego Pyrrhi toros
Narrare falsos jubeor; ego cultus dare,
Habitusque Grajos. arte capietur mea,
Meaque fraude concidet Paridis soror.
Fallatur. ipsi levius hoc equidem reor.
Optanda mors est, sine metu mortis mori.

---

869) *Fallatur. ipsi levius)* Immo gravius est, si audias deprecantem infra v. 937. Andromachen:
unum hoc deme nostris cladibus,
Falli.

870) *Optanda mors est, sine metu mortis mori)* Haec sententia aliis atque aliis modis effertur. Senec. de Benef. III. 30. *cum tanto majus sit retinere spiritum, quam accipere, quanto levius mori ante mortis metum.* Pha-

Quid jussa cessas agere? ad auctores redit
Sceleris coacti culpa. Dardaniae domus
Generosa virgo, melior afflictos Deus
Respicere coepit; teque felici parat
Dotare thalamo. tale conjugium tibi
Non ipsa sospes Troja, non Priamus daret.
Nam te Pelasgae maximum gentis decus
Ad sancta lecti jura legitimi petit,
Cui regna campi lata Thessalici patent.
Te magna Tethys, teque tot pelagi Deae,
Placidumque numen aequoris tumidi Thetis
Suam vocabunt. te datam Pyrrho socer
Peleus nurum vocabit, et Nereus nurum.
Depone cultus squallidos, festos cape.
Dedisce captam. deprime horrentes comas,
Crinemque docta patere distingui manu.
Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet. profuit multis capi.

---

larid. Epist. 87. *πολλῷ δὲ κρεῖττόν ἐστι, μὴ δεδοικότα παθεῖν τὸ μέλλον δεινὸν, ἢ δεδοικότα.* Maximian. Eleg. I. v. 279:

Poena minor, certam subito perferre ruinam:
Quod timeas, gravius, sustinuisse diu.

ubi Seneca non praeteriit Wernsdorfii curam, optime sic explicantis: „repentina mors, quae ante contin„gat, quam metueris, optanda maxime est. Qualem „mortem optabant sibi Caesares, pater et nepos, te„ste Suetonio, Jul. c. 87, et Aug. 99. Sententiae au„ctor Euripides Antigon. XVIII:

„ἢ που τὸ μέλλον ἐκφοβεῖ καθ' ἡμέραν,
„ὡς τοῦ γε πάσχειν τοὐπιὸν μεῖζον κακόν.

ANDR. Hoc deerat unum Phrygibus eversis malum,
Gaudere? flagrant strata passim Pergama.
O conjugale tempus, an quisquam audeat
Negare? quisquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena suadet? pestis, exitium, lues
Utriusque populi! cernis hos tumulos ducum?
Et nuda totis ossa quae passim jacent
Inhumata campis? haec hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor;
Cum dimicantes lenta prospiceres viros,
Incerta voti. perge, thalamos appara.
Taedis quid opus est? quidve solemni face?
Quid igne? thalamis Troja praelucet novis.
Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia;
Celebrate digne. planctus et gemitus sonent.
HEL. Ratione quamvis careat, et flecti neget

---

889) *Hoc deerat unum*) Apposite Tacitus Hist. I. 46. *Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit, laetitia.*

898) *lenta prospiceres*) *laeta* multi codices, eodem errore, quem correxit Barthius an Heinsius in Silio XII. v. 567:

Nunc, lentus celsis adstans in collibus, intrat
Urbem oculis, discitque locos, causasque locorum.

ubi prius vulgabatur *laetus.* Ad rem conf. Homer. Il. III. v. 163. seqq.

899) *Incerta voti*) Apud Ovidium Epist. XVII. v. 109. Helena Paridi:

Ut tamen optarem fieri tibi Troïa conjux,
Invitam sic me nec Menelaus habet.

Magnus dolor, sociosque nonnunquam sui
Moeroris ipsos oderit; causam tamen
Possum tueri judice infesto meam,
Graviora passa. luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum: solus occulte Paris
Lugendus Helenae est. durum et invisum et grave est,
Servitia ferre. patior hoc olim jugum
Annis decem captiva. prostratum Ilium est,
Versi penates. perdere est patriam grave;
Gravius timere. vos levat tanti mali
Comitatus. in me victus et victor furit.
Quam quisque famulam traheret, incerto diu
Casu pependit: me meus traxit statim
Sine sorte dominus. causa bellorum fui,
Tantaeque Teucris cladis. hoc verum puta,
Spartana puppis vestra si secuit freta;
Sin rapta Phrygiis praeda remigibus fui,
Deditque donum judici victrix Dea:
Ignosce Paridi. judicem iratum mea
Habitura causa est. ista Menelaum manent
Arbitria. nunc hunc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis flecte. vix lacrimas queo
Retinere. ANDR. Quantum est, Helena quod lacrimat, malum!
Cur lacrimat autem? fare, quos Ithacus dolos,
Quae scelera nectat. utrum ab Idaeis jugis
Jactanda virgo est? arcis an celsae edito
Mittenda saxo? num per has vastum in mare
Volvenda rupes, latere quas scisso levat

Altum vadosos Sigion spectans sinus?
Dic, fare, quidquid subdolo vultu tegis.
Leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener
Hecubaeque Pyrrhus. fare, quam poenam pares.
Exprome, et unum hoc deme nostris cladibus,
Falli. paratas perpeti mortem vides.
HEL. Utinam juberet me quoque interpres Deûm
Abrumpere ense lucis invisae moras,
Vel Achillis ante busta, furibunda manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,
Polyxene miseranda; quam tradi sibi,
Cineremque Achilles ante mactari suum,
Campo maritus ut sit Elysio, jubet.
ANDR. Vide, ut animus ingens laetus audie-
rit necem.
Cultus decoros regiae vestis petit,
Et admoveri crinibus patitur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At misera luctu mater audito stupet,
Labefacta mens succubuit. assurge, alleva
Animum, et cadentem misera firma spiritum.
Quam tenuis anima vinculo pendet levi!

---

933) *Altum vadosos Sigeon spectans sinus)* *Sigion* scripsimus cum Dorvillio ad Chariton. p. 85. ut versus constaret. *sinus* intellige maris, circa litus vadosi. *altum* convenit *levanti*, et sic Virgilius Aen. III. v. 699. de alio promontorio:

altas cautes projectaque saxa Pachyni
Radimus.

Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.
Spirat. revixit. prima mors miseros fugit.
HEC. Adhuc Achilles vivit in poenas Phrygum?
Adhuc rebellat? o manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea.
Lassabar in tot oscula, in totum gregem
Dividere matrem. sola nunc haec est super,
Votum, comes, levamen, afflictae quies.
Haec totus Hecubae foetus. hac sola vocor
Jam voce mater. dura et infelix, age,
Elabere anima. denique hoc unum mihi
Remitte funus. irrigat fletus genas,
Imberque victo subitus e vultu cadit.
Laetare, gaude, nata. quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!
ANDR. Nos, Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendae sumus,
Quas mota classis huc et huc sparsas feret.
Hanc cara tellus sedibus patriis teget.
HEL. Magis invidebis, si tuam sortem scias.
ANDR. An aliqua poenae pars meae ignota est mihi?
HEL. Versata dominos urna captivis dedit.
ANDR. Cui famula tradar, ede. quem dominum voco?
HEL. Te sorte prima Scyrius juvenis tulit.

---

976) *Cui famula tradar, ede*) *trador* ex Florentino praeferebat Heinsius, credo, quia sequitur *voco.* Sed

ANDR. Cassandra felix! quam furor sorte eximit,
Phoebusque. HEL. Regum hanc maximus rector tenet.
HEC. Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?
HEL. Ithaco obtigisti praeda nolenti brevis.
HEC. Quis tam impotens ac dirus, et iniquae ferus
Sortitor urnae regibus reges dedit?
Quis tam sinister dividit captas Deus?
Quis arbiter crudelis, et miseris gravis,
Eligere dominos nescit? et saeva manu
Dat iniqua miseris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? ad Ulyssen vocor.
Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
Obsessa videor cladibus. domini pudet,

---

variatio modorum poetis admodum familiaris est. vid. Burmann. ad Val. Flacc. VI. v. 16.

978) *quam furor sorte eximit*) *sorti eximit* Florentinus, quod melius videtur Heinsio, non mihi. Quinctilianus IV. 2. 74. de tribus filiis, qui sortiti erant, quis patrem occideret: *Nec enim jurejurando opus fuisse, si alioqui hoc mentis habuissent; nec s o r t e, nisi quod se quisque e x i m i voluerit.* Color loci ductus ex Andromachae verbis apud Virgilium Aen. III. v. 321:

O felix una ante alias Priameïa virgo,
Hostilem ad tumulum Trojae sub moenibus altis
Jussa mori, quae sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile.

990) *domini pudet, Non servitutis*) Nam, ut ait Pseudo-Cicero Epist. ad Brut. 8. *dignitate domini minus turpis est fortuna servi.*

Non servitutis. Hectoris spolium feret,
Qui tulit Achillis? sterilis, et saevis fretis
Inclusa tellus non capit tumulos meos.
Duc, duc, Ulysse. nil moror. dominum sequor.
Me mea sequentur fata. non pelago quies
Tranquilla veniet, saeviet ventis mare,
Et bella, et ignis, et mea, et Priami mala.
Dumque ista veniunt, interim hoc poenae loco est:
Sortem occupavi, praemium eripui tibi.
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultuque torvo. Pyrrhe, quid cessas? age,
Reclude ferro pectus, et Achillis tui
Conjunge soceros. perge, mactator senum;
Et hic decet te sanguis: abreptam trahe.
Maculate superos caede funesta Deos,
Maculate Manes. quid precer vobis? precor
His digna sacris aequora. hoc classi accidat
Toti Pelasgae, ratibus hoc mille accidat,
Meae precabor, cum vehar, quidquid rati.

CHORUS TROADUM.

Dulce moerenti populus dolentum,
Dulce lamentis resonare gentes.
Lentius luctus lacrimaeque mordent,
Turba quas fletu simili frequentant.

1013) *Turba quas fletu simili frequentat*) Codicum plerique *Turba frequentant*, Graecismo poetis familiari. Ovid. Fast. III. v. 251:

Martis me turba frequentant.

Semper, ah, semper dolor est malignus:
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seque non solum placuisse poenae.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.
Nemo se credet miserum, licet sit.
Tolle felices: removeto multo
Divites auro: removeto centum
Rura qui scindunt opulenta bubus;
Pauperi surgent animi jacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.
Dulce in immensis posito ruinis
Neminem laetos habuisse vultus.
Ille deplorat, queriturque fatum,
Qui secans fluctum rate singulari
Nudus in portus cecidit petitos.
Aequior casum tulit, et procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit, tabulaque litus
Naufraga spargi, mare cum coactis
Fluctibus Corus prohibet reverti.

---

ubi plura id genus collegit Heinsius, quem vide.

1024) *Est miser nemo, nisi comparatus*) Philemon apud Stobaeum Flor. Tit. CVIII:

εἰ τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοισιν εἰδείης κακὰ,
ἄσμενος ἔχοις ἂν, Νικοφῶν, ἃ νῦν ἔχεις.

1034) *mare cum coactis Fluctibus Corus prohibet reverti*) hoc est, refluere, diffundi atque explicari. Plutarch. Consolat. ad uxorem c. 6. *ὥσπερ ἐν εὐδίᾳ κῦμα, τῇ*

Questus est Hellen cecidisse Phryxus,
Cum gregis ductor radiante villo,
Aureo fratrem simul et sororem
Sustulit tergo, medioque jactum
Fecit in ponto. tenuit querelas
Et vir, et Pyrrhe, mare cum viderent:
Et nihil praeter mare cum viderent,
Unici terris homines relicti.
Solvet hunc coetum lacrimasque nostras
Sparget huc illuc agitata classis,
Et tuba jussi dare vela nautae,
Cum simul ventis properante remo
Prenderint altum, fugietque litus.
Quis status mentis miseris, ubi omnis
Terra decrescet, pelagusque crescet?
Celsa cum longe latitabit Ide?
Tum puer matri, genitrixque nato,
Troja qua jaceat regione monstrans
Dicet, et longe digito notabit:
Ilium est illic, ubi fumus alte
Serpit in coelum, nebulaeque turpes.
Troes hoc signo patriam videbunt.

γαλήνη τοῦ σώματος διαχεομένου. Eandem maris formam ita depinxit Lucanus V. v. 644:

Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est.

coacti fluctus, densi sive quos turbo convolvit. Val. Flaccus IV. v. 687:

ima fremunt, fluctuque coacto
Angitur.

ACTUS QUINTUS.

NUNTIUS, ANDROMACHA, HECUBA.

NUNT. O dira fata, saeva, miseranda, horrida,
Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus
Mars vidit annis? quid prius referens gemam?
Tuosne potius, an tuos luctus, anus?
HEC. Quoscunque luctus fleveris, flebis meos.
Sua quemque tantum, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt. quisquis est, Hecubae est, miser.
NUNT. Mactata virgo est. missus e muris puer.
Sed uterque letum mente generosa tulit.
ANDR. Expone seriem caedis, et duplex nefas
Prosequere. gaudet magnus aerumnas dolor

Tractare totas. ede, et enarra omnia.
NUNT. Est una magna turris e Troja super,
Assueta Priamo: cujus e fastigio
Summisque pinnis arbiter belli sedens
Regebat acies. turre in hac blando sinu
Fovens nepotem, cum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector et ferro et face,
Paterna puero bella monstrabat senex.
Haec nota quondam turris, et muri decus,
Nunc saeva cautes, undique affusa ducum
Plebisque turba cingitur. totum coit
Ratibus relictis vulgus. his collis procul
Aciem patenti liberam praebet loco;
His alta rupes, cujus e cacumine
Erecta summos turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo silva suspenso tremit.
Extrema montis ille praerupti petit,
Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens
Muri cadentis pressit. atque aliquis (nefas!)
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
Per spatia late plena sublimi gradu
Incedit Ithacus, parvulum dextra trahens
Priami nepotem: nec gradu segni puer
Ad alta pergit moenia. ut summa stetit
Pro turre, vultus huc et huc acres tulit,
Intrepidus animo. qualis ingentis ferae
Parvus tenerque foetus, et nondum potens
Saevire dente, jam tamen tollit minas,

Morsusque inanes tentat, atque animis tumet:
Sic ille dextra prensus hostili puer
Ferox, superne moverat vulgum ac duces,
Ipsumque Ulyssen. non flet e turba omnium,
Qui fletur: ac dum verba fatidici et preces
Concipit Ulysses vatis, et saevos ciet
Ad sacra superos, sponte desiluit sua
In media Priami regna.
ANDR. Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha
Commisit? aut quae Caspium tangens mare
Gens juris expers ausa? non Busiridis
Puerilis aras sanguis aspersit feri.
Nec parva gregibus membra Diomedes suis
Epulanda posuit. quis tuos artus teget,
Tumuloque tradet? NUNT. Quos enim praeceps locus
Reliquit artus? ossa disjecta et gravi
Elisa casu, signa clari corporis,
Et ora, et illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta cervix. silicis impulsu caput
Ruptum, cerebro penitus expresso. jacet
Deforme corpus. ANDR. Sic quoque est similis patri.
NUNT. Praeceps ut altis cecidit e muris puer,
Flevitque Achivûm turba, quod fecit, nefas;
Idem ille populus aliud ad facinus redit,
Tumulumque Achillis. hujus extremum latus

Rhoetea leni verberant fluctu vada.
Aversa cingit campus, et clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Crescit theatri more. concursus frequens
Implevit omne litus. hi classis moras
Hac morte solvi rentur. hi stirpem hostium
Gaudent recidi. magna pars vulgi levis
Odit scelus, spectatque: nec Troes minus
Suum frequentant funus, et pavidi metu
Partem ruentis ultimam Trojae vident.
Cum subito thalami more praecedunt faces.
It pronuba illic Tyndaris, moestum caput
Demissa. tali nubat Hermione modo,
Phryges precantur. sic viro turpis suo
Reddatur Helene. terror attonitos tenet
Utrosque populos. ipsa dejectos gerit
Vultus pudore; sed tamen fulgent genae,
Magisque solito splendet extremus decor:
Ut esse Phoebi dulcius lumen solet
Jam jam cadentis, astra cum repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicina dies.
Stupet omne vulgus; et fere cuncti magis
Peritura laudant. hos movet formae decus,
Hos mollis aetas, hos vagae rerum vices.
Movet animus omnes fortis, et leto obvius.
Pyrrhum antecedit. omnium mentes tremunt:
Mirantur, ac miserantur. ut primum ardui
Sublime montis tetigit, atque alte edito
Juvenis paterni vertice in busti stetit,

Audax virago non tulit retro gradum;
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit.
Novumque monstrum est, Pyrrhus ad caedem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit,
Subitus recepta morte prorupit cruor
Per vulnus ingens. nec tamen moriens adhuc
Deponit animos; cecidit, ut Achilli gravem
Factura terram, prona, et irato impetu.
Uterque flevit coetus. at timidum Phryges
Misere gemitum. clarius victor gemit.
Hic ordo sacri. non stetit fusus cruor,

1156) *Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit*) Heinsius ad Sil. I. v. 307. malebat *exactum.* Sed nihil opus. Nam ita Quinctilianus Inst. Orat. VI. 4. 8. *prope sub conatu adversarii manus exigenda.* ubi vide Burmannum. Nihilo magis necesse est *penitus* corrigere *pectori*, ut idem Heinsius facit. Seneca enim illud variavit Maronis Aen. X. v. 816:

exigit ensem
Per medium Aeneas juvenem, totumque recondit.

1160) *prona, et irato impetu*) Pariter Quintus Calaber XIV. v. 315. de eadem:

πρηνὴς χαμάδις πέσε.

ne cum Heinsio legas: *prono et irato impetu*, quod etiam argutius est.

Humove summa fluxit. obduxit statim,
Saevusque totum sanguinem tumulus bibit.
HEC. Ite, ite, Danai; petite jam tuti domos,
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis. concidit virgo, ac puer.
Bellum peractum est. quo meas lacrimas feram?
Ubi hanc anilis exspuam leti moram?
Natam, an nepotem, conjugem, an patriam fleam?
An omnia? an me? sola mors votum meum.
Infantibus violenta, virginibus venis,
Ubicunque properas, saeva: me solam times,
Vitasque gladios inter ac tela et faces

1164) *obduxit statim*) *abduxit* multi codices. Vulgata bene defenditur a Mureto Var. Lect. IX. 10.

1172) *sola mors votum meum*) Mors, inquit, meorum summa votorum est, nihil amplius opto, vel, ut loquitur Phoenis. v. 75:

Votumque, genitor, maximum, mors est tibi?

Sequentibus affinia sunt verba Oechaliarum virginum in Herc. Oet. v. 122:

Nos non flamma rapax, non fragor obruit.
Felices sequeris, mors, miseros fugis.

Quorum locorum immemor erat Heinsius, interpunctionem nostri loci mutans in hunc modum:

An omnia? an me sola? Mors, votum meum,
Infantibus violenta, virginibus venis.
Ubicunque properas, saeva.

Quaesita tota nocte, cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumsit artus: quam prope a Priamo steti?
NUNT. Repetite celeri maria, captivae, gradu.
Jam vela puppis laxat, et classis movet.

Illud bene observavit, *ubicunque* positum esse pro, ubique. conf. de hoc usu vocis ipsum ad Ov. Art. Amator. II. v. 627.